Digitized by Google

8
7-c
60

D 8/29

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 G
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

22.6.3

8.7.b.50.

22.7.12

C-60

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI HALLÆI
I.V.D. IN ACADEMIA PARISIENSI
ELOQVENTIÆ PROFESSORIS, POETÆ AC INTERPRETIS REGII,
ORATIONES ET POEMATA.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

COLL. ROM. SOCIET. JESU BIBL.

PARISIIS,
Apud CLAVDIVM THIBOVST, Biblio-polam Academiæ Parisiensis ordinarium, è regione Auditorij Regij.

M. DC. LV.
Cum Priuilegio Regis.

Digitized by Google

6.10.4.14

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVERIO FRANCIÆ CANCELLARIO

BIBLIOTECA ROMA

PETRVS HALLÆVS S. P.

QVANTVM Noſtrorum ingenia literarum ſtudiis excellere poſſint, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, ingens ac propè infinitus in omni eruditionis genere ſcriptitantium hac parùm amicâ Muſis ætate numerus ſatis indicat. Cùm enim tumultus armorum, ſtudiorum otia

Digitized by Google

conturbare, & buccinarum cantus in gente præſertim ad bellum & victorias natâ, ab hoc quieto auocare ſilentio ſoleat: tamen tanta doctiſſimorum hominum copia his temporibus efloruit, tot egregij fœtus ingeniorum in lucem prodierunt, vt acris quædam doctrinæ & fortitudinis æmulatio apud nos interceſſiſſe videatur. Grauiſſima quidem bella geſſimus: vnum atque alterum ciuile, atrox quidem & impeditum, confecimus: à Sociorum ceruicibus non ſemel repulimus ſeruitutis iugum: multis ad libertatem proclamantibus velut aſſertores adfuimus: noſtros fines ab hoſtibus propè obſeſſos, & arctiùs pridem contractos, haud modicè propagauimus: affirmare tamen auſim ingeniorum ardorem nec in excolendâ diuinarum rerum cognitione, nec illuſtrandis

Digitized by Google

naturalium tenebris, nec ex antiquis ruderibus eruendâ veritate temporum, nec exornandâ molliorum ſtudiorum amœnitate, non denique vel inueniendis, vel amplificandis artibus vlli pugnandi vincendíque gloriæ conceſſiſſe. Atque huius decoris partem alteram Cardinali Richelio, alteram tibi, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, acceptam referre par eſt. Ille, quòd primas publicæ adminiſtrationis partes agendas ſuſcepiſſet, ſuáſque ſedes in Honoris atrio poſitas habere videretur, ad ſe ingenia facilè conuertit: & beneficiorum frequentiâ, quorum egregius ac prudens diſpenſator erat, ſtudia tam vehementer excitauit, vt multis eius interitum conſequentibus ſæculis erudiendis conſuluiſſe crederetur. Quandiu vixit laudabilis operæ plurimos adiutores habuit: quorum

Digitized by Google

pleríſque vel tantus amor literarum vel tanta ſimulatio extitit, vt licet non pauci tanquam earum rudes aliquando riderentur, tamen Bibliothecas non malè inſtructas, aut ſaltem ingeniosè pictas oſtentarent. At verò vt cæteros Regni Magiſtratus & Optimates cùm virtutis tum eruditionis omni genere longè antecellis, ità copioſiùs tecum libentiúſque, quàm cum vllo alio, hanc curam cum publicis vir maximus communicauit: immò quaſi hæreditario iure totam moriens in te tranſmiſit. Quis enim exinde tanto præſidio deſtituta ſtudia refocillauit? Nolim ego vllius pudori moleſtus eſſe: nolim cuiuſpiam ſuggillare famam: dicam tamen, ex eo tempore in tui propè vnius fide ac ſinu conquieuiſſe Muſas: tui vnius ope ſuam retinuiſſe dignitatem: ad te

Digitized by Google

vnum, velut ad Palatinum Apollinem, vndique ſua opera contuliſſe: quam gloriam nulla rerum mutatio, nulla temporum offenſio interrupit. Cùm enim ad tuam virtutem, non ad gratiam ſemper reſpexerint, & illam eruditionem propè ſingularem, illam humanitatẽ, quâ nunquam maior extitit, maximè coluerint, inſignis earũ erga te obſeruantia ab his orta principiis, causíſque perpetuis profecta, pręclarè ſibi conſtitit: neque vllâ ſortis iniuriâ vel imminui vel vllatenus inflecti potuit. Illæ quidem omnibus prodeſſe volunt: faſtidiunt neminem: viros tamen principes colere amant, illuſtrium amicitiâ maximè delectantur: eóſque præſertim amplectuntur arctiſſimè, quos propter virtutis excellentiam exornent commodè, & à quibus ipſæ viciſſim exornentur: quos ingenij ſua vis exi-

mia, & optimarum artium medullitus hausta cognitio veræ laudis idoneos æstimatores præstiterunt. Quorsum enim surdis importuniùs canerent? aut irrito labore lauarent Æthiopem? aut cum iis diu versarentur, qui ab earum humanitate prorsus alieni sunt? Quem verò tibi CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, animi constantiâ, fide, doctrinâ, æquitate, ciuilium rerum prudentiâ iam in hoc sæculo parem inuenire licet? Togæ supremum culmen, vltrà quod prouehi non potes, egregiâ pridem famâ occupas, totóque imples tanti munere Magistratûs: &, si quid inuidorum crimine tibi molestiùs in eo accidit, illud in tui nominis gloriam tantâ laude commutâsti, vt Deus tibi minus concessurus fuerit, si tui muneris integrum ac semper æquabilem fructum cõseruâsset. Protinus abun-

dè per te ipſum reparâſti, quod fluctuans ciuilium turbarum æſtus, & aliena leuitas grauiter peccauerant. Ordinis Togati tota ratio, quæ per abſentiam tuam vacillauerat, tuo reditu confirmata eſt: ac Regis oracula ex ore tuo rurſus edita priorem illam autoritatem ſubitò receperunt. Cùm igitur te talem Gallia prædicet, cùm te talem eſſe ſentiat, an mirum eſt, ſi optimi & literati viri te præ cæteris quà publicè quà priuatim venerentur: ſuorúmque laborum fructus tibi conſecrent, quem ſuarum rerum certiſſimum vindicem, ac eruditionis illuſtrem & æquiſſimum æſtimatorem eſſe intelligunt? Ille concurſus, qui nunc communis quædam lex eſt, ad te plurimos pertrahit: alios apud te præbitũ doctiſſimis hominibus hoſpitium mouet: alios afficit tui nominis ingens exiſtimatio: omnes capit

amor & admiratio: me verò præterea iucunda neceſſitas cogit. Quid enim eſt in hoc opuſculorum faſciculo, quem tibi Semipaganus offero, quod iure tuum aſſerere non poſſis? Tuum eſt, quòd ad hoc ſtudij genus animum accuratiùs appulerim: tuum eſt, quòd optimus Princeps publico ſcribendi munere me decoratum eſſe voluerit: ipſe carminis materiam ac leges, ipſe canendi animos ſæpe ſuffeciſti: quinetiam pleráque iam ſub tuo illuſtri nomine in hominum manus tradita ſunt. Singula ergo in vnum collecta benigno, vt quidem ſpero, vultu excipies, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, cùm ea tantùm collegerim, vt meam erga te obſeruantiam ac ſtudium publico monimento conſignata relinquam, Vale.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICVS XIV. Franciæ Rex & Nauarræ, ſcriptâ authoritate ſanxit, ne quis intra ſuæ ditionis limites Librum, cui titulus eſt, PETRI HALLÆI I. V. D. *in Academiâ Pariſienſi Eloquentiæ Profeſſoris, Poëtæ ac Interpretis Regij Orationes & Poëmata*, abſque eiuſdē Hallæi conſenſu, aut eorum, quibus ipſe conceſſerit, infra nouem annos imprimat, aut venalem habeat, propoſitâ in eos, qui contra fecerint, multâ, aliiſque pœnis, quæ in Regio diplomate continentur: Dato Lutetiæ Pariſiorum die 2. Febr. anno 1655.

De Mandato Regis.

ROVX.

Idem Petrus Hallæus Claud. Thibouſt Iurato Vniuerſitatis Pariſienſ. Bibliopolæ conceſſit, ſibi indulto vti priuilegio per tempus à Rege definitum, Pariſiis 3. die Martis 1655.

Prima editio abſoluta eſt die 15. eiuſdem menſis.

amor & admiratio: me verò prætereà iucunda neceſſitas cogit. Quid enim eſt in hoc opuſculorum faſciculo, quem tibi Semipaganus offero, quod iure tuum aſſerere non poſſis? Tuum eſt, quòd ad hoc ſtudij genus animum accuratiùs appulerim: tuum eſt, quòd optimus Princeps publico ſcribendi munere me decoratum eſſe voluerit: ipſe carminis materiam ac leges, ipſe canendi animos ſæpe ſuffeciſti: quin-etiam pleráque iam ſub tuo illuſtri nomine in hominum manus tradita ſunt. Singula ergo in vnum collecta benigno, vt quidem ſpero, vultu excipies, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, cùm ea tantùm collegerim, vt meam erga te obſeruantiam ac ſtudium publico monimento conſignata relinquam, Vale.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICVS XIV. Franciæ Rex & Nauarræ, ſcriptâ authoritate ſanxit, ne quis intra ſuæ ditionis limites Librum, cui titulus eſt, PETRI HALLÆI I. V. D. *in Academiâ Pariſienſi Eloquentiæ Profeſſoris, Poëtæ ac Interpretis Regij Orationes & Poëmata*, abſque eiuſdē Hallæi conſenſu, aut eorum, quibus ipſe conceſſerit, infra nouem annos imprimat, aut venalem habeat, propoſitâ in eos, qui contra fecerint, multâ, aliiſque pœnis, quæ in Regio diplomate continentur: Dato Lutetiæ Pariſiorum die 2. Febr. anno 1655.

De Mandato Regis.

ROVX.

Idem Petrus Hallæus Claud. Thibouſt Iurato Vniuerſitatis Pariſienſ. Bibliopolæ conceſſit, ſibi indulto vti priuilegio per tempus à Rege definitum, Pariſiis 3. die Martis 1655.

Prima editio abſoluta eſt die 15. eiuſdem menſis.

ERRATA.

PAGI. 6. verſ. 21. lege Pacificationem p. 11. v. 7. l. Publicanis. p. 13. v. 2. l. hyeme. p. 14. v. 15. l. ſuppeditat p. 15. v. 14. l deſtitutus, tamen. p 16. v. 27. l. crebriùs. p. 25. v. 6. pro Aurelianenſibus, l. Burgundionibus. p. 31. v. 11. l quos, dum. p. 39. v. 20. l. Æſiæ. p. 41. v. 6. & 7. l. & fortitudinis Ludouici. p. ead. pro Suſa l Seguſium. p. 42. v. 23. l. ſeruitutis. p. 70. v. 13. l ſunt. p. 72. v. 7. pro ac, l. &. p. 76. v. 11. l. Hubarrio. p 82 v. vlt. l. moroſâ. p. 85 v. 23. l vacauiſſe. p. 88. v. 20. l. Hubarrius. p. 90. v. 22. l. Hubarrij. p. 94. v. 6. & 7. l. conuinceretur. p. 96. v. 4. l. ingenium? id, &c. p. 106. v. 7. l. tentabantur. p. 3. v. 17. l. prudentia. p. 127 v. 3. l. Cypri. p. 129. v. 8. l. materiis. p. 130. v. 22. l. polliceatur. p. 134. v. 17. l. conſilium. p. 137. v. 2. l. coërcita. p. 138. v. 12. l. Literatorum. p. 147. v. 13 l. vocat p. 148. v. 10. dele huic. ibid. v. 11. l. huic labori. p. 153. v. 5. l. hebes. ibid. v. pen. l. tradituros. p. 159. v. præpen. l. ignorantiæ.

IN POEMAT.

Pag. 11. v. 6. l. titulos. p. 13 v. 27. l. perenni. p. 17. v. 8. l. Scaldimque. p 57. v. 22 l. quantum. p. 58. v. 14. l. fruere. p. 61. v. 12. l. perennni. p. 63. v. 25. l. hebeti. p. 70. v. 13. l. in ſcopulos. ead. v. 18. l. ignotum. p. 104. v. 9. l. liquido. p. 109. v. 16. l. fluctus. p. 3. v. 2. dele pacis. p. 112. v. 7. l. portat. p. 122. v. 15 l. honor. p. 168. v. vlt. l. Tribocos. p. 240. v. 2. adde clauſtra. 256 l. domum p. 272. v. 24. pro num. l. quid. p. 290. v. 16. pro decet, l. licet? p. 299. v. 26. l. vitam imperare. p. 308. v. 17. l. quæ excitas, ſeſe efferet. p. 310. v. 16. pro decor. l. nitor. 319. p. 319. v. 6. l. Sehon. p. 326, v. 17. l. graui? ead. v. vlt, permitte, ibid. l. exitum.

INDEX HOMINVM, DE QVIBVS FIT mentio in Poëmat.

BIBLIOTECA ROMA

ABBAS *Villalonganus.* p. 241
ABEL *Seruien.* p.187. 148. 263
Abrahamus Remmius, 13
Ægid. Menagius, 124. 248
Aloysa Gonzaga, Reg. Polon. 78
Anna Austriaca Reg. Franc. 4. 22. 81. 89. 93
A. Brioxus, 246
Anton. Hallæus, sub Thyrsis nomine, 163. 165
Ant. Daubræus, 173
Ant. Menilius, 232
Ant. Luzernæus, 248
Armand. Richelius Card. 15. 19. 42. 199
Audomarus Talæus, 240
Aureius Episc. Constanti. 249
Brezæus, Dux, 43
Belmontius, Episc. Rutenensis, p. 246

Camerarius, Medicus, 231
Capelanus, Poëta, 125
Carolus Matignonius, 86
Carol. Brulartius, 236
Caupmartinus, 58. 237
Christina Suedor. Reg. 121
Chauneus, Dux, 32
Castilo, Dux & Reg. Legatus. 24
Claudius Morellus, 242
Condeus, Princeps, pater, 54. 89
Condeus, Princeps, filius, 10. 42. 56. 57
Comtyus Princeps, 57. 231
Drusus Daubr.eus Prætor Paris. 173
Gasto, filius Franc. Dux Aurel. 10. 19. 22.

Henricus Mag. Rex Franc. 40
Hieronym. Bignonius, 135. 201. 238
Iacobus Amelotius, 235. 249
Iacob. Capreolus, 157. 169
Iacob Puteanus, 120
Ioa. Paul. Choiseus, 234. 239
Iul. Mazarin. Card. 6. 12. 15. 85. 257.
Longolius, Præses, 15
Ludo. XIII. Rex Franc. 17. 27. 34. 38. 89
Ludo. XIV. Rex Franc. 3. 20. 34. 42. 93. 114. 230. 241. 260.
Matthæus Molæus, 174
Memmy, 199

Michaël Tellerius, 248
Milleraïus, Reg. Legatus, 23.31.43
Mottius, Reg. Legatus, 43
Nicolaus Fucquetius, 187.191.201
Petrus Seguerius, 8.15.20.87.110. 137.138. 199. 212. 307
Petrus Padetius, 155. 158. 160. 167
Philipp. IV. R. Hiſpan. 35
Pomponius Belleuræus, 140. 195. 200. 201
Schomberſius, Reg. Legatus, 43
Vladiſlaus IV. R. Polon. 82

by Google

CHRISTIANISSIMO REGI

LVDOVICO

ADEO-DATO.

QVOD ad Reginæ Regentis gloriam hoc opuſculum ſpectat, Rex Chriſtianiſſime, pro tuâ in eam pietate, illud vt ſpero, benignè accipies. Quid illi Gallia, quantùm ipſe debeas, externi belli ratio, & illa de tuâ educatione, pacandóque Regno ſollicitudo ſatis indicant. Natus es inter atrociſſima bella, quorum impetus mox in te adhuc infantem incubuit. Inuictus Princeps Parens tuus, qui multis victorijs ea conficere non potuit, ad te imperfecta inuitus tranſmiſit, gerendi verò modica præſidia reliquit. Ætas tua multis caſibus obnoxia, difficultas temporum, & hoſtium praua in paciſcendo conſilia varios periculorum metus objecerant. Res infidæ, & in pronum lapſuræ videbantur. Omnia tamen Optimæ Matris ſingulari prudentiâ & curis egregiè confirmata ſunt. Ecce ad tuam tutelam accedis, rerum geſtarum magnitudine non mediocriter auctus: & gloriâ bellicâ, quæ Ludouicum Iuſtum illuſtra-

uerat, in te magna cepit incrementa. At hoſtes armis victi, malis artibus pugnant. Pacis moram tuis imputant, & inuidiam belli, quod ipſi pridem fouent, in eos deriuare conantur. Hæc eò ſpectat oratio, Rex Chriſtianiſſime, vt, ſi qua forſan opinio in animis Gallorum ex illâ calumniâ inhæſerit, excidat. Nunc belli tædia mentes occupant, & nonnullorum fortè tranſuerſas agunt. Vbi verò bona pax & ſecura victricem Galliam coronauerit, vbi copia ſumptus abundè compenſauerit, ac tot virtutibus, quarum ſpeciem in te ſuſpicimus, maturum robur acceſſerit, quanta Reginæ Regentis erit apud omnes commendatio! quæ in eam ſtudia! quanta apud poſteros admiratio! Græci ſuos Mercurios ex vnius Alcibiadis vultu pingere conſueuerant: deinceps cæteris exemplar erit Reginæ Regentis adminiſtratio. Hæc illi gloria, hæc tibi, Rex Chriſtianiſſime, Galliæque fælicitas continget, ſi Deus Opt. Max. in cuius tutelâ ſunt Optimi Principes, meis votis & precibus annuerit.

APOLOGIA REGENTIÆ.

BIBLIOTECA H.R.S. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI Lvdovicvs Decimus-quartus tantas opes cum ſecurâ pace ab Optimo Parente accepiſſet A. A. quantas Optimus Parens ab Invicto Principe HENRICO Quarto priùs acceperat : non minori bonorum copiâ hoc clariſſimum Regnum ornaviſſet, quàm finium amplitudine & armorum gloriâ illuſtravit. At cùm bellum atrox & periculoſum cum Regni hereditate neceſſariò creverit : coactúſque ſit eas alere copias, quæ reprimendis hoſtium conatibus, & ſuperiorum victoriarum incitando curſui pares eſſent : nondum pacis optatos fructus exhibere, nec immenſis ſumptibus parcere potuit, quos belli conficiendi neceſſitas, & noſtræ felicitatis ſtabiliendæ cura ab eo poſtulant. Hinc illa populorum tædia & graves queſtus : hinc primùm ſerpſit in vulgus, deinde plurium animos invaſit opinio, hoc, quod pridem cum Hiſpanis geritur, bellum ideò pro-

trahi, ne commoda, & illa ingens ab armis nata autoritas Aulæ intercidant. Quo quidem errore ſublato (ſi tamen ex animis excuti dicendo poteſt) ſi quis nihil commodi publicè redire putet, is profectò non intelligit quid in odia diſtrahere animos, quid Regni vincula diſſolvere, quid publicam tranquillitàtem periculosè turbare poſſit. Quod ſi apud imperitum vulgus, cui privata ſtimulatio eſt, publicum verò decus vile; quódque ex opinione multa, ex veritate verò pauca iudicat, ea res à me diſputaretur: fortè fruſtrà contenderem diligenter eſſe providendum, ne gloria magnis laboribus parta, per vllam levitatem corrupta dilabatur: & cœpta fæliciter Europæ libertas, quam pridem Auſtriacæ dominationis impetus ſuccutit, confirmetur. At ſapientiâ & humanitate veſtrâ fretus A. A. audacter dicam Pacem illam, quæ non minora victis hoſtibus commoda, quàm victoribus afferat; & quę Socios ac fidem nobis detrahat, hactenus non immeritò dilatam videri: nec priuatis vllorum cupiditatibus belli longioris invidiam moveri oportere, cuius crimen & acerbitas conſtanti fama hoſtium iniquitati imputatur. At cùm hoc dicendi

argumentum impeditum ſit, & arduum, oro vos atque obteſtor, A. A. vt meam orationem non veſtræ prudentiæ magnitudine, ſed ingenij mei tenuitate metiri velitis; &, ſi multa dicenti mihi exciderint, id non tam induſtriæ meæ modulo, quàm eximiæ eruditioni veſtræ tribuendum eſſe puteris. Quid igitur? quid impedit, quo minùs illa Pacis toties tentata, tandiu protracta diſceptatio concludatur? Animaduerti A. A. duas illius moræ cauſas in vulgus jactari conſueuiſſe: commoda, quæ Regi, & Optimatibus è bello redire creduntur, & gloriæ ſegetem, quæ vt ſanguine bellíque ſudoribus rigata lætiùs efflo-reſcit, ita pacis otio & ariditate confecta ſæpiùs emarceſcit. Ac primò quidem ſi Principum fortunas inſpiciamus, nunquid illos ex otio plura capere commoda, quàm ex arduâ turbidarum rerum adminiſtratione ſperare: ac maiorem ſecuritatem in ſinu pacis, quàm in periculoſis belli fluctibus nanciſci poſſe reperiemus? Vt enim omittam illos iiſdem bonis poſſe perfrui, quibus cæteri pacis tempore fruuntur, continuò è bellis bella ſererent, ſi rerum publicarum ratio, ſalúſque propria poſtularet. At cùm injurias acceperunt, propter quas

ſuis pacem excutere, & hoſtibus bellum inferre coguntur, quàm ſollicitè per Legatos agunt, ne prior concordia armis convellatur. Quis enim ardore bellandi tam amens eſt, vt neſciat ſe tunc de gloriâ & imperio periclitari? vt non meminerit quàm varia ſit armorum fortuna? vt non cogitet ſe tutiùs procul à periculis, quàm inter pericula vivere? vt non videat pace confirmari imperia & florere: bello concuti & everti? hîc curas, odia, rapinas, ſeditiones: illic ſecuritatem, conjunctionem animorum, abſtinentiam ab alieno, tranquillitatem verſari? hîc improbitatem, velut exutis frænis, ferociter exultare: illic virtutem compreſſis vitiis dominari? Dum publici temporis memoriam repetimus A. A. ac Regum populorúmque res præclarè geſtas pervolvimus, ſi quid arduum & audax nobis legentibus occurrit, mirificè delectamur: fæliciter explicatę bellorum difficultates, ab interitu vindicata imperia, ex tenuibus primordiis in immenſum auctæ civitates, quia virtutis egregiæ ſpeciem præ ſe ferunt, cogitatione ſui & admiratione noſtros animos occupant. Quem enim non afficiant illa pericula, quibus Punica bella Romanos ſubjecerunt?

quem populi victoris gentium virtus & in perferendis malis constantia ? quem gloria in subigendis hostibus ? sumptus in alendis, in instaurandis exercitibus diligentia in admirationem non traducant ? Labores, incommoda, impensæ, calamitates cogitationem propè transvolant : virtutem periculis exercitam, magnísque cladibus factam majorem tantùm suspicimus. Quis tamen ignorat quantis luctibus privatis ac publicis illa constiterint ? quoties rerum subeunda fuerint discrimina ? quæ perferendę strages ? quæ calamitates tolerandæ, quoties Principum & excellentium virorum exitio Respub redimenda ? quàm sæpe Regum ipsorum sanguine populorum salus & imperia conservanda ? Iam verò vnde nam tanta commoda sperari dicuntur ? An ex hostium spoliis & cladibus ? at non amplificandi fines studio, sed tuendi Socios ac fidem necessitate coacti arma sumpsimus. An è tributis, quæ popularibus imperantur ? cur ergo belli tempore Ærarium vacuum est ? cur æs alienum majus in dies contrahere ? cur propemodum versuram facere cogimur ? Immensa quidem stipendia redeunt : sed in exercitus, classes, arces, præsidia, Socios, annonas & quò non ?

abeunt omnia. Quantò copioſius Ærarium eſt, cùm pax Regem & Subditos pari benignitate fovet! Henricus Magnus in pacis vbertate abundavit pecuniâ: in bellorum varietate & victoriis caruit eius Filius: ab illo immenſa pecuniæ vis in hujus clariſſimæ vrbis arcem congeſta eſt: ab hoc etiam Dominium prope nullum relictum. Anglię Reges Gallis aliquando bellum intuliſſe legimus, vt eo nomine collectis pecuniis diteſcerent: noſtri, quia bella non niſi magnis ſumptibus gerunt, & ampliſſimo Dominio fruuntur, belli tempore premuntur inopiâ: pacis, copiâ differuntur. Quotus verò quiſque quorundam impiorum hominum voces patienter ferat, qui bellorum cauſas in populi ferocientis modeſtiam ſæpe longiùs accerſi autumant: conſultóque augeri tributa, ne populus viribus fidens, & opibus ferox, ſuis Rectoribus negotium faceſſat? Quem enim latet acerbam illam dominationem exerceri non poſſe ſine detrimento dominantis? famam apud exteros parari Subditorum opibus, non inopiâ? Principem ſuis Ciuibus vti commodiùs, ſi ſuus labor illos occuper, & ſobrietas comitetur occupatos, quàm ſi præ inopiâ ad audendum omnia projecti ſint: quòd ab

intentis operi, minùs ſcelerum ac periculi, quàm ab otioſis timeatur? At finge bellum eſſe Regibus vtile, an credis eos ſponte ſubire invidiam, quam direptio & egeſtas Ciuium tunc illis afferre ſolent? an odia, quæ ab innumeris fœneratoribus & pubicanis, qui tunc impunè graſſantur, in eos redeunt? an convicia, quæ milites in caſtris, in vrbibus otioſi, vbíque improbi in os occinere non dubitant? Quàm nequiter enim offenſiones belli, ſi quæ forſan accidunt, in majus efferuntur! quàm acerbè pecuniarum abuſus, legúmque violatio objicitur! quæ probra conjiciuntur in Optimates! Continuò ſarciendæ clades, ſupplendi exercitus, cautè continendi ciues, ſocij diligenter in fide retinendi, protegendi finès, arces muniendæ, vt clamores & ſannæ comprimantur. Quæ ſæpe in bello ſimul accidunt omnia, in pace nulla. Quis ab ingenio & humanitate tam deſertus vnquam fuit, vt, cùm liberaliter cum amicis vivere, & à ſuis amari poſſet, anxiè degere, & ab omnibus odio haberi maluerit? At illud pacis eſt: hoc verò belli. Nullus in Aulâ Galliæ lautiùs, quàm Henricus Tertius vixiſſe creditur: quis etiam pacis amantior, & à bello magis alienus vnquam

fuit ? Nam cùm difficilis belli ſumptibus ; & immenſis largitionibus , quibus animo Principes elati gloriam quærunt , ſuas opes eſſe impares intelligeret , à bello , quantùm potuit, ſe abſtinuit , ne majorum impenſarum invidiam , qua tamen haud caruit, ſuſtineret. Iam verò quantos labores, quot pericula bella Regibus afferant , quis ignorat? Quàm ſæpe coguntur ipſi ſuis hoſtibus occurrere ! quàm ſæpe ſuorum corporum objectu aditum illis præcludere , ſi gloriam , ſi imperia , ſi libertatem ipſam retinere velint ! Ne verò Alexandros , Cæſares , Conſtantinos , Carolos & illa antiquitatis lumina proferam , vultis A. A. infœlices noſtrorum Regum pùgnas commemorem ? vultis Philippi Valeſij lugendas clades ? Ioannis & Franciſci captivitatem ? Henricorum continua certamina ? Sed hæc etiam fortè vetuſtiora. Cui commiſerationem ſæpe non movit ille Rebellium ac Tyrannidis vindex Ludovicus Decimus-tertius? qui , quamvis malè affecto corpore debilis eſſet, tamen in ambitu Gallię ſuis hoſtibus quotannis occurrebat : Alpium aſperrima juga conjunctis validarum gentium armis occluſa , non igni & aceto , ſed pluſquam Herculeâ fortitudine pervadebat : qui no-

vissimé, cùm iam morti proximus esset, hyemâ sævissimâ, altissimas nives calcabat: maxima itinerum, quæ glacies fecerat lubrica, spatia peragrabat: immensum Pyrenæi montis frigus patienter ferebat, vt imparatum hostem invaderet, & egregio facinore suis optatam pacem maturaret? Quis tam durus ac ferreus fuit, vt non ingemiscceret, cùm ante aliquot annos Invictum eius Filium, in quem magnarum virtutum semina cum fælicitate transfudit, à patriis focis, dulcissimíque Fratris amplexibus cum Optimâ Parente avulsum vidit, vt in vltimis huius Regni finibus veniens bellum exciperet, & hostem reprimeret novi Ducis auspiciis, & emptâ nostrorum Sociorum defectione exultantem? Quis eum cum lacrimis præ gaudio profusis ante triduum non excepit; cùm ingenti provinciâ, cuius si qui motus extitissent, huic amplissimæ civitati, totíque Gallię periculosi fore videbantur, per durissimam tempestatem aditâ, paucísque diebus sedatâ, magni Patris imitator, bellorum, antequam nascantur, confector egregius, & ipsum ordiens Herculem reversus est? Quid alias expeditiones, quas ante reditum & quietem ipsam in ea ætate iam

meditatur, nec intermiſſam pacandi Regni ſollicitudinem loquar? quid cruentas obſidiones? quid aſperrima certamina, in quibus inauditæ fortitudinis Principes ſæpe verſati ſunt, commemorem: Num quidpiam ſimile bona pax attulit aliquando? Hæc otii ac ſecuritatis parens eſt: hæc Maieſtatis Regum nutricula: hæc pro belli expeditionibus ruris amœnos receſſus, pro caſtris viridaria: pro lugubri tubarum ſono ſuaves muſicæ concentus: pro militari tumltu ſaltationes & ſpectacula: pro excubiis ſomnos & volúptates: denique pro rerum omnium inopiâ rerum omnium copiam & ornamenta ſupoeditat. At, inquiunt, eſto: nulla Regis agantur commoda: num tempus illud Optimatibus quoque infructuoſum eſſe contendes? Intelligo A. A. in quàm dubio difficilíque loco verſer. Veſtræ tamen excellenti prudentię confiſus ea dicam, quæ imperitæ quidem multitudini dura fortè & gravia, ſed ſapientibus viris æqua iuſtáque eſſe videantur. Quid ergo? Princeps, qui ſuâ ſcientiâ complecti cuncta non poteſt, amicos non parabit, quorum conſiliis ac fide ſuam fortinam regat? Num iſtud factum eſt aliquando? certè nunquam. At quis neſcit virę quidem

dignitatem illis adeſſe, ſed ſplendorem quoque dignationis conſtare oportere? illos ideò eſſe invidię opportunos? non poſſe ſecuros vivere, ſi Principis dominatio difficilis, & malè conſtituta fuerit? quin potius infælicis Imperii omnem invidiam ſuſtinere: quòd Regum tale ſit ingenium & conditio, vt adverſos caſus ſuis tribuant, ſecundos fortunæ ſuæ? Ecquando potior Adminiſtrorum fortuna fuit, niſi cùm Regum non adiutores, ſed emunctores, non populorum tutores, ſed deprædatores, ac δημοβόρους ſe præſtiterunt? Agrippa, licet pacis artibus eſſet deſtiturus, samen ab armis ad otium Auguſtum ſedulò impuliſſe memoratur. Ita-ne verò per Deum immortalem viri Romanâ Religione ſancti, quos Optimus Pater, & vir in æſtimandis hominum ingeniis acerrimus, longo vſu comprobatos clariſſimo Filio Conſiliarios adiunxerat, quos virtus & prudentia velut impuberis Aulę Cuſtodes retinuit, in deum pietate tam deſtituti, fide in Principem, & in ſuos amore tam vacui, iuſtitia in omnes ita perditi, & immanitate quadam efferati eſſe credantur, vt pacem, cuius gloriâ & artibus maximè antecellant, oderint: bellum verò, tórque belli ſcelera

& calamitates ament: eáque fovere, ac vel minimùm protrahere velint? vt tot cædes & ſacrilegia, tot rapinas & incendia, quibus mederi opis humanæ non eſt, coercere, cùm poſſint, negligant? Quis enim fortunas tot ſpoliatis, quis decus tot violatis, quis animas tot trucidatis mortalibus reſtituat? Nouerunt, credite, candida & læta omnia illis ſuccedere, qui ſummam poteſtatem modeſtiâ temperant: noverunt firmiſſimum eſſe imperium, quo obedientes gaudent: eſſe munimentum inexpugnabile, non egere munimento: pulchrum quidem & excellens eſſe, eminere inter illuſtres viros: ſed ſanctum conſulere Patriæ, parcere afflictis, orbi dare quietem, & ſæculo pacem ſuo: illum eſſe virtutis apicem: hac peti cælum viâ. Quid multa? noverunt iniquum eſſe, non Regnum & Cives, ſed Dominationem & Seruos cogitare: per acerba belli tempora multorum iracundiam concitare, periculoſum: turpe & invidioſum publicis damnis creſcere: populum diligenter inquirere in mores, ſubitáſque fortunas obliquis oculis intueri. Adde varios caſus: adde rerum mutationes, quæ tunc cribriùs accidunt. Metuuntur ſortes, ne populos inopiâ exaſperatos ad

arma

arma concitent: ſapientes, ne quid occultè machinentut: iuſti, ne plus famæ, quàm neceſſe ſit, conſequantur. Hęc ſunt egregia commoda, quæ Principes, hæc pręmia, quæ Optimates è bello percipiunt, multiplex rerum neceſſitas, aſſiduus & ingens labor, adverſa fama, à ſuis odium, periculum ab exteris, ab omnibus invidia, denique non intermiſſa trepidatio, quâ eorum animi cruciantur. Et quoniam de commodis ſatis, vt opinor, fusè dictum eſt, iam, quâ cupiditate glorię bellum duci poſſit, videamus. Atque, vt optimè ſcripſit Saluſtius, bellorum, quibus humanum genus divexatur, ex hac labe pleráque invehuntur. Gloria quippe tantâ luce pręſtinguit hominum oculos, tantáque pulcritudine eorum animos capit, vt eorum pręſtantiſſimos ad quodvis adeundum periculum præcipites ferat. Hac enim virtute ſe mortalium cęteris maximè antecellere putant: quòd illis nulla videatur humana voluptas ad immortalis Dei felicitatem propiùs accedere, quàm delectatio, quæ ex gloriâ percipitur. At cùm varia ſit hominum conditio, eadem meritorum fama omnibus aptè convenire non poteſt. Laudatur Alexander, quòd exiguo Macedoniæ Regno Aſiam armis adiecerit. Celebratur Annibal, quòd

Romanos magnis cladibus affecerit ; faciliúſque patriâ, quàm hoſte caruerit. Prædicatur Cæſar, quòd terrarum orbem triumphis devinxerit. Num eadem gloria Principes fœminas decet? Recordamini A. A. quibus moribus Blánca, illa Francorum quondam Regina, clariſſimam ſui nominis memoriam poſteris reliquerit. Illa, coniuge mortuo, ciuilis belli fluctibus ſubitò iactari cœpit; dum Principum, qui è ſtirpe Regiâ orti fuerant, alij impuberis Ludovici tutelam mulieri contra huius Regni leges delatam querebantur: alij peregrinam matris originem ſuæ cupiditati prætendebant. At cùm omnes prudentiſſimè fortiſſiméque ſedaviſſet, tanto deinde otio, tantâ bonorum virtutúmque copiâ Galliam ornavit, vt ſe filiúmque ſuum ad ſummum gloriæ & felicitatis culmen evexerit. Quid? ANNA veſtiſtigiis Blancæ, non inſtitit modò, ſed illius gloriam & facta longè anteceſſit. Multa quidem communia occultâ Dei voluntate vtríque acciderunt. Nam vt omittam genus & fortunam parem, ambæ Ludovicorum matres, ambæ coniuges extiterunt: ambabus liberorum tutela cum Regni curâ maritorum teſtamentis delata eſt: ſed in eo maximè diſpares, quòd illa conjuratos in ſe Principes

diſſoluit, hæc ſuâ bonitate perfecit, vt vix vllius invidiam concitaverit. Illa, dira bella feliciter confecit: hæc Galliam, quam acerbo ſui coniugis caſu vehementer concuſſam acceperat, in maximis externi belli tempeſtatibus immotam conſervavit. O felicitatem inauditam, quæ in illo dominationis flexu nullam offenſionem pertulit! Cui verò dubium eſſe poteſt, quâ mente Regnum adminiſtret, ſi meminerit, quos mores anteà præſtiterit? Quis enim tranquillitatis amantior? quis ad ſanctitatis normam formandæ vitæ addictior vnquam fuit? Ex quo verò ad omnium ſalutem procurandam accedere coacta eſt, quàm ſollicitè per Legatos vbíque terrarum pacem vrgere non deſtitit! Quantis ſumptibus ac diſpendiis cum hoſtibus pridem paciſcitur? quot oppida, quàm ingentes terrarum tractus nobis armorum iure quæſitos Germanis reſtituit, vt illos ſuis malis eriperet, & eorum animos ad antiquam fidem & nobiſcum conſenſionem revocaret? Quàm diligenter ac religiosè ſurgentes Galliæ motus compoſuit! Nam cùm ad pietatem omnia ſua conſilia referat, quid illi optabilius accidat, quàm omnia bellorum incendia reſtinguere? quid glcrioſius, quàm in concordiam reducere Principes, quorum

certamina propè dicã impia iam affinitas & cognatio facit? quid ſapientius, quàm robur illud, quod Gallia cum ex coniugis tum ex Nati ſui victoriis tantum hauſit, vt contra genus humanum, ſi in vnum cogeretur, iam ſola ſtare poſſit, velut trabali clauo defigere? Vt ſtudeat paci, in cuius ſinu Liberi tutiùs adoleſcant, admonet prudentia: vt longiori bello vexati populi ſubleventur, depoſcit bonitas: vt flagitia, rapinæ, cædes, latrocinia, quæ belli vis inferre ſolet, coerceantur, clamat juſtitia: vt erigantur afflicta, ſoluta ſarciantur, confirmentur debilitata, vrbibus frequentia, agris ſecuritas, auctoritas legibus, omnibus quies & copia reſtituatur, eius humanitas poſtulat. Hæc quidem dies animo noctéſque cogitat; his mentem aſſiduè defixam tenet. Ideo-ne tamen feliciter cœpta, præpoſterè interturbet? Ideo-ne pacem in mediâ victoriâ gravioribus jacturis redimat? An fructus armorum tanto labore comparatos abjiciat inconſultò? Socioſ-ne, quos noſtra virtus & fortuna fidos invénit, aut fecit, victis hoſtibus nefariè prodat? Perpetuum poſteris ludribium debet Henricus Secundus, quòd ſuorum popularium precibus victus, ducentas vrbes, inſulas aliquot, integráſque Provincias Hiſpanis Cameracenſi Pacifica-

tione reſtituit. Tu, verè fortis Mulier, alieno ſapis exemplo. Tale nimirum dedecus præcaves: ac peritos nautas imitaris, qui, procellâ ſæviente, navigationis curſum non remittunt, licet propter maris jactationem vectores interdum nauſeâ laborent; quòd illam ſtomachi injuriam vicini portûs hoſpitio facilè reſici poſſe intelligant. In hac temporum difficultate invictum animum tantiſper ſuſtines, dum omnis animorum tumor reſederit, & impedita negotia ad felicem exitum evoluantur. Plebs quidem præſentibus rebus nunquam læta; pacem & bellum perinde gravatur: illam continuò ſuſcepti laboris pœnitet, nihílque non concedat,

In tabulas dum Scriba refert,

quod quidem Michaël Hoſpitalius Franciæ Cancellarius non ità pridem ſapienter cecinit;

——— quia cæca voluptas
Impedit, averſámque aliò rapit improba mentem.
Quid deinde, quid accidit? *—— pòſt nube fugatâ*
Ex oculis, ſerò incipiunt diſcernere venum,
Promiſsis condicta dies cùm venit amaris;
Et linquendus ager quæſitus ſanguine multo.
Tum queritur ſtultè, nimium properata fuiſſe
Fœdera: nil victis & nil ſperantibus ultrà
Durius imponi aut gravius poſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Quæ gaudia Hiſpaniæ, quos metus Galliæ Patris interitus, Liberorum orbitas, Matríſque luctus ante ſeptem annos attulerit, quis ignorat? Spes hoſtium in ventos abiit: noſtríque metus in ſecuritatem converſi ſunt. Auſpice Reginâ non tantùm ſibi prior conſtitit felicitas, ſed etiam magna rebus acceſſio facta eſt: non modò ſervati ſunt limites, ſed tanto longiùs propagati, quanto plura belli gerendi præſidia defeciſſe videbantur. Nam quantulæ opes præ ſuperioris Aulæ abundantiâ nobis ſupererant? Regnum florens aderat Patri: ætas aderat bello & magnis rebus gerendis idonea: aderat multis parta victoriis ingens nominis auctoritas. Rebelles perdomiti, frænatus oceanus, profligata Britannia: quid deinde? ferro perruptæ Alpes, non ſemel in libertatem aſſerta Italia, infractum Germaniæ robur, & Hiſpani faſtûs compreſſi gloria prope invictum Patrem famâ extulerant. Filio vix cunis exempto Regnum pecuniâ vacuum, & prope exhauſtum iuventute obvénit: obvenerunt lacrimæ, Matríſque ſolitudo: obvenit inſueta rerum adminiſtratio, quæ hoſtis efferati animos erigebant. Quid tamen in hac rerum mutatione & inopiâ nobis ereptum eſt? Ereptum dico? quid labefactum? quid

vel minimo metu agitatum? Hæc inter ſe contendite A. A. & Parentis facta rebus à Filio præclarè geſtis vix paria, certè non majora reperietis. Quoties enim ſub Patre facta trepidatio? quoties afflicti exercitus? quàm ſæpè vaſtati fines? quot vrbes ab hoſtibus occupatæ? Hoſtium caſtra, caſtra, inquam hoſtium in hujus vrbis conſpectu propè poſita vidimus: quo tempore disjecti muri, & bellicâ ſupellectile vacuum Armamentarium cernebantur. Quid ſub Filio ſimile? Vbi-nam remiſſus eſt victoriarum impetus? Quid hoſtium inſultus, expirante LVDOVICO, egregiè contuſos? quid Auguſtis Manibus gloriosè parentatum dicam? Quid in tam diſſitis locis capta oppida? terrâ marique Belgis erepta commoda? purgatum Piratis oceanum? ſecuritatem noſtris littoribus redditam? commeandi copiam, quæ tandiu illic defuerat, humano generi reſtitutam loquar? Ad quam Filij gloriam, Pater tot Rebellium domitor, tot externarum gentium victor, diu aſpiravit, non pervenit. Moſa, Rhenus, Danubius, & Iberus aperti: ſepties & ampliùs acie directâ devicti hoſtes: Theonvilla, & Gravelinga fortiſſimæ vrbes expugnatæ: Vangionum ac Nemetum cum validis arcibus occupati fines: Motta, quæ

importunâ Prædonum colluvie ferox pridem bacchabatur, exciſa: Dunkerka, fabuloſis omnibus æquorum monſtris immanior, conſtricta: tot aliæ vrbes, tot Germaniæ tractus armis acquiſiti tantam pupillo Regi gloriam pepererunt, vt à Patre vincendi ratio incoata, à Filio propè perfecta fuiſſe videatur. Non anteà debilitatæ vires, non puerilis ætas, non regnandi pugnandíque rudimenta, vincendi moram attulerunt: pari felicitate vetera ſervavimus, quæſivimus nova. Et certè quemadmodum in aliis rebus, oblatâ materiâ, prodeunt artes: ita magnitudo imperij, & ars excellentis potentiæ ſimul comparantur, & vtræque ſeſe confirmant. Vt enim per imperij ſcientiam habet incrementum potentia: ita cum potentiæ magnitudine roboratur imperij ſcientia. Hæc ideò dicta eſſe velim A. A. vt recordemur quantùm Deo Opt. Max. debeamus, qui Regi conceſſit, vt ſuam ætatem, quæ multis caſibus obnoxia erat, ſplendore victoriarum obtexerit: vt inter plauſus, ſtudiáque Gallorum, inter victrices lauros ad ſuam tutelam jucundiùs adoleſcat. Quoties enim luctuoſa tempora, quibus ſub pupillis, alio-ve caſu debilitatis Regibus Gallia quondam conflictata eſt, mihi in mentem re-

deunt, toties Reginæ Regentis felicitatem, toties ſapientiſſimi Principis bonitatem admirari ſubit. Nam quæ contentiones animo-Aulam diviſerunt? quæ Magnatum longiùs facta ſeceſſio? quæ factiones eruperunt, quales Arminiacis & Aurelianenſibus inter ſe ferro ſævientibus aliquando exarſerunt? Tam inaudita fuit in omnibus animorum conjunctio, tanta fides cum fortitudine conſilióque ſingulari copulata, vt, quo tempore periculosè Regnum conturbari, & in partes ſcindi poſſe videbatur, mirificè confirmatum, & novis animis, & armorum gloriâ non mediocriter auctum fuiſſe cernatur. Conjicite oculos in circumjacentes populos A. A. & ex eorum miſeriis noſtræ conditionis felicitatem percipite. Britanni in ſua viſcera manus armatas impiè converterunt: medullitùs exuctam Germaniam victores exſpoliant: Italiæ lugentis vltima & media bellum ac ſeditiones pridem populantur: tot cladibus, támque diverſis malis conflictatur Hiſpania, vt hodie tam exitio, quàm nuper imperio propinqua eſſe videatur. Hæc tamen, licet vndique contuſa ſit, Galliæ victrici cedere nondum poteſt; pervicaciter bellum inſtaurat: & pacem, quæ, ſi victori expedit, victo neceſſe eſt, æquis conditio-

nibus toties oblatam ſuperbo ſupercilio reſpuit. Hæc nimirum eſt illius antiqua vafrities: ſpeculatur bellorum caſus: ſperat Gallorum temporarios impetus ſe patientiâ ſuâ eluſuram. At iam contrariis artibus certare didicimus. Novimus enim patientiâ mediocriter exercitâ quæſita omnia conſervari: jucundæ pacis commoda ſine ſumptibus non poſſe nobis contingere novimus. Accepimus ab Auguſto, Principum ſapientiſſimo, multa fuiſſe paulò acerbiùs tolerata, priúſquam militem donis, populum annonâ, cunctos otij dulcedine pellexiſſet. Intelligimus famam, quâ precipuè bella ſtant, victoriis alendam eſſe diligenter: noſtróſque Socios continuis ſucceſſibus in fide retineri oportere: quòd, proſperis rebus, ad obſequium certaturi, adverſam fortunam omnes detrectabunt. Nobis victoribus devictos hoſtes, qui ſuas calamitates patienter perferunt, proponimus imitandos: vel potiùs æmulandos vectores, qui, ſæviente tempeſtate, navium foros non incurſant, ne munia nautarum interturbent: ſed ſilentes ſuáque patientiâ involuti conquieſcunt, donec gubernatoris induſtriâ ex vndis erepti portui reſtituantur.

Eò quidem nos A. A. eſſe brevi perven-

turos ſpes non mediocris obijcitur. Nam quantò magis alter Principum qui decertant, ad lætam iuventutem cum ſuorum alacritate erigitur: tantò magis alter cum moriente Hiſpanorum fiduciâ ad ſegne frigus ſenectutis inclinatur: & quantò fortiùs huius florentiſſimi Regni robur curis ac laboribus Sapientiſſimæ Reginæ Regentis in vnum conjungitur, tantò laxiùs hoſtium vires inteſtinis odiis diſſolutæ diducuntur.

LAVDATIO FVNEBRIS
LVDOVICI XIII.
GALLIÆ REGIS.

Eius Anniversarij die in Academiâ Parisiensi habita.

QVANTVM doloris bonis omnibus acerbum LVDOVICI IVSTI funus attulerit, hæc vestra præsens mœstitia A. A. Galliæ continuus & in hoc anniversarij die recrudescens luctus, ac miserabilis facies satis indicant. Illi funebres apparatus, delubra pullis obscurata velaminibus, atrati exercitus, vrbium ac Provinciarum in inferiis dandis studia multis retro Principibus contingere quidem potuerunt:

at lacrimæ, & iugis omniũ ordinum mœror; quem ingentes victoriæ, opportunè repressus hostis, munitísque vrbibus spoliatus allevare non potuit, hæc non esse consuetudinis aut ostentationis mortua pignora, sed acerrimi doloris argumenta testantur. Iacet quippe communis parens, quem vis morbi sæviſſima, & maximi labores nostræ securitatis causâ susceptí confecerunt. Extinctum est Europæ lumen, Christianæ Religionis vindex, publicæ libertatis assertor è medio sublatus est. Cecidit heu! atrocium bellorum, quibus circunsidemur, propugnaculum: periit illa virtus, quæ ferocientes hostium animos contuderat, quæ fregerat eorum tremendos conatus, quæ non Galliam tantùm, sed vniversum etiam Christianum orbem ab eorum imminenti iugo vindicarat. Quo tempore Princeps optimus sibi videbatur ab omni anxietate, & diuturnis bellorum curis in sinu securæ pacis, & in vmbrâ palmarum suarum respiraturus liberè, & acquieturus in educatione liberorum, quos Deus Opt. Max. & illius, & optimæ Reginæ pietati, Galliæque precibus tandem concesserat: quo tempore, inquam, populos omnium rerum copiâ se beaturum esse sperabat, ô spes hominum fallaces! impor-

tunâ morte correptus eſt : labores graviſſimos ad vltimum vitæ ſpiritum pertulit ; nos proximæ pati ſenſibus omnibus inhiantes deſtituit , & graviſſimi belli difficultates puero ac viduæ reliquit euoluendas. Hæc cogitatio quoties ægrotantis animo recurrebat (recurrebat autem ſæpiſſimè) pungebat acerrimè. Neque enim illum ſibi , ſed ſuis natum fuiſſe , cùm tota vitæ ratio , mortis contemptus , ac deſiderium , quod tum præ ſe tulit , ſatis indicat : tum verò reſtitutio omnium , quos gravis timor à patriæ ſinu abduxerat , & liberorum , populorúmque tam ſæpè regni Proceribus repetita commendatio. Quod ſi mors ætate confectum nobis illum eripuiſſet , eſſet id quidem ferendum æquiùs , quod fatorum neceſſitas fecit omnibus commune : cùm verò immaturum funus maturo robori & virtutibus iam pridem adultis & florentibus inviderit , & nos tanto præſidio , tam infauſto tempore multauerit , quid ſolatij , & vnde miſeris petere licet. Sanè quemadmodum virtus Principem amabilem , & res ab eo præclarè geſtæ admirabilem , dum viveret , illum vobis effecerunt : ita quóque iucundâ earum recordatione mortui deſiderium mitigari poſſe exiſtimabam : ſed quantùm pietas ad hoc

ſuſcipiendum munus animum meum impellit, tantùm profectò acerbi doloris ſenſus me revocat, ac mœror, qui meam mentem perturbat, dicturo vocem intercludit. Nolite igitur expectare, A. A. dum res multitudine diverſas, & varietate innumerabiles veſtris oculis luctu debilitata mea ſubjicere poſſit oratio: & in vnius horæ ſpatium ea congeram, quibus indicandis integri dies non forent ſatis. Pictorum induſtriam conabor æmulari, dum quos Iovis aut Herculis imaginem meditantur, ſæpè tabulæ brevioris auguſtiæ cogit in arctum omnia corporum membra ita contrahere, vt tamen ſingulis partibus ſua ſint amplitudinis veſtigia, operíſque totius ingeniosâ brevitate vix aliquid numinum majeſtati detrahatur. Non dicam ea, quæ noſtro Principi cum aliis fortuna fecit communia: licet enim longior avorum Regum ſeries, & horum ſanctitas, illorum autem fortitudo, omnium ſumma nominis commendatio cum virtute tranſmiſſa ad poſteros perfectum Principem efficere poſſint: tamen, quòd iſta quodammodo aliena eſſe videantur in Rege ſuis ipſius bonis abundanti, & quòd virtute, non ſorte regnandum ſit: ſceptróque gubernari amemus, non quod felix tantùm nata-

lium ſplendor indulſit, ſed etiam quod animus & iuſtitia confirmavit: iſta, inquam, plus oſtentationis, quàm veræ laudis tribuere conſueverunt. Pietatem ac Dei cultum dare potuit Sanctus Ludouicus, fortitudinem ac felicitatem Henricus Magnus, ſibi tamen Ludouicus Iuſtus debet ea, quibus magno dignus imperio iudicetur. Nam cùm tria præcipuè ſint quæ maximum Regem probent, regnum ex infelici felix factum, ex infirmo ac debili maximum, ac potentiſſimum, & eiuſdem, vbi & firmiter conſtitutum eſt, & gloriosè amplificatum iuſta ſit & prudens adminiſtratio, quid tandem horum omnium non ita præclarè præſtitit, vt illius Principis, qui manu pacem & bellum gereret, nutúque regeret terras & maria, imaginem præ ſe ferret. Atque vt præclara vincendi rudimenta, quibus ipſe ſibi prælu-ſit, antequam inauguraretur, prætermittam, quàm dubia eſſet rerum fortuna, cum firmiore dextrâ per ætatem ſuum tenere ſceptrum cæpit Ludouicus, quàm luctuoſa brevi futura videretur Galliæ conditio, quis ignorat? Vis & metus foris ingruebant, furor & ſeditio intus alebantur. Quid dicam faſcinatos animos patente ſemper fugæ ac defectioni in Nouatorum Mœnibus perfugio?

gio ? Nam cum ea ſit noſtræ gentis indoles, vt bellicos motus ſemper appetere dicatur : tum verò vbi novarum rerum ſpes non mediocris affulſit , eò fertur vehementiùs , quò firmius præſidium ſe nactam fuiſſe arbitratur. At quis vnquam maior rebellionis fomes , quæ factio potentior in Galliâ potuit exiſtere , quàm quæ innumeris confiſa vrbibus , vetuſtate corroborata, animata falſo quidem , ſed obſtinato & ardenti religionis ſtudio , continuis Hiſpaniæ opibus furtim nutrita , toto Britanniæ robore adiuta palam , imaginem regni in medio regno moliebatur : quæ tam latè diffuſa erat , vt hinc in Pyrenæis ſaltibus ſtabularet , illinc occuparet optimos regni portus , vrbes in agris , arces in montibus iam pridem detineret ? Blandiendum erat huic ſerpenti , qui tumido inflatóque collo morſum perpetuò minabatur : eius furor aut eludendus ſimulatione , aut mitigandus patientiâ. Quoties Regia contempta Majeſtas ? quoties calcata rebellium pedibus edicta Regia ? dicam novos authoritate privatâ creatos Magiſtratus ? cuſa numiſmata ? cum nationibus exteris pacta fœdera ? Nam cùm præceps , & ſui impotens ſit hæreſis , vbi dominandi poteſtatem

nacta eſt, ſævit ferociter, & impunitatis libidine violenter exaſperata crudeliſſimè debacchatur. Tunc ſanè bonorum animis recurſabant illa luctuoſa tempora, quibus latis non bellorum, ſed deprædationum ciuilium incendiis Gallia, quanta eſt, miſerabiliter deflagravit: quibus ab immani armatarum furiarum agmine vaſtabantur agri, diripiebantur vrbes, boni mactabantur, templa ſacráque omnia nefariè profanabantur. Quid? his ſimilia vel etiam peiora legitimus timor obiiciebat. Quot enim in familiis contentiones? quot tumultus in oppidis? quot ſeditiones in Provinciis illa fucatæ Religionis larva iam accenderat? Enimverò illa centiceps bellua erigere ſeſe, viréſque metiri: iam ſuorum orgiorum rupem immotam prædicare, palam gloriari, palam inquam. Erat in ſpeculis, vt ſuum virus, quod benignitas pacis retundere ſolet, opportuno tempore latiùs diffunderet: tanta denique potentia illius eſſe credebatur, vt noſtri Principes impoſterum precariò regnaturi eſſe viderentur. Iam verò quis tum patriæ ſtudioſus imperij ſciſſas vires, debilitatum robur, & Gallici nominis gloriam penè iam emarcuiſſe domeſtici metûs causâ non ingemuit? quis non luxit

apicem rerum dubio perennique motu vacillantem ? Hæc, si infelicitatis nomine non veniant, qui luctus igitur, quæ miseria nominabitur? Mihi quidem tot irritum factionibus Imperium, tam fœcundam bellorum ciuilium lernam consideranti videtur, ex his malis Galliam nunquam fuisse emersuram, nisi Deus Opt. Max. cui præcipuè curæ est eius conservatio, altero, vt quondam in Anglos, miraculo, succurrisset. Et certè si tota belli ratio attendatur, quot divinitus peracta reperientur. Quot enim difficultates Ludovici pietas sustulit, quibus armorum victa vis succubuisset. Frænatum putatis Oceanum mortalium industriâ ? operosum illum aggerem in mediis fluctibus steterisse tamdiu, quamdiu ad illud Rebellionis caput expugnandum opus fuit : hostium incendia ad nostrum opus comburendum parata in navigiis, in suos authores nostris manibus fuisse revoluta ? Hæc sunt Regiæ pietatis certa opera. Hac virtute suadente Tu, Princeps optime, bellum illud suscepisti: hac ordinante incoasti : hac duce feliciter confeciſti. Tu Excetram illam tot capitibus vallatam, tot munitam arcibus, tanto tuorum sanguine saginatam Herculeâ manu

edomuiſti. Tu eandem trecentis vrbibus & ampliùs ſpoliaſti, ſpoliatam exarmaſti, exarmatam extrà vrbes interim eieciſti, donec aut virus ſuum penitùs expuat, aut è noſtris finibus elata tranſcribatur. O facinus ſuprà fabuloſa Herculis facta longè prædicandum! Cedat illa palus repullulanti capitibus monſtro nobilis: fidem conſtare neſcimus auditis: Ludovici ferro periit lues, quàm ſenſimus. Illius armis effectum eſt, vt in familiis pietas mutua refloreret, in agris ſecuritas, in vrbibus concordia, certa pax in regni partibus vniverſis. O potens quidem manus, ſed ô maior prudentia! Quot enim bella ciuilia, antequam naſcerentur, in hoc vnico bello confecta ſunt! quoties ab interitu ſervata Religio? quoties regni ſalus, quæ ſæpè nutaviſſet, confirmata? Quid ergò periculi, ô patria, in te ab eo relictum eſt? In te Tyrannides naſcebantur, præfocavit: tua viſcera peſte putreſcebant, repurgavit: vlcera paſſim diffluebant, velut candente ferro ad viuum reſecuit: quid plura? tuæ felicitatis fundamenta ſtabiliuit, effecit vt timere deſineres: vt tuos portus hoſtibus vacuos teneres, ſperaréſque certiùs tuorum liliorum decus fore ſempiternum. Quibus ergo titulis tot ac tanta me-

rita compensabis? Augusti, Parentis patriæ, Magni, Invicti, Felicis nomina congere: hæc omnia tantam gloriam non implebunt. Octavius Pompeij filium devicit quidem, at paucis ratibus Piraticam exercentem. Fugavit Antonium, sed Alexandrinis deliciis Ægyptiacâque fractum libidine. Populo Romano pacem restituit, sedatis civibus & exteris, at multo sanguine. Ludovicus Angliam ampliùs mille navibus fluctuantem, obstinatis animis, incensísque velis nostras insulas portúsque invadentem partim cecîdit, partim demersit, penitus profligavit. Rupellam, hoc est, Tyrannidem erectis in cœlum mœnibus immaniúmque fossarum altitudine vallatam, trium regum irrito conatu, & iam frustrà consumptis in se viribus efferatam, duorum regnorum opibus & armis superbientem repressit, contudit, debellavit: pacem Galliæ restauravit, suos omnes conservando. Ludovici pater Magni cognomen promeruit, quòd afflictum regnum erexisset: filius ne vllatenus conflictaretur, maturè consuluit. Pater ex vnius hostis faucibus eripuit; filius magno parente maior, ne trium prædonum rapina fieret providit, tantísque viribus instruxit, vt deinceps, & ad suorum securitatem, &

ad tutelam ſociorum & ad hoſtium cladem valentiſſimum eſſe videatur. Benè habet, iacta ſunt magni Imperij fundamenta: pe-riere metus domeſtici: Galliam morbus in-teſtinus intrà ſe occupaverat hactenus: at ab eo iam convaluit: iam ſui roboris inte-grâ mole ſubnixa lacertos fortiter movet, aëria ſcandit montium culmina, vorticoſos fluminum gurgites ſaltu increpat, ſylvarum penetrat profunditatem, ſuccurrit Italiæ, tuetur Germaniam, Hiſpaniam quatit, po-pulos excitat ad libertatem, multos nume-roſóſque alit exercitus, & velut toti Europæ dominatura aſſurgit terrore decora maje-ſtatis. Quot & quanta mihi ſe ſe ſimul ob-jiciunt! Quid primùm dicam? aut vnde potiſſimùm ordiar? Vt verò in tanto re-rum oceano curſum teneamus, memine-rimus oportet, quo molimine, quibúſ-ve machinis hoſtes noſtri hoc imperium inde-ſinenter expugnare meditentur. Cùm igi-tur furtivis largitionibus Rebellionem il-lam, de quâ iam multa diximus, in medio Galliæ ſinu fovere ſe, ac tueri poſſe deſpe-raſſent, animum aliò ſtatim converterunt, vt, ſi domeſticis diſſenſionibus attenuare nos ſibi fas non fuiſſet, at ſaltem occupatis finibus, premere vndique velut indagine

cingere, ſpoliare ſocios, & auxilij mutui commercium nobis eripere conarentur. O fœcunda ſemper malis artibus Hiſpania! ô dominandi libido inexplebilis! Hæc à ſæculo Europam quatit, hæc Galliam ſuæ dominationis obicem indeſinenter vexat, hæc eam in arctum ità iam compreſſerat vt eius limites obſeſſos teneret, vt ab eâ ſummotis medio ſuæ ditionis obiectu fœderatis, eam velut membris amputatis debilitaret: vt eadem immobilis, impoſterum opprimi facilis, & trunco non frondibus vmbram tantùm effectura videretur. Mirabatur orbis Chriſtianus in quam vmbram ingens illa, quâ quondam claruimus, gloria defluxiſſet: quàm brevibus ſpatiis noſtra virtus bellica clauderetur: hinc illam Varo eſſe definitam, cui fretum Byzantinum, cui Palæſtinæ arces, & totius Aſiæ robur olim ſuccubuerat: Illinc Aſiæ & Matronæ fontibus hodiè terminatam, quam nec Rheni quondam, nec Albis gurgites compreſſerant. Socij trepidabant Italiæ Principes, Germania ſervitutis iugum ſibi ſenſim imponi querebatur. Dicam-ne multas à noſtro fœdere deſciviſſe Dynaſtias? amicitiáque noſtrâ deſpectâ, prô dedecus! ad hoſtium partes transfugiſſe? Si rapidiſſimus ille felicitatis

ventus Auſtriacæ ambitioni diu aſpiraſſet, an dubitare poſſumus Galliam olim fuiſſe laboraturam, Socios libertatem amiſſuros, & Europæ maximam partem ceſſuram illi Monarchiæ, quam ſuperbienti dudum oſtentat felix rerum conditio ? Iam ſe de gloriâ tantùm certare Hiſpani iactabant: bellum inferre, non pati : Galliam atque adeò omnia habere ſub ictu, & ſui faſtûs ſupercilio, velut Atlante, Catholicam Religionem ſe ſuſtinere iactitabant. Inſtare tempus aiebant, quo pridem fauſta ſyderum coniunctio magnum imperium promiſerat ; Belgicus Leo nunquam tam avidos rictus expanderat, nec Aquilæ Auſtriacæ maior vnquam volatus fuit. At quàm fluxæ ſint ſpes hominum, & fallaces, arguit breve temporis ſpatium ; & iuſtus Rhamnuſiæ tenor improborum felicitatem longè procedere nunquam ſinit. Senſit, ſenſit vltorem Ludovicum Hiſpania : offendit ambitionis ſcopulum : temeratæ pacis pœnas luit ! Principem confœderatum & affinem Galliæ iam maximâ ditionis parte ſpoliavetar : inhiabat cæteris, ſummis inſederat Alpium iugis, & aditum ex omni parte præcluſerat, vt veteres recentéſque prædas confirmaret : Italiam, in quâ

maxima rerum momenta posita esse intelligit, spe iam devorabat: spes omnis in ventos abiit, quæque malè absorpserat ex eius faucibus omnia erepta sunt. Nunquid Mantua, Verua, Casalis posteris futura sunt multatæ rapacitatis & Ludovici fortitudinis æterna monimenta? Primæ incubabat, illinc eiectus est: alteram tentabat, ad eam cæsus est: tertiam ter obsederat, ter quóque cum nominis notâ, & maximâ militum clade castra deserere coactus fuit. Sabaudum in suas partes adduxerat, & vtérque munitos arcibus Alpium apices occuparat, vtriúsque fugam stupuit Susa, cladem Pignerolium. Non semel plusquam Herculeo labore reptata nostris militíbus invia culmina: non igni nec aceto, sed fortitudine & armis perruptæ Alpes, arces hostium disturbatæ, fusi exercitus, territa Genua, Mediolanum magnum victore vicino funditus tremefactum. O térque quatérque felix dies, quâ longos terrores soluit Italia, quâ casus impendentes in suos hostes refudit, quâ proximum excussit iugum seruitutis, suámque libertatem clavis vidit affixam sempiternis. His nostris laboribus adesse finem credebamus; sopiti erant domestici metus, recepti ab

hoſtibus fines, ſocij gloriosè vindicati A. A.

Quis-nam impacatâ conſanguinitate ligavit
Fortunam invidiámque Deus? quis iuſsit iniquas
Æternùm bellare Deas? nullám-ne notavit
Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat
Protinus, & ſævâ proturbet gaudia dextrâ?

Reſpirare cœperat Gallia, ex malis Italia caput attollere, vtráque primo pacis ac libertatis odore recreata, recipere priſtinum robur, & vernantes vultus reſumere, cum ſubitò novis Hiſpanorum factionibus in maiores fluctus, maioréſque tempeſtates ambæ revoluuntur. Quis enim eſt adeò rerum imperitus, vt neſciat inſtigante Hiſpaniæ Legato multos Germaniæ Principes everſos fortunis omnibus, & aris focíſque ſpoliatos? vt neſciat oppreſſas liberas civitates, direptas Provincias, bellis concuſſum ſeptentrionem, ferro ac flammis Germaniam deformatam? Nam cum Germaniæ Principes non ſenſim, ſed præcipiti gradu ſuam ruere libertatem viderent, tunc metu ſervitute erecti ſecuritati parandæ conſuluerunt: coire cœperunt, communicare conſilia, cogitare de bello, & modis omnibus Auſtriacæ dominationi occurrere. Quid faciat Ludovicus? an iniquè tot populos opprimi, perire ſocios, hoſtes trium-

phare ſinet, vt poſteà ſuorum ſpoliis auctì & ornati ſibi ſuperbiùs inſultent? Opem tulit Italiæ, & Germaniam deſeret? illam vltro liberavit, huic fidem imploranti denegabit? Nunquid eius Iuſtitia diſparem in pari fœdere conditionem faciet? Nunquid ipſe multis ſudoribus immania Italiæ clauſtra refregit, vt, quod in eâ ſupererat, tenue præſidium conſervaret, ampliſſimas verò Germaniæ civitates, ac potentes Dynaſtias vetere amicitiâ cum Galliâ coniunctas, frequenter olim dato noſtris in calamitatibus præſidio, ac impoſterum magnæ vtilitati futuras hoſtibus prodet? & in otio languidus, ſui regni limites vndique obſideri patietur? Quis enim in Germaniâ aditus impoſterum relictus erat, Alſatiâ poſſeſsâ, occupato inferiore Palatinatu, Oppreſſis Treviris, breviter vniverſo Rheno flumine, quòd ab eâ propè firmiſſimum Galliæ quondam fuerat propugnaculum, Auſtriacæ dominationi mancipato? Quid, inquam, faciat Ludovicus? Vt ſuorum laboribus parcat, amor admonet, foveat quietem, pacem amet, ſtudeat vbertati: ratio, ne ſociorum bonis hoſtes ditari, perimi auxilia, regnum propiùs premi ac periclitari ſinat, denique ne in otio ignobili

ſuis hoſtibus victimas alat pinguiores. Metum ergo vicit pietas, & ratio difficultatem. Itáque miſſi ſunt exercitus, Rhenus ſæpè traiectus eſt, fuſæ ſunt hoſtium copiæ, expugnatæ vrbes , coercitæ deprædationes, variis in partibus occupati ad commeandum aditus, ſubacta Alſatia, variis præſidiis inſeſſa, Belgæ magnis cladibus contuſi, & rerum conditio adeò immutata , vt, qui cæteris ſervitutem intentabant , eam à ſuis cervicibus ægrè depellere poſſe videantur. Hactenus A. A. ad quantum robur ex infirmitate veteri creverit Gallia videtis: at quæ poſteà ſecuta ſunt, id multò manifeſtiùs probant. Ingens alter mihi campus aperitur, novámque ex copiâ patior in delectu difficultatem. Quid? multatam Auſtraſiam & ſuperbas Nancæi moles nullo ſanguine captas dicam? iterum excuſſus Iber ex Alpibus , Pedemontium domeſtico malo repurgatum, familiæ Sabaudicæ aſſertum decus , & Padus Hiſpanâ cæde cruentatus ſe obijciet. Mottæ pertinax odium effractámque rupem aggrediar? erecta in noſtri maris litore trophæa, in ſuo limine cæſa Hiſpania , & in ſuas iam ſæpè retruſa ſolitudines offeretur. Dicam repreſſas Belgarum incurſiones , vrbes Hannoniæ ful-

minatas, captos Attrebates, deletam maculam Caſtellanæ teſtem iactantiæ, noſtríque notam pudoris, & receptam poſt tot annos Arteſiam? dicam inteſtinâ lite viciſſim laborantem Hiſpaniam, ſentientem ab vtróque latere accenſas faces, ſuo ſanguine non ſemel conſperſos portus, coopertum mare claſſium fragmentis, immanes illas Ruſcinonis rupes expugnatas, Gothalaniam huius Vrbis factam ſuburbanam, liberatam iugo Luſitaniam, ac propè ab interitu latè per orbem revocatam gentem, quæ præ cæteris bellicâ gloriâ, & navigationum longinquarum fructibus non ità pridem floruerat,

Vix novus iſta furor, veniénſque impleret Apollo.

Vnum illud præterire non poſſum A. A. felicitatem Ludovici, eiúſque fortitudinem tanto fœdere cum clementiâ fuiſſe ſemper copulatas, vt, quod pridem maximus ac religioſiſſimus orbis terrarum populus ſibi peculiariter aſſumpſerat, ſubiectis parcere, ſuperbóſque debellare, illi meritò debeatur. Quis enim periit in tantis bellorum fluctibus, tantáque offenſione animorum, niſi quos infelix virtus, & fortitudinis præceps calor illius clementiæ eripuit? Nam vt Lotharingum Builloniúmque Duces tan-

tùm commemorem, Ille, quòd Rheni Mosæque medius esset, & sitûs opportunitate belli sibi videretur arbiter, efferebatur, ac multa in nos moliebatur: hic suæ tenuitatis immemor, belli ciuilis accendere faces, bonos decipere, educere copias, nostros fines deprædari, & nos, proh dolor! nostris armis confodere æstuabat. Quas pœnas contumax in nos odium merebatur? quis veniæ locus apud eum Principem, cuius iustus dolor Rebellionis crimine, despectâ patientiâ, clade copiarum, finium expilatione, sui denique sanguinis iacturâ fuerat exacerbatus? O mansuetudinem inauditam! plus egisti, Princeps optime, ignoscendo vtríque, quàm tot victorias, quibus clarui-sti, reportando. Quæ enim singula diu confecerat, simul in te vicisti omnia. Sua nunc hostis conferat cum tuis facinora: cum humanitate cruentas vltiones, cum benignitate asperitatem, rapinas cum abstinentiâ. Tueris aliena, rapit; ille spoliat, restituis: vi & iniuriis semel occupata sibi seruat, tu contentus tuo nihil vnquam victoriâ quæsitum retines. Hæc nimirum sunt tuæ pietatis, iustitiæ, clementiæ monumenta! hæc indolis verè Regiæ specimina, quæ vim quidem à suis rebus, & iniuriam

ab alienis prohibet: ſed alienis cladibus ad ſuum commodum non vtitur. Ac licet adminiſtrationem regni belli vis conturbare ſoleat: licet nullo vitæ tempore ab armis dimiſſus non ſit; tamen ſuos populos tam moderatè rexit, tam præclaris legibus præſentem ac futuram Regni tranquillitatem fundavit, vt pacis fructus belli ſævitia non impediret. Ecquando pietas ac pietatis parens eruditio magis efloruit? Sanctitatis ſæculum propè dicam intermortuum revocavit. Quis vnquam tot Sacerdotia viris morum integritate & bonorum artium gloriâ ornatis conceſſa audivit? quis tot delubra cum ab eo', tum à privatis eius pietatem æmulantibus, non dicam in medio flagrantium bellorum æſtu, ſed in ipsâ pacis vbertate ſubſtructa & ornata conſpexit? Ipſe verò tam ardenti pietate ſacris interfuit, vt cum Sacerdotibus Dauidis Pſalmos cæteráque diuina officia muſicâ modulatione, quam eo conſilio ex arte didicerat, ſæpe decantaret. Nobilium ſanguine ſæpè cruentabantur vrbes: infanda illa & à teterrimo humani generis hoſte pridem inventa carnificina, quæ in ſingularibus prælíis fieri ſolet, tam pervicax, tam inveterata, tot horrida ſpectacula indies ede-

bat, vt Gallorum invicta natio, quam cæteræ ſimul conglobatæ vix opprimant, ſuis ipſius telis nefariè confoſſa, tandem peritura eſſe videretur. Coercuit tamen, & ità coercuit, vt cauſæ, quibus cruentæ digladiationes accendi ſolebant, animis ad ſapientiam revocatis, faſtidium movere cæperint. Quid cæteras leges de ſacris, de connubiis, de mercimoniis, de monetis loquar? quibus tam prudenter ſuorum popularium commodis proſpexit, vt illis rerum abundantia, ſibi verò belli ſubſidia copioſè ſuffecerit? Adde Regiorum typorum magnificam ac ſumptuoſam molitionem, adde tot ornamenta huic Regiæ vrbi addita, tot alia, quæ pacis artes inter armorum fremitus floruiſſe teſtantur. Neque verò quiſpiam putet optimum Principem laudibus interdum non ſuis fuiſſe exornatum. Nam licet aliquam illius gloriæ partem vnus aut alter ſibi tulerit: licet Cardinalis Richelij prudentia ſub eo illuſtris extiterit, & illius imago cum pleriſque Ludovici factis ita cohæreat, vt, quemadmodum ex Athenienſis Minervæ compactili ſimulacro Phidiæ opificis effigies eximi non poterat, quin omni nexu diſſoluto egregium opus diſſiparetur: atque hæc de illis nequaquam avelli poſſint,

quin

quin illa multum ſui decoris amittant: plurima tamen præſtitit, in quorum partem non amicorum conſilia, non militum virtus, non populárium fides & obſequium, non fortuna ipſa venire poſſunt. Eâ fuit prudentiâ, vt, ſi forſan illi prima ſors ingenij negata fuerit, optimos tamen àmicos, quorum operâ vteretur, comparauerit. Nouerat illud eſſe præcipuum Principis, & à ſapientiſſimis viris pridem celebratum: eum eſſe mortalium ſapientiſſimum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accederè illum, qui alterius benè inuentis obtemperet. Quòd ſi dotes animi, quas à naturâ acceperat, illi per circunſtantium hominum & Adminiſtrorum inuidiam excolere licuiſſet: nec eorum malignâ fraude in ſui diffidentiam, quò demiſſiùs alienis conſiliis vteretur, deductus fuiſſet, ad primam prudentiæ laudem fortè aſpiraſſet. Quoties enim, ea, quæ ſequenda erant in arduis conſultationibus primus excogitauit? quàm ſæpe præſidia, quibus conſulta facilè expedirentur, omnium optimè diſponenda eſſe cenſuit? Erat in eo tantum ingenij lumen, vt aliquando difficilium rerum exitus, in quibus alij, quos ætas & vſus

Coniugi, cæteríſque neceſſariis, ac probatâ fide, certáque prudentiâ ſpectatis viris tutelam liberorum, eorúmque educationem, quaſi ſacrum quoddam depoſitum committebat: his armorum curam, illis cuſtodiam finium & arcium commendabat: aliis fiſci, alijs legum ac iuſtitiæ populo caſtè integréque exhibendæ ſolicitudinem iniungebat: omnibus ſummam animorum concordiam inſpirare nitebatur. Sæpe conuerſus ad Deum ardenti pectore, ad eius conſpectum, totus anhelabat: ac cubiculi fores liberas omnibus & apertas eſſe voluit, vt populus, qui circùm anxius verſabatur, ac luctu contabeſcebat, penitus admitteretur, & condiſceret, vt inquiebat, Reges ac plebeios homines pari fato natos interire: & in hoc acerbiſſimo vtriúſque vitæ flexu, adeò metu & animi perturbatione vacuum ſe præſtitit, vt non modò futuram ſui hæredis ac Regni conditionem, ſed etiam ſui funeris pompam ordinaret. Vetat Apoſtolus ſanctorum mortem lugeri. Non eſt ergo, non eſt, A. A. quòd optimi Principis interitum tam acerbè defleamus: cùm præſertim eius Filius, licet infans, & Auo & Patre vix minor tam maturè victorias orſus fuerit: & in eo velox gloria palmis

triumphalibus primores annos occupauerit: & eâ ſit indolis ſpecie, eâ maieſtatis præ-ſtet imagine, vt bonus Princeps, fortis bellator, foris victor, domi ſanctus, clarus vbíque Matris adiuvante curâ futurus conſpiciatur.

PANEGYRICVS

OPTIMO SERENISSIMOQVE PRINCIPI

GASTONI

FRANCIÆ,

Regis Patruo, & Aurelio-rum Duci ob expugnatam Grauelingam dictus.

NICIAM pictorem quondam excellentissimum dicere solitum accepimus, A. A. maximam artis pictoriæ partem in eo positam esse, vt assumatur argumentum, quod illustrari commodè peni-

cillo, &, vbi elaboratum eſt, temperatâ colorum varietate ſpectantium oculos cupidè detinere poſſit. Cum in hac ſolenni ſtudiorum inſtauratione verba facturus, tantò diligentiùs huic rei conſulerem, quantò minùs fidebam ingenio, ſapiens illud conſilium cogitanti de felici præſentium rerum conditione Galliæ gratulandum, déque laudibus inuictiſſimi Principis Gaſtonis Franciæ Aureliorum Ducis, cuius ſapientiæ ac fortitudini tot accepta referenda ſunt beneficia, apud vos hodierno die mihi dicendum puto. Quid enim hoc tempore, & Academiâ Pariſienſi dignius ab oratore deligi potuit, quàm factorum ingentium iucunda commemoratio? quid cum huius ampliſſimi conſeſsûs voluptate coniunctius, quàm celebrare Gravelingæ expugnationem, quæ ſuperiorum temporum iniurias vlta eſt, quæ Galliæ ſollicitudinem levat, & nobis adversùs hoſtium noſtris luctibus exultantium impetus non mediocrem ſecuritatem parit. Cùm tamen illam rerum magnitudinem mihi ob oculos pono, lætitiam exſpectationémque veſtram, quæ quanta ſit ex veſtris vultibus coniicere licet, A. A. intelligo nullam vim eloquentiæ, nullámque dicendi co-

piam inveniri poſſe, quæ veſtris ſtudiis reſpondeat, & rebus ac tempori debitam afferat orationis dignitatem. Nam cùm pro ſapientiâ veſtrâ cogitetis tot arces in vnâ vrbe fuiſſe expugnatas, ab aſſiduâ vexatione piratarum defenſos portus, obiectum Britannicis odiis in aditu regni propugnaculum, penè præcluſos hoſtibus maritimos commeatus, nobis in intima Belgij patefactos aditus: tot bonorum ſimul concurrentium gratulationem, quam præteriti temporis gravis memoria, & iucunda futuri cogitatio mirabiliter amplificat, verbis, vt par eſt, exequi tantum id quidem puto, vt non ab oratore mediocri facundiâ prædito, ſed omnibus etiam ad dicendum præſidiis inſtructo vix impleri poſſe videatur. Quid enim proferri queat, quod tacitâ cogitatione veſtrâ non vincatur? Verùm illud vnum me reficit, quod ſi ſpem dignæ commendationis mea mihi invideat facultatis inopia, rerum certè magnitudinem iniuriosè diminuendi metum adimat veſtra conſcientia: & argumenti dignitas, humanitáſque veſtra, A. A. ſilentium apertiùs, quàm, vt poſtulem, polliceatur. Ac primò quidem ſi volumus ad Galliæ luctus vltimos, quibus ante ſeſquianni vertentis am-

bitum merſa videbatur, revocare memoriam, & lætam præſentium rationem cum illâ trepidatione, quam optimi Regis acerbum funus nobis attulit, comparare, facilè intelligemus, Auditores, quantùm invictiſſimo Aurelianenſium Duci, qui illam diſcuſſerit, animóſque confirmaverit, debeamus. Quis enim patriæ tunc lamentanti non ingemuit? quis tam durus ac ferreus fuit, vt lacrymas optimæ Reginæ tanto conjuge orbatæ lacrymis non excepe-rit? vt anxiæ matris metum, vt Regalium pignorum, quæ vel ipſi cælo invidiam facerent, ſortem, vt eorum inſontem ætatem tot inſidiis obnoxiam, tantis atrocium bellorum fluctibus innatantem miſeratus non ſit? At quò gravior fuerat calamitatis metus, eò iucundior voluptas, cùm ad proſpera ventum eſt, inſperantibus accidere ſolet. Ac ne diutiùs in his vadis mea moliatur oratio, poſtquam optimo Fratri Frater optimus iuſta perſoluit, quàm amanter afflictam Aulam complexus fuerit, quàm diligenter adminiſtrandis Regni negotiis incubuerit, quis ignorat? Subitò de pacis ab hoſtibus extorquendæ viâ conſulitur: cum ſociis fœdera aut confirmantur vetera, aut nova ſanciuntur. Italia, Britannia,

vtraque Germania, Septentrionales populi ampliſſimis legationibus fatigantur. Vbi verò à tranquillitate publicâ ſe alienos eſſe hoſtes ſimularunt: vbi in aciem educendi fuerunt noſtri exercitus, quo conſilio cœpta digeſſerit, quantâ militaris artis fiduciâ libraverit incerto metu trepidantium Belgarum animos, dum laudis incrementa ex multiplicatis terroribus quærit, quàm ardua molitus fuerit, etiam me tacente, vobiſcum ſatis cogitatis, Auditores. Nam quemadmodum, ex ampliſſimo, ornatóque veſtibulo penetralium opes, & ædium maximarum interius ornamentum coniicitur, ita quoque à præclaro laudis ſpecimine ſuas victorias Princeps ſapientiſſimus ordiri voluit, vt quanta ſit rerum ſequentium expectatio, tali pignore cum nobis tum hoſtibus noſtris oſtentaret. Quam aliam vrbem aut ad ampliorem ſui nominis famam, aut ad maiorem vtilitatem patriæ, aut ad plura hoſtium incommoda, quàm eam, quâ iam potitus eſt, oppugnaſſet? Nam ſi res diligenter attendatur, in hoc bello, in quo ferè vniverſæ vires Europæ commiſſæ ſunt: quod duo potentiſſimi populi iuvandorum quidem ſociorum ſpecie, rebus autem ipſis

principatum agitantes toto robore ſuſcepe-
runt: quod tam latè ſparſum eſt, vt extra huius orbis terminos, veteréſque ſolis metas evagatum ſit: quod quaſi quoddam commune incendium vtrúmque orbem corripuit: quod tam acerbum eſt, vt multæ captæ, multæ everſæ civitates, multi Principes è ſuis ſedibus deiecti fuerint: in hoc, inquam, bello vix aliquod opus extitit, quod difficultate maius, virtute ac felicitate pari confectum, quod gloriâ præſtantius, & vtilitate commodius nobis proceſſerit. Quem non terruiſſet oppidi poſitio, tot amnibus corriuatis interciſa? quem non lati aggeres profundis paludibus redundantes? non cœnum, & inexpugnabilis vligo? non innumera, quibus in orbem locus armabatur, propugnacula? non hoſtium vrbes ab omni caſtrorum parte circumiectæ? non aëris in paluſtri loco periculoſa temperies? non mare alienâ claſſe tutandum? non ſedes haud ita pridem noſtris infauſta? non denique tota natura, fortunáque ſimul perdomandæ retardaſſent? Huc anteà meticulosè viam ſternebamus. Ariam ceperamus quidem, ſed infelici exitu. Audomari fanum ingenti diſpendio tentaveramus, ad hoc cœptum fruſtrà aſpirante

Richelio. ὁ μέγας δὲ κίνδυνος, vt ait Pindarus, ἄνταλλαν ἐ φῶτα λαμβάνει. Talis labor, tot ac tanta pericula bellatorem virum poſtulabant. Hæc verò protinus aggreſſi, vicimus omnia. Et licet non tam mœnibus, quàm armis ſe tutarentur hoſtes: licet non tam obſidio, quàm pugna bimeſtris fuerit: & oppugnationis non ſatis certa ratio propter difficultates iniretur: tamen inuſitatas machinas non admovimus, non turres plicatili pegmatum compagine aſſurgentes, non immanes ſambucas, non moles in aquis fluitantes, non gementium rotarum pondera, non miſſilium pontium vana ludibria, quæ inclytam illam Oſtendam ſuperioribus annis nobilitarunt, magnis ſumptibus ereximus: virtute militum, ac Ducis ſolertiâ confecimus omnia. Quis animorum alacritatem, & in pericula præcipites impetus, cùm res ita poſtulabat, verbis æquaverit? Vbi enim tecti, & egeſtis aggeribus in ſolum depreſſi pro ratione militaris artis vrbis antemuralia occuparunt: vbi ſunt aperta duo, quæ ſimul è diverſis petebantur partibus, propugnacula, & eorum raſiles alæ machinis ac flammis è cuniculo erumpentibus, diſiectæ, patenti ruïnâ noſtris aditum recluſerunt, tum verò ponti-

bus obvios insternunt aggeres: in eos certatim insiliunt: per pluvios ignes, per infestos gladios proruunt interriti: firmissima quæque proterunt, revellunt, disilciunt: nil remorantur fracti tubarum cantus, nil plumbearum glandium stridulæ grandines, nil fulminantium machinarum fragor, nil erectus in cælum pulvis, nil vndantium fumorum turbines, nil permista casibus funera, nil graves morientium gemitus, nil armorum horrenda collisio (tot facta me sequentem spiritus deficit!) omnia aut virtus negligit, aut calcat gloria, aut ira non sentit. O felicem Imperatorem, qui suâ virtute dignos milites aut invenit, aut facit! ô fortunatum Principem, cuius gloriæ tot generosa volonum nobilium agmina suum sanguinem benè impensum existimant! ô vicissim beatum exercitum, quòd nactus fueris eum Ducem, qui tecum amore, tecum fortitudine contenderet! qui testis ac particeps adesset omnium, qui militum vulnera demulceret: qui parentis officia præstaret omnibus: quem non superbia importunum, non immanem asperitas, non avaritia sordidum, sed aperta comitas perhumanum, amabilem mansuetudo, tuis malis condolentem bonitas, liberalitas mu-

nificentiſſimum facit. Quod enim ſolatium laborantibus? quæ cura vulneratis? quod præmium pugnantibus? & honorum inſignia meritis defuerunt? Iulius Cæſar ſuorum militum ſaluti tam ſollicitè conſulebat, vt imitari ſe medicos præcipuè gloriaretur, quod fame ſæpius, quàm ferro vrbes expugnaret. Has moras cum paluſtris ratio, & inconſtantia maris, tum Gallorum brevis impetus, & autumnalium morborum metus noſtro Principi inviderunt quidem, ſed æmulationem Legatorum, & militum ardorem tam ſolerter ad victoriam diſpoſuit, vt operis matura confectio nihil felicitati detraxerit. Quis putet humano conſilio, ac ne mediocri quidem Dei, vt ita loquar, ſollicitudine eſſe perfectum, vt tantæ difficultates tam brevi tempore maiori propugnantium, quos muri defendebant, quàm oppugnantium diſpendio perruptæ ſint? Dicam-ne ex quinque Præfectis, quos ad vrbis cuſtodiam hoſtis anxiè delegerat, vnum tantùm, eúmque vulneratum cum paucis è numeroſo veteranorum militum præſidio cæterorum cædibus fuiſſe ſuperſtitem? Dicam duos hoſtium clariſſimos Duces tam infenſos inter ſe animis diſſediſſe, vt licet omnium rerum copiâ abun-

darent, armis tamen decernere ausi non sint? cælum nec ardoribus creaviſſe morbos, nec imbribus fatigaſſe exercitum? oceani tranquillitatem ſpem auxilij eripuiſſe hoſtibus? ventos, maria, cælum, elementa omnia victoriam adiuuiſſe? Quid navalium, terreſtriúmque copiarum æmulationem loquar? O rem non tantum viſu, ſed etiam memoratu iucundiſſimam! dum hinc in ſolo Gallicæ cohortes, illinc in ſalo Batavæ claſſes ita excubant, vt par ardor, iidémque animi eadem penè teſſera vtrámque aciem per vices commoverent. Ivit enim in prælia contrà ſolitæ prudentiæ leges Batavia, nobíſque vicit. Quanquam tamen noſtro Principi fortuna ità indulſit, vt quicquid difficultatis incubuit, illud totum in noſtra caſtra converſum fuerit: ne quis in tantæ gloriæ partem veniſſe videretur. Itaque ſiue periculi magnitudo, ſive incerta caſuum, ſive totius operis adminiſtratio, eventúſque ſpectetur, id vnum iure gloriari poſſumus, nihil difficilius, nihil felicius in hoc bello à nobis eſſe confectum: caſtra nunquam laboraviſſe, Ducis prudentiam nunquam hæſiſſe, nunquam, licet in hoſtico, ne vel minimum quidem trepidatum. Iam verò quid

de gloriâ, quæ hinc Gallico nomini contingit, quid de vtilitate, quæ in administratione ciuilium rerum præcipuè spectanda est, dicam? Ita-ne verò iam centesimus vertebatur annus, ex quo nostrarum legionum insleti insepultíque manes iacebant: nec eis fuerat parentatum, licet in multis partibus viciſſemus! Nam iniurias, aut vrbium expugnationibus, aut magnitudine victoriarum, in iisdem ferè partibus, in quibus acceptæ fuerant, rependimus. Hoc vnum efferebatur oppidum, quòd superiori sæculo victorem exercitum ad suos muros internecione deletum viderat. Animos dabat inultum dedecus, & ex eo tempore nobis quasi iacentibus insultando, aut continuò prædas agebat, aut prædones suis mœnibus tutabatur. Hæc erat ianua, & quasi posticum, quo classes ad nostras oras diripiendas mittebantur: hæc macula Ludovici Iusti bellicam gloriam non leviter adsperſit: quòd oras duarum provinciarum, quarum altera vrbis Regiæ horreum, altera Regni ærarium est, piratarum incursionibus fœdè vexari pateretur. Quid enim indignas deprædationes querar? quid exhaustos navibus portus? quid ad satietatem merces direptas? quid innumeros mortales, qui aut demersi sunt,

aut iugulati, aut preſſi duriſſimâ ſervitute? Quoties miſerabilis coniux, cùm ſuum coniugem è littore ac penè è ſuo ſinu abreptum cerneret, ingemuit? quoties afflictus parens ſuos liberos nefariorum hominum ludibrio malè habitos vidit! Paſſim ac ferè ſemper gementium hominum lamentis noſtra littora perſonabant. Permultos annos Britanniam in ſuum vſque exitium nobis infeſtam, ſæpè Germanos in mediis Galliæ viſceribus graſſantes ſenſimus: validos amiſimus exercitus: aliquando caſtris exuti ſumus. Hæc tamen patienter tulimus. Quid ita? iuſtus videlicet hoſtis, & Gallico nomine non indignus fuit. At quis ferat tot annos prædonum myoparonibus expoſitos fines, qui ſuæ impunitatis fiduciâ, velut procellâ elati, ab Iccio portu ad Pyreneorum vſque terminos continenter armis graſſabantur? Rhenum concuſſimus, vtriúſque Heſperiæ clauſtra refregimus, Hiſpanarum claſſium naufragiis & noſtra, & hoſtium littora complevimus, prædonum præda, pro pudor! præda inquam. Quo tempore propter reportatas de hoſtibus victorias feſtis ignibus hæc Regia civitas coruſcabat, ſæpè noſtræ oræ variis in partibus flammis hoſtibus deflagrabant: ac Lutetiæ

lætum

lætum pæana perſonanti direptorum portuum comploratio procul reſponſabat. Neque verò tam anguſtis finibus hæc flamma continebatur: quò enim non excurrebat! Omnes oceani Britannici ſcrutabatur angulos, penetrabat ſinus, promontoria ſtationibus obſidebat: nullæ oræ, nulli portus, nulli fluminum exitus rapaces harpyias, & obſcænas pelagi volucres non ſenſerunt! At tandem in nos Deus optimus maximus oculos retulit, ac velut acerbo Regis optimi funeri leniendo, noſtríſque luctibus abſtergendis intentus beatâ ſerie victorias continuavit. Tibi dedit, invicte Princeps, vt hoc dedecus tandem abolceres: vt peſtem hanc quotidie repullulantem, & in illis littoribus latè ſtabulantem, Britannico recreatam afflatu, Hiſpano veneno nutritam compeſceres, contunderes, exarmares: vt hoſtium lacrymis & nocenti ſanguine noſtrorum militum manibus parentares: vt Oceanum, quem infeſta lues ferè præcluſerat, humano generi rurſus aperires? Quibus ſtudiis, quâ te benevolentiâ conplectemur! quibus laudibus Arctoæ gentes te prædicabunt! quàm fauſta ſuo Liberatori, & Alexicaco Apollini comprecabuntur! Iam Danus, Suecus, Sarmata,

Germanus illam belluam, quæ prætereuntibus insidiabatur, exarmatam non extimescent. Iam securus nauta, dum nostros portus frequentabit, vltrò citróque cómeans, clausam Charybdim in puppe sedens decantabit: tutos transitus Gallicæ virtuti gratulabitur & Gastonem illo Gastone Foxio illustri illustriorem, prædonum vindicem, pyratarum scopulum., Britannici maris numen lætus appellabit. O felicem supra cæteros Imperatores, cuius triumphi titulis accedit quidquid mali ab illâ Lernâ sensit orbis! Tu intercluſis vnius freti angustiis, divulsas gentes rursus adunasti: tu pietatem hanc patriæ, hoc levamen fœderatis, hoc auxilium notis ignotísque gentibus præstitisti. Tibi Pompeij pyratica laurus tantùm cedat, quantùm mare cedit Oceano vastitate. Agri medius fidius, freta, sinus, littora hac peste liberata tibi gratias agere gestiunt: hæc Regia civitas sibi restitutos maritimos commeatus, ipsa Gallia non quædam oppida suo Imperio adiuncta, sed defensas provincias, quæ præda esse desierunt; non captos hostium Duces, sed innumeros cives, quos dura servitus in dies absumebat; non detracta hostibus spolia, sed se sibi vindicatam tibi

debet. Fabius Maximus cum ſibi conſulatum vltro deferri videret, vt in annum bellicoſiorem differretur à populo Romano impetravit. Quidpiam ſimile non hominum conſilio, ſed arcanâ quâdam Dei voluntate factum videmus; vt nempe noſter Fabius tum educeret exercitus, cùm Galliæ vacillanti maximè ſuccurrendum fuit: & id, quod à cæteris Ducibus fortè peccatum fuerat, gloriosè reparandum. Iam verè probas, generoſiſſime Princeps, te meruiſſe Imperia, vbi adeptus es: Iam te Henrico Patre dignum, quod anteà non licuerat, præſtitiſti: cuius fortitudinem in exequendo, in celeritate victoriæ felicitatem refers. Adhuc tamen eo inferior es, quòd filium, qualem ipſe te, nondum genueris. Hinc diſce, Gallia, quantùm amiſeris, dum fatorum invidiâ & iniuriis eorum, qui Fratrum optimorum diſſidia in ſuum commodum ſemper aluerunt, tantæ virtutis fructibus caruiſti. Scipio Africanus chariſſimi fratris auxilio domitâ Carthagine inſigne illud nomen adeptus eſt: ipſe verò cum fratre viciſſim contra Antiochum Aſiæ Regem potentiſſimum profectus, Aſiatici nomen ſuo Fratri ſociâ virtute retaliavit. Fuit, fuit illud Hiſpa-

niæ fatum, vt duos Fratres ſimul bellantes non ſuſtineret ! vt Borboniorum virtus, quam ſuo natam exitio in dies experitur, alternis diviſa vicibus laborantem minori pondere degravaret. Sed hæc memorari vetat optimi Principis humanitas, qui non animos inflammavit fortunâ, ſed bonitate lenivit: qui non offenſarum modò gratiam facit, ſed etiam in adverſariorum proximos, quorum operâ poſſe Rempublicam iuvari putat, pronus benevolentiâ eſt. Ac quidem ſi res ipſas conſulere, & quæ certiſſima coniectatio eſt, ex geſtis gerenda colligere placet, quæ commoda tum in bello, tum in pace ſub talis Principis adminiſtratione non ſperanda ſunt? Ætate eâ eſt, quæ ſit apta ad triumphos: quâ conſules fieri quondam mos fuit: quâ ſolent ad Imperium aſſumi Principes, bello legi Imperatores: quæ rebus & Imperio matura, nec languida ſenectutis gelu torpeat, nec iuventutis ardore nimis elata, inflammetur effrenâ cupiditate bellandi: bona bello, paci optima. Et certè gloriam armis quærere, ſuo iure longa exercere Imperia poteſt: pacem tamen omni victoriâ eſſe potiorem putat. Dolet Galliam longis bellorum ſumptibus exhauſtam: gloriam præ-

cipuè peti, non ex bellorum principiis & casibus, sed eventu & partâ securitate: neminem non posse bellum ordiri, evoluere autem, non esse nisi sapientis: plus nominis quæri, dum ex hostibus amicos, quam ex amicis inimicos facis: amicitias immortales esse oportere, mortales inimicitias: non tantùm simultates, sed etiam bella finienda esse cogitat. Iam paci diligenter studet, quòd intelligat magna esse cum Hispanis fœderis firmiter sanciendi iacta fundamenta; eos esse de veteri cogitatione Monarchiæ vniversalis deiectos, nobísque cum illis tam benè nunc convenire posse, quàm ante Belgica, Italicáque bella convenerat. Quis enim nescit vtrámque gentem mutuo sibi semper fuisse auxilio? Nam vt vetéres Celtarum, Iberorúmque societares, & Caroli Magni in Hispaniam bellicas expeditiones taceam, quoties Castellæ Regibus succurrimus? quoties Arragonum Principes è mediis populorum rebellantium furoribus subduximus! Testis Lusitania, quæ nostræ virtutis præmium est, cuique nostra colonia nomen & Reges dedit. Testis Ioanna Arragonum Regina; quam in vrbe Gironâ obsessam Gasto Foxius, regnante Ludovico vndecimo Gallorum Rege, morti eripuit. Te-

ſtis Henricus Caſtellæ Rex nomine tertius, quem in minori ætate de Regno periclitantem noſter Carolus ſextus tutatus eſt, & Regni proceres ſub pupillo Rege ferocientes, armis, quæ procul oſtentaverat, compeſcuit: At vbi valida imperia non virtus, ſed fortuna in vnam gentem congeſſit, Maura plebs antè humilis animos extulit, in cæteros dominari voluit. Hinc aperta ſævit morum diverſitas, & inſita odia, quæ, fovente ſocietate, quaſi ſopita iacebant, eruperunt. Vt enim ſingulorum hominum, ita gentium diverſa ſtudia ſicut. Gallicus ardor Hiſpanam cunctationem, candida ſimplicitas ſimulatam ſapientiam offendit: nos illam verborum ſuperbiam, quæ nobis anteà ludibrio fuerat, iracundè odiſſe cœpimus. Vbi enim eos ſubdolè graſſari; vbi omnium tentare libertatem, pacta fœdera violare, ſibi arrogare arbitria bellorum, pacis pretia venditare ſenſimus, ad vindictam conſcia virtus nos erexit: & cum illâ gente, quæ ſæpe bellorum fax fuit ac turbo, bonis malíſque noſtris bellare didicimus. Itaque factum eſt, vt in vtráque fortunâ Gallos & amicos graves, & graves inimicos ſenſerit. Quod enim in Veromanduis, quod ad Ticinum quon-

dam paſſi ſumus, id intrà & extrà ſe iam ſæpè paſſa eſt Hiſpania. Ad eos itaque mores, quibus anteà ſe tractabilem præſtiterat, rediiſſe credibile eſt. Suo quidem more etiam nunc cunctatur, ſolitis fruſtrationibus tentat illudere, pacem tamen, pacem, inquam, ardenter cupit. Nam ſi reduci velle victori expedit, victo neceſſe eſt. Atque vt vtríque concordia redeat, Deum optimum maximum precor, vt hoſtibus ſapientiæ intellectum immittat, vt Galliam ſolitâ bonitate foueat, vt Regis pueritiam, Matris curas, Patrui ſollicitudinem, ac Regiæ totius familiæ cæpta & labores adiuvet, & huiç imperio, totíque orbi Chriſtiano optatam pacem largiatur.

DE ARCHIDIACONATV DE VADIS BAIOCENSIS ECCLESIÆ ORATIO.

QVOD olim in graviſſimo iudicio Græcorum Oratori ſolenniter vſurpatum eſt, id apud vos, Iudices, hodiernâ die rectiùs vſurpabo: ac Deum Opt. Max. in cuius manu Iudicum ac Regum corda librantur, precabor, vt vobis tantùm ſtudij ac conſenſionis ad Sacerdotium, de quo hoc iudicium conſtitutum eſt, veſtris ſententiis mihi tribuendum concedat, quantum iuris ad illud obtinendum mihi meus

labor & Academiæ commendatio pepererunt. Quæ ſolennis precatio vobis eò maiorem mei iuris fidem facere debet, quò mihi periculoſior eſt, ſi ſciens eam malè conceperim: & eò graviori metu meos aduerſarios percellere, quò magis illam mihi favere, & ſibi officere intelligunt. Ac me quidem hac in causâ perorandâ Religionis mentionem facere: vos verò, Iudices, in eâ diſceptandâ non leviter cognoſcere convenit. Non enim de ſtillicidiis & ſuggrundis agitur, ſed de Miniſtro in Eccleſiam legendo, qui, cùm oculus Epiſcopi, & Curionum, quibus plurimorum hominum æterna ſalus creditur, diligens ac ſeuerus inſpector futurus ſit, non eruditione modò & innocentiâ morum ornatus & integer, ſed etiam laudabili famâ commendatus eſſe debet. Itaque cùm huic iudicio admixta ſit accuſatio, falsíque crimen Carolo Hubarrio, alteri mecum contendentium, obiectum fuerit, & ab eo graviſſimi alterius flagitij poſtulatio, quâ non ita pridem perculſus eſt, colluſoriâ tantùm abſolutione, velut emplaſtro, obtecta ſit, veſtrum eſt, Iudices, tam gravem, tot rebus implicatam, & toties diffiſam controverſiam non

ex orationibus Patronorum, qui eam iam dudum ventilarunt, ſed ex teſtimoniis, literíſque, quarum fides non vacillat, dirimere. Intelligitis enim pro veſtrâ ſingulari ſapientiâ, Iudices, ſæpe accidere, vt vnius Patroni diligentiâ & artibus fucus iudiciis fiat; alterius verò negligentiâ & rerum, quæ in diſceptationem deductæ ſunt, ignoratione, certiſſima iura funditus aliquando ſubvertantur. Quod ne accidat, vobis pro veſtrâ religione, Iudices, mihi verò pro meâ virili parte providendum eſt. Quamobrem cùm neque ratio, neque penetralia meæ cauſæ hactenus apud vos aperta fuerint, & Hubarrius neſcio quâ multiplicandi lites ſcientiâ tot iam noſtræ controverſiæ capita fecerit, quot olim Hydræ fuiſſe ferunt, quis ægrè ferat me à vobis, pro meâ dicendi tenuitate mei iuris apud vos explicandi veniam poſtulare, cùm, vt id, quod Patroni mei diligentiæ defuit, ſupplere poſſim, tum etiam vt vnuſquiſque veſtrûm inſignem mei adverſarij calliditatem, variáſque fruſtrandi artes intelligat. Speculatus eſt enim veterator ille temporum caſus, auram iudiciorum in ſuum commodum vafrè commutavit: & alteram litis partem modò pro-

movebat, ab alterâ modò diſcedebat, vt fugâ impetúque ſæpe ſimulato omnem longioris moræ invidiam mihi tales fori artes neſcienti & publicè occupato vir otioſus nequiter imputaret. At cùm hodierna dies illuxerit, quâ Sacerdotium iampridem vacuum, tanquam iacens hereditas, ex veſtro decreto adeatur, oro vos atque obteſtor, Iudices, vt, dum rem omnem breviter & apertè vobis exponam, me pro veſtrâ humanitate, & in Academiam Pariſienſem bonarúmque literarum Profeſſores benevolentiâ benignè audiatis. Archidiaconatus de Vadis, in Eccleſia Baiocenſi fundatus, Philippi Taronis morte, ante aliquot annos vacuus Octobri menſe, quem Viris Gradum & Nominationem adeptis Leonis Decimi & Franciſci Primi Pacta conventa deputant, factus eſt. Hunc ab Academiâ commendatus à vobis poſtulo, Iudices: hunc eundem Carolus Hubarrius, hunc Iacobus Viſelius ab Academiâ pariter nominati deſiderant. Inſuper & alio iure Viſelius nititur. Nam cum Claudius Tebrellus hoc Beneficium Eccleſiaſticum ab Epiſcopo Baiocenſi iure, vt vocant, ordinario & libero adeptus fuiſſet, & cùm ita partum contrà viros Acade-

micos ſe tueri poſſe deſperaſſet, illud in gratiam Iacobi Viſelij eiuravit, & à lite maturè diſceſſit. Quâ quidem in re verecundè Tebrellus fecit, ſed Viſelius paulò cupidiùs facere mihi viſus eſt. Cùm enim ius illud Academiarum privilegiis inimiciſſimum eſſe intelligeret, tamen cum Academico iure coniungere, & ex rebus inter ſe diverſis maximéque repugnantibus eiuſmodi monſtrum in ſe ipſo conflare non dubitavit, vt alterâ manu Pariſienſis Academiæ munera oſtentaret, alterâ gladio inſtructâ eiuſdem iugulum perforaret. Deinde verò cùm Hubarrius propter poſſeſſionis vindicias, quibus miſer totis ſenſibus inhiabat, iam per triennium litem protraheret, ecce clariſſimi ſanctiſſimíque viri Iacobi de Angennis Baiocenſium Epiſcopi mors importuna repentè accidit: quæ cæteris eius Diœceſanis luctum & quandam calamitatem, ſoli Bihorræo fructum ac lætitiam attulit. Nam cùm anteà huius Archidiaconatus potiundi ſpem omnem abieciſſet, ſubitò erectus eſt, & ad res novas converſus diploma Regium, quaſi Beneficium, propter pendentem litem, iure Regaliorum vacaviſſet, facilè, vt fit, conſequitur, aliúdque pugnæ genus priori longè

contrarium cothurno mutabilior aggreditur. Institutum enim se canonicè, & fructuum huius Sacerdotij, causarúmque omnium perceptione se pridem beatum acriter anteà contenderat, nunc idem omni possessore vacuum esse Beneficium vociferatur. In hoc igitur iudicio tria potissimùm mihi disceptanda sunt, Iudices, primum est, an Archidiaconatus, qui controvertitur, in ius Regaliorum ceciderit: alterum an viris ab Academiâ nominatis debeatur: tertium cui-nam trium Graduatorum, quos æmulatio concitavit, tribuendus esse videatur. Quod ad primum spectat, res est expedita, Iudices. Regiâ enim Constitutione cautum est, vt ea tantùm Beneficia Regaliorum iure nostris Regibus acquirantur, quæ vel iure, vel facto, vel vtróque simul ab Episcopi morte ad plenariam successoris eius institutionem vacua fiunt. Noluerunt enim Principes Sacerdotia Clericis eripere, in quibus secundùm Ecclesiæ Canones anteà fuerant instituti, & quorum possessionem corpore apprehenderant, cùm legitimè ius acquisitum adimi non debeat innocenti. At antè Baiocensis Episcopi mortem Archidiaconatus de Vadis ita mihi quæsitus fuerat, vt in eo nihil amplius mihi

quærendum ſupereſſe crederetur. Inſtitutionem in eo ſecundùm iuris formulas ab Antiſtite Metropolitano, corporalem verò occupationem non per Procuratorem tantùm, ſed etiam per me ipſum ita nactus fueram, vt Canonicorum omnium conſenſus & gratulatio acceſſiſſet. At, inquit Hubarrius, controvertebatur Beneficium, & nullus contendentium in eius poſſeſſione verſabatur. Quid igitur? Hubarrio ſua nequitia commoda fuerit? Quid? iniuſta litigatoris vexatio, Regaliæ, vt opinantur imperiti, locum dabit? Quæ ſecuritas igitur Sacerdotibus deinceps relinquetur? Nam ſi omne Beneficium Eccleſiaſticum cuiuſcunque litis prætextu caducum fiat, quid impediet quóminus & multarum Collegiatarum & Cathedralium omnium Eccleſiarum Sacerdotia vniverſa Regaliæ iuri per litium redemptores, qui ſemper inſidiantur bonis, ſubijciantur? Quid obſtabit quóminus antiquis poſſeſſionibus ac Titulis per calumnias & lites, quæ paulò ante expirantis Epiſcopi mortem movebuntur, nefariè deturbentur? Quo quid omnibus bonis acerbius? quid ad turbandam Eccleſiarum tranquillitatem periculoſius? quid ad exagitandos terroribus animos funeſtius?

quid ad extinguendum ſacri ordinis decus fœdius excogitari poteſt? Nemini ſalubris illa de pacificis poſſeſſoribus conſtitutio proderit: nemini longi temporis præſcriptio, quam generis humani Patronam meritò vocat Caſſiodorus, opem feret: impunè graſſabuntur improbi: Epiſcoporum mortes, velut cadavera vultures, obſervabunt: contrà triſtabuntur boni, dum ius ſuum in retinendis Beneficiis non temporis tractu convaleſcere, ſed paulatim cum ſui Epiſcopi vitâ diffluere intelligent. Ac profectò plurimos huius ampliſſimi Senatus Triumuiros hac vnâ ratione ita ſæpe commotos fuiſſe accepimus, vt licet huic iuri amplificando diligenter invigilent, tamen iſtam imperitorum hominum ſententiam cuiuſdam inſaniæ arguerint. Nam, vt omittam cæteros, quoties vir eloquens iuxtâ & integer Ludovicus Servinus hoc ius Regium per iniquos calumniarum tramites augeri non oportere profeſſus eſt? Quoties Ægidius Magiſter non ita pridem clariſſimum huius ampliſſimi Senatûs lumen idem voce pronunciavit? quoties idem ſcriptis immortalibus conſecravit? Quot Edicta, quot Senatuſconſulta Regaliſtarum iniurias ſeveris pœnis multave-

runt ? Non dico Philippi Valeſij Conſtitutione ius illud anguſtis, ac certis terminis definitum: taceo Fougeræum, qui Regaliam Ariano Andegavenſis Eccleſiæ Decanatum aſſerenti obiecerat, in omnes litis expenſas condemnatum. Hoc tantùm dico municipali Normanorum iure, ad cuius regulam Baiocenſis Eccleſia dirigenda eſt, omnem Regaliæ aditum eſſe præcluſum, niſi fortè, cum iura Patronatûs incerta ſunt, & in diſceptationem deducta. Et certè neque Ruzeus, neque Probus, neque cæteri iuris Doctores Regaliam ad omnem litem extenderunt: neque Regi plus iuris in hoc caſu quàm ſummo Pontifici, qui controverſa Sacerdotia litigatoribus, & Hubarrio ſimillimis non concedit, tribuendum eſſe cenſuerunt. Cum igitur in hoc iudicio iura Patronatûs dubia non ſint, & Archidiaconatus de Vadis à me cùm iure tum corpore & certâ poſſeſſione, antequam Baiocenſis Epiſcopus moreretur, occupatus fuerit, quis eſt, qui Regaliorum iure mihi caducum fuiſſe meritò contenderit? Iam verò vtrum Academiæ Commendatio repudianda ſit, videamus. Id enim acriter diſputat, Iacobus Viſelius, qui cùm ſit optimus Academiæ Pariſienſis alumnus,

armis

armis tamen ab eius hostibus abiectis ornatus, optimæ parentis iura per tot ætates in concussa convellere meditatur. At quid clarius vnquam hac de re quàm Leonis Decimi & Francisci Primi sacra Constitutio describi potuit? Cum enim in eâ cautum fuerit, vt *Ecclesiastici Patroni tertiam partem omnium Dignitatum, Administrationum, Officiorum & cæterorum Beneficiorum viris literatis, Graduatis & ab Vniuersitate nominatis conferre teneantur*, quis est, qui Archidiaconatum, Dignitatem esse neget, aut esse Beneficium Ecclesiasticum non fateatur? At obstat, inquit, Henrici Quarti Edictum, quo Cathedralium Ecclesiarum Dignitates Academicis ereptæ sunt. Quo tandem in loco vir Academicus hoc disputat? Nempe in eo Senatu, cuius omnes Ordines, vester verò præcipuè, Iudices, de primis post Episcopalem, & Electiuis tantùm Dignitatibus illud Edictum semper interpretantur: Collatiuas verò, qualem esse Archidiaconatum hunc certum est, quot Senatusconsulta, quot omnium Tribunalium decreta viris ab Academiâ commendatis addixerunt? Testis est ille huius amplissimi Senatûs Magnus Ordo, qui Pictauiensis Ecclesiæ Præfecturam Te-

xerio, qui Bellovacenſis Theologalem Simoni, qui nuper Rotomagenſis Theſaurariam Duvallio contrà ius illud Epiſcoporum liberum & Ordinarium iudicavit: Teſtes etiam Regij vtriúſque Conſilij res iudicatæ, quibus Pimboſcanæ & Anicienſis Eccleſiæ Decanales Dignitates, licet Electiuæ, Academicis aſſertæ ſunt. Teſtis eſt ille alter huius Ampliſſimi Senatûs Primus Ordo, qui Scholaſticam dignitatem Baiocenſis Eccleſiæ Labroëſio ab iiſdem adverſariis Academiæ vindicavit. Veſtrum verò, Iudices, clariſſimum illud Senatuſconſultum imprimis appello, quo non ita pridem Oxumienſem Baiocenſis Eccleſiæ Archidiaconatum Roberto Mathanæo ab Academiâ nominato contra Epiſcopi iniurias pro veſtrâ in Academicos humanitate hoc ipſo in loco conceſſiſtis. Noluiſtis enim illud Academiæ priuilegium, tam ſolenniter conſtitutum, literis & Eccleſiæ tam ſalutare, tot ætatibus tam religiosè conſervatum, per veſtras ſententias vllum vulnus accipere. Noveratis illud Edictum ab Optimo Principe importunis precibus, ac propè dicam pecuniâ, redemptum, & in hoc Senatu tam ægrè, tam difficili ac moosâ cunctatione fuiſſe promulgatum

vt ipſa magna Claſſis, quæ ſola & invita illud promulgavit, ab illo iure, quod anteà ſemper obtinuerat, & ab illis ſanctiſſimis Concordatis, quæ Reges pariter & Pontifices obligant, nondum receſſerit. Illud ergo certum maneat in causâ, Iudices, de quo vos ampliùs dubitari noluiſtis, Sacerdotium, de quo contendimus, Viris Graduatis & ab Academiâ nominatis addici veſtris ſententiis oportere. Iam reliquum eſt, vt cui contendentium, & Academiæ iura laudantium tribui debeat, diſceptemus. Ac primò quidem Carolus Hubarrius poſtremò Iacobus Viſelius, ego vtriúſque medio tempore ab Academiâ nominati ſumus. Ordinem enim temporis hîc eſſe obſeruandum rerum conditio, & Patroni factum ſatis admonent. Nam quod ait Viſelius, ſe præ aliis Graduatis ab Epiſcopo fuiſſe inſtitutum, ipſa, quam laudat, inſtitutio clarè arguit. Non enim electionis beneficio Patronus vſus eſt, qui Graduatos omnes ex æquo repudiavit: neque revocavit eam, quam Tebrello priùs dederat, collationem, cum eandem in ipsâ, quam Viſelio deinde conceſſit, inſtitutione confirmaverit. Viſelium igitur omittamus; qui, cùm Nominationis tempore

posterior sit, iure quóque Nominationis mihi necessariò cedendum esse intelligit. At verò, quóminus suffragio temporis Hubarrius adiuvetur, plurimæ gravésque causæ impediunt. Quid enim falsum studij, quo nititur, testimonium dicam? quid illusam ab eo Canonici Iuris Facultatem? Quid Nominationem ab Academiâ fraude extortam? quid in sene Sacerdote congerendi beneficia cupiditatem? quid contrà morem requisitum hoc Beneficium, & nefarij flagitij accusationem per emendicatas transactiones redemptam loquar? Atque vt singula breviter conficiam, edicto Ludovici XII. Leonis X. & Francisci primi Concordatis, ac Parisiensis Academiæ Statutis in hoc principe Senatu promulgatis, rescinduntur Nominationes, quas ab Academiâ consequuntur Graduati, antequam Philosophiæ ac superioribus disciplinis per quinque annos *à Logicalibus inclusiuè* studuerint. Quale verò Hubarrij testimonium est? Ita me Deus amet, Iudices, vix in eo Philosophici studij biennium Theologici verò nihil prorsus reperietis. Quàm grave sit accusare Sacerdotem, quàm periculosum improbare testimonium Academiæ, quàm difficile sit ve-

tus falsi crimen demonstrare, non me profectò præteribat. Cùm tamen Hubarrium iampridem talium accusationum quasi quodam callo obduruisse cernerem: cùm Rectoribus Academiæ sæpe improbos illudere: nihil tam sanctum esse, quod fraus non violet: nihil tam munitum, quod non perrumpat audacia: nihil tam fixum, quod hominum cupiditas non convellat: cúmque ab isto nullum afferri rectum studij testimonium, non legitimis verbis conceptum agnovissem, feci, Iudices, quod Robertus Mathanæus, quod postea Iacobus Capreolus, viri in varia virtute & doctrina ornatissimi, contrà eundem adversarium in pari causa feliciter fecerant: falsi crimen obieci, accusationi subscripsi, & hoc probandum in me recepi, Hubarrium literis humanioribus in hac vrbe tunc operam dedisse, cùm se Philosophicis disciplinis studuisse ait, & Rhetoricæ studuisse Cadomi tum, cùm hic, Parisiis, Philosophiæ se vacuisse contestatur. Quibus testimonijs id convincitur? ipsius Hubarrij tabulis. Cùm nuper in hoc Senatu cum Iacobo Capreolo & Claudio Labrocsio de duobus Baiocensis Ecclesiæ Sacerdotiis iudicio contenderet, omnem suorum studiorum

rationem, in medium effusâ voluminum farragine, reddere voluit: ac se primùm Rhetoricæ Cadomi anno 1607. & 1608. tum Philosophiæ Parisiis anno 1609. & 1610. rursus in hac vrbe per annum Rhetoricæ in Harcuriano, ac per alterum literis tantùm humanioribus in Regio Cameracensi Collegio: ac denique per biennium in Philosophiâ audivisse, atque ita suum se quinquennium expleviſſe confirmavit. Quod vt memoriæ mandetis, Iudices, legantur tabulæ, in quibus hæc commemorat. Tabulæ. Quid ex his liquere præ cæteris rebus Hubarrius existimat? Nempe se post decursum prius Philosophiæ stadium, Grangerio Rhetori & Regiis Professoribus per biennium adhæsisse asserit. Neque tantùm semel id protulit: sed cùm, postulante Capreolo, ex decreto Senatûs à clarissimo Senatore Ioanne Picardo tertiùm interrogaretur, iuratus, vt fit, illud idem planissimè respondit. Audire interrogationes, & ad eas eius responsiones. Quid vultis ampliùs, Iudices? quid opus est pluribus argumentis? Habemus enim confitentem reum, qui iam non per quinque annos Philosophiæ continuò se vacavisse asserit, sed ex illis duos

Rhetoricæ ac literis humanioribus impendiſſe, non ſcriptis tantùm, ſed etiam iureiurando vir bonus affirmavit. O vim eximiam veritatis! quæ nullâ tam diligenti nequitiâ implicari, nullâ fraude tam veteratoriâ occultari, nullis tam denſis tenebris comprimi poteſt, vt per omnes moras non erumpat, vt omnia non penetret involucra, vt quamcumque caliginem ſponte non pervadens apertâ luce ſuos hoſtes non confundat. O ſocordem falſariorum calliditatem! quæ dum latebras quæritat, in ſolis aſpectum exilit: quæ quò maiori curâ occultatur, eò ſe prodit apertiùs: & cùm in tuto receſſu ſe compoſitam eſſe exiſtimat, per ſe ipſam in propatulum excuſſa denudatur. Quid, amabo, Rhetoricæ, quid Humanioribus literis cum hoc Academicarum Nominationum privilegio eſt? Quis enim ignorat illud in quocunque Gymnaſio Rhetoricam diſcentibus non concedi? Quis in hac vrbe tam peregrinus eſt, vt neſciat aliam eſſe Cameracenſis, & aliam cæterorum Collegiorum conditionem: & in illo neque literarum humaniorum, neque ipſius Philoſophiæ, neque cuiuſpiam alterius diſciplinæ ſtudium aut ad emerendos Academiæ

Gradus; aut ad obtinendas Nominationes quicquam proficere? Hoc Concordata probant: hoc prædicant vniverſi Academiæ Ordines: hoc arguit ipſa Collegij inſtitutio: hoc Regij Profeſſores per ampliſſimum ſui Syndici teſtimonium ipſi conteſtantur. Quàm verò ſit à ratione alienum, quod muſſando Hubarrius autumat, ſe vno tempore duabus diſciplinis in duplici Collegio intendere potuiſſe, quis ignorat? Nam Rhetoricæ & Philoſophiæ Profeſſus in Lexobæo & Harcuriano eadem prorſus horâ, cum priori tum poſteriori diei parte ſuos inſtituunt: nec Academiæ diſciplina diem aut à diſcipulis diffindi, aut hîc faſtum, illic verò nefaſtum haberi patitur, neque vllis gaudere privilegiis errones ab hoc Senatu celebrata Vniuerſitatis reformatio ſinit. Quod quidem incommodum cùm Bihorræus agnoviſſet, varias lectiones vario tempore diſtribuit, ac ſe Grangerio Rhetori recoquendum tradidiſſe, & Regios Profeſſores audiviſſe poſt confectum prius, & ante incoatum poſterius Philoſophiæ ſtadium non ſine meditatione reſpondit. Neque profectò diſſentit ea quinquennij, qua vtitur, formula. In ea enim non Phi-

ſophiæ *à Logicalibus inclusivè*, (quod iubent Concordata) ſed vagè & indefinitè *in Artibus*, quæ Grammaticam & Rhetoricam etiam complectunrur, quinque annos vacaviſſe memoratur. Quid præterea? *Frequentâſſe actus & diſputationes tam publicas quàm privatas, & eiſdem continuò interfuiſſe.* Quorſum ſoli Hubarrio novâ quinquennij formulâ opus eſt? Cur vni diſputationes vicem lectionum præſtabunt? Quid enim apertius eſt, quàm eum Rhetoricæ ſtuduiſſe, & interim Philoſophiæ diſputationes frequentâſſe, quod ad privilegium non ſufficit? Quid etiam incredibilius ſcribi potuit, *Interfuiſſe continuò diſputationibus*, quæ non continuò; ſed magnis temporum intervallis fiunt? hoccine ſtudere continuò Philoſophiæ vocat, quod in vagos & nullius laris homines convenit? Quod ſi vel ab ipſis Academiæ cunabulis alteram quinquennij formulam ſuæ ſimilem proferre poſſit, nihil cum eo diſputo, Iudices: per me hoc eruditionis præmium conſequatur. At ſi prorſus inſueta eſt, ſi ſtudium continet omnium ſtudentium conſuetudini contrarium, cur apud vos, Iudiçes, fidem, quâ apud cæteros careat, inveniet? Quo enim conſilio noſtri ſæculi novus

Plato, vel potiùs alter Ariſtoteles annos quinque continuos in hac diſciplinâ, quam cæteri perdiſcunt biennio, conſumpſiſſet? Age, bone vir, cur potiùs quinque, quàm quatuor aut ſex annos Philoſophiæ, cuius ſtudium ſingulis bienniis definitur, ſtuduiſti? Cur, cùm ad Sacerdotium aſpirares, Theologiam, præſertim Pariſiis, tanto tempore non attigiſti? Cur in Lycei pulvere tandiu iacere voluiſti? An vt alios ſapere poſteà edoceres? Vbi, quæſo, ſcholam tuam aperuiſti? Vbi-nam vel miſelli literatoris munus aliquando tentaviſti? Sed cur hominem tandiu interrogo, qui præ ignorantiâ, mea verba fortè non capit: qui plus operæ in exercendis litibus, quàm in evoluendis libris: & plures dies in hoc forenſi tecto, quàm noctes in proprio lecto collocavit. Sectari nolim, Iudices, omnia, quæ ingenioſus Orator in tam fœcundâ materiâ inuenire poſſet; alia Bihorræi ſeipſum iugulantis vulnera breviter, ſi veſtra patiatur humanitas, aperiamus. In hoc enim Sacerdote, quod maximè luctuoſum eſt, inexhauſta quædam falſitatum ſcaturigo reperitur. Collegij Gervaſiani tabulas protulit, quibus ſe Philoſophiam, quæ biennis eſt, anno 1612. inſtaurâſſe ſignifi-

cat: & ex Ioannis Craſſotij, Philoſophiæ Profeſſoris, teſtimonio eandem à ſe abſolutam anno 1613. aſtruit. Quid non dicam à veritate magis alienum (illud enim in hominum genere vulgatum eſt) ſed ſocordius, quod in veterano litigatore mirari licet, proferri poteſt? Furioſos homines aliquando extitiſſe fabulantur, qui geminum ſolem, geminas Thebas, & omnia gemina, quod ebriis etiam accidit, ſe videre exiſtimarent. Hubarrius & Oreſte & Alcmæone dementior in vno duos annos contineri, & inſanâ quadam falſitates congerendi cupiditate inebriatus per vnam ſolis annuam converſionem ſe biennio Philoſophiæ incubuiſſe ſomniavit. Eſt-ne aliquid, quod in iſto magis admiremini? Eſt profectò, Iudices. Nam ex eodem Craſſotij teſtimonio poſteriorem Philoſophiæ curſum anno 1613. abſoluit, & apud clariſſimum Senatorem Ioannem Picardum eodem anno à ſe inchoatum fuiſſe peierauit, ex ſuo ipſius Quinquennio illum in annum 1615. protraxit: & ex eiuſdem Profeſſoris fide ipſum ante annum 1614. abſoluiſſe comprobatur. Quid præterea? iuravit ſe à Pariſienſis Ptochotrophij Præfecto tum à Pariſienſis Eccleſiæ Cancella-

rio Magiſterij laureâ fuiſſe decoratum: & ipſe iam literas profert, quibus à Sanctæ Genovefæ Cancellario eandem ſe accepiſſe confirmat. Quis vnquam ſtellio mutabilior? quis polypus verſalitior? quis Vertummus aut Proteus captu difficilior? quis ſimplicior Bellerephon, aut Glaucus ſtolidior extitiſſe memoratur? At, quantùm voluerit, convoluatur: quas libuerit, formas induat,

Ipſe licet fiat ſus horridus, atráque Tygris,
Cunctáq; transformet ſeſe in miracula rerum,
Non variæ illudent ſpecies, aut ora ferarum.
Nam quantò ille magis formas ſe vertet in omnes,
Tantò dura magis collo ſibi vincula nectet.

Affirmat ſe ab anno 1609. ad annum 1615. Pariſiis in *Artibus* (ſic enim præter morem vagè ac indefinitè conceptum eſt hominis teſtimonium: in *Artibus*, inquam, hoc eſt, vt explicat, Philoſophicis ſtuduiſſe. Quid à me contrà refertur? Hubarrium Pariſiis ante Octobrem anni 1610. Philoſophiam delibaſſe nego. Eundem Cadomi toto præcedente anno in Rhetoricâ conſediſſe affirmo. Hîc iterum ſuis ipſe vinculis conſtringitur. Nam in illâ voluminum farragine, de quâ diximus, tria

præ cæteris Capreolus obſervavit, quibus hanc loci diverſitatem clariſſimè demonſtraret. In primo inerat Ciceronis oratio pro Muræná cum 2. Floridor. Apuleij lib. ac Perſianæ aliquot Satyræ cum Virgiliano Æneæ clypeo continebantur, quæ pluribus ingeniosè & perdoctè annotata ex ore Antonij Romerij Rhetoris Cadomæi ann. 1607. & 1608. ad verbum ſe excepiſſe dicebat : in altero nonnulla Philoſophiæ breviaria, quæ pro Ioannis Craſſotij opere philoſophico obtrudebat : in tertio Iuriſprudentiæ tractatus, quem philoſophiâ iam functum ; in Cameracenſi Collegio à Regiis Profeſſoribus anno 1611. & 1612. ſe accepiſſe mentiebatur. Lege tabulas, in quibus hæc aſſeruit. Tabulæ. Quid horum veritati conſentaneum eſt ? Nihil profectò, Iudices. Non enim à pluribus Profeſſoribus, non in diverſis locis aut temporibus, ſed ab vno Romerio Rhetore intra anni 1609. & 1610. terminos omnia ſunt Cadomi explicata & tradita. Hoc Iacobi Hametij, hoc Ioannis Gueroutij, hoc idem Claudij Harſonis, quos non minùs ſua pietas & eruditio, quàm Sacerdotij dignitas commendat, ſcripta teſtantur. In his enim dies, annus, Cadomi & Romerij Profeſ-

ſoris mentio ſeptiès pari prorſus charactere à ſingulis perſcripta ſunt, & iiſdem notis, quibus ipſa opera, quæ Hubarrius ſibi cum illis fuiſſe dictata, ſcripto confeſſus eſt, conſignata. Quid ſi negaviſſet, an aliunde convinceretur? Convincetur, Iudices. Vir enim egregius, & antiquâ probitate ac doctrinæ famâ inſignis Antonius Romerius, & in Carlopolitanâ civitate Prætor clariſſimus, literis ſuâ manu ac ſigillo communitis, hæc opera anno tantùm 1609. & 1610. tunc audiente cum multis Carolo Hubarrio, à ſe explicata fuiſſe Cadomi & tradita confirmavit: ac Senatûs huius ampliſſimi compulſus imperio illud idem reſpondit: & quò certiùs id patefaceret, pleráque operum authentica, non tam mei iuris adiuvandi curâ, quàm iuſtâ in ſui diſcipuli improbitatem indignatione concitatus ad vos tranſmiſit. Eſt aliud, Iudices, quod apud vos omittendum eſſe non arbitror. Nam cùm illa Romerij opera Hubarrius à ſe variè falſificata contrà Iacobum Capreolum produxiſſet, & obliterato Romerij nomine, Craſſotij nomen ſuppoſuiſſet, atque annum 1610. in annum 1609. mutaviſſet, conturbâſſet inſcriptiones & titu-

los, ac multa, quæ Cadomum & Romerium apertè indicabant, cancellâſſet, ei rurſus falſi crimen intendit Capreolus, & in eas hominem coniecit anguſtias, vt hoc alterum crimen confiteri coëgerit. Audite, Iudices, audite hanc alteram Hubarrij confeſſionem. Confeſſio. Quid vultis amplius, Iudices? Suam ipſe nequitiam fatetur Hubarrius: trium eius condiſcipulorum ſcripta eandem comprobant, arguit indubitatis teſtimoniis Romerius: quid præterea à expectatis? vt veritas ipſa loquatur? quid aliud apud vos diceret, niſi quòd vos etiam hortaretur, vt tam audacem falſarium, & toties idem ſcelus perpetrantem graviſſimè puniretis? Ad eius cætera ſtudia pergamus. Is enim non fuit, qui ſcientiarum quiſquilias perpetuò legerit: & ancillis, neglectâ dominâ, quod pleríſque procis Penelopes accidit, adhæſerit: ſed copioſo ſapientiæ commeatu inſtructus ad maiora navigavit, & orbe diſciplinarum, vt opinor, abſoluto, iuventutis agmina, Theophraſti more, pertraxit: vel in templis tantâ pietatis & eloquentiæ famâ iactatus eſt, vt acerrimus Religionis vindex, aut literarum certus Atlas appellari meruerit. Quid enim non expectes

ab eo, qui tot Philoſophiæ ſtadia feliciter decurrit? Omnis Europa novit, quàm præclarè ſtudia Theologiæ in Academiâ Pariſienſi pridem floreant: quantus ad ea fiat vndique diſcentium concurſus: quàm vberes fructus ex iis in vniverſam Eccleſiam redundent: eam eſſe docentium ſapientiam, quæ Religionis interpretes deceat: eam eloquentiam, quæ Dei probet oracula: eam doctrinæ famam, quæ quicquid terrarum literas novit, impleat: eam denique aſſiduitatem, vt ſingulis diebus ad ſacrum opus cum ſole redeant, & vix, eo decedente, dimittantur. Quis aptior campus, in quo toties recocta Hubarrij Philoſophia exultaret, quis fœcundior ager, in quo tam patienter collecta profundæ eruditionis ſemina fruticarent? vbinam Sacerdotis officium, & Religionis myſteria certiùs addiſceret? O cogitationes inanes meæ! ne vel vnum diem, Iudices, huic neceſſario ac verè ſacerdotali ſtudio impendiſſe comprobatur. Quid ergo? torpuit otio tam excellens ingenium id? minimè quidem. Gervaſiani enim Collegij Procuratoriam ſollicitudinem ardenter ambivit, & eâ executus eſt induſtriâ, vt Burſarios, qui in eo aluntur, variis ſumptibus

ptibus, impensísque litium (id enim in multis tribunalibus sæpe conquesti sunt) mergere non destiterit, donec expleto præstimonij, quod inter eos fortè rede-merat, tempore; in alias terras inexple-tam illam litigandi pruriginem deporta-rit. Exinde, cùm pluribus annis ad ex-tremas Neustriæ paludes Ecclesiam, quam nactus fuerat, iisdem artibus vexavisset, vuidioris vitæ pertæsus molestias, ad O-xumiensem Baiocensis Ecclesiæ Archidia-conatum, quem Graduatorum mense vacauisse audierat, oculos sustulit: cúm-que se necessariis ad id præsidiis destitu-tum esse meminisset, ei Lutetiam venire subit: ad Iuris Canonici Professorem adit nescio quem, & Baccalaurei ac simul Licentiati literas non Græcâ, non Latinâ fide, sed præsente pecuniâ comparat, quæ tamen hominis impetum destituerunt. Non enim tantùm suâ spe excidit, sed gran-di prætereà lite prostratus est. Nunc verò, Iudices, iisdem literis vtitur: quæ quàm vanæ sint, quàm futiles & nullæ, duo Senatusconsulta, & vnum Regis Edi-ctum apertè demonstrant. Cùm enim in plerisque Vniversitatibus, præcipuè verò in hac vrbe Iuris studium dissolutum es-

ſet, inſigne Regis Edictum, cui duo huius providiſſimi Senatûs decreta, de Pariſienſi Decretorum Facultate facta, viam præſtruxerant, ante 26. annos hic idem Senatus promulgavit, quo deinceps omnes Gradus, qui ante vnum in Iuris ſtudio collocatum annum diſcentibus conceſſi fuerint, pro nullis ipſo iure pronuncian-tur: iubentúrque Graduati Facultatis literis probare, ſe legitimum tempus in eâ diſciplinâ conſumpſiſſe, ſi Gradibus illis vti voluerint. Cùm ergo nullum tale teſtimonium Hubarrius exhibeat, nunquid eò minùs ſtudij illius beneficio adiuvari debet, quò magis in Archidiaconis, qui ſecundùm Eccleſiaſticos Canones Curionum mores regere debent, requiritur? Multa conſultò prætereo, Iudices, ne mea tædium vobis afferat oratio. Non enim dico Hubarrium iam per annos triginta, duo poſſidere Beneficia, quæ, ſi quis in eo modus eſſet, ei ſufficiant: taceo eadem ab eo in ſuâ Nominatione, quæ ideò nulla eſt, fuiſſe ſuppreſſa: ſileri patior non poſſeſſa tantùm, ſed quocúnque iure quæſita ſint, eſſe exprimenda: etiam nondum poſſeſſa: vel adhuc controverſa, & poſſeſſoribus per vim erepta; ac multò magis ea, quorum

poſſeſſio fraude, quod Hubarrius fecit, dilata eſt: quòd paria ſint poſſidere, & ſtare, quóminus poſſideatur. Hoc dico Concordatis cautum eſſe, vt Graduati, & ab Academiâ nominati *literas duplicatas dare, & per ſe, vel procuratorem ſuum inſinuare teneantur*: & ab adverſario hanc diligentiam tam ſolennem, támque neceſſariam fuiſſe eo, quo Beneficium vacavit, anno prætermiſſam. Quod quidem in eo non vehementer mirari convenit. Nam deinceps ad Sacerdotia Academico iure conſequenda ſibi præcluſum eſſe omnem aditum intelligebat. In duobus iudiciis ſe falſi crimine convictum fuiſſe, & Nominationis iure deſtitutum recordabatur: ac benè ſecum agi cogitabat, quod ea, quibus anteà fruebatur, ſibi non eſſent erepta Beneficia: aſſiduo criminalis iudicij, quo pridem illaqueatus eſt, metu torquebatur: noverat neque ex hominum animis, neque ex Tribunalium ſcriniis facilè eradi poſſe, quod conſtans & latè pervagata fama diù credidit: quod viginti teſtes iurati, quorum interfuit rem occulere, vnanimi voce in iudicio confirmarunt: quod integer Municipalium Iudicum Ordo quæſtione, ac ſeveris decretis dignum: quod bonorum

annotatione, quod Sacerdotis & eius ex ſorore neptis ſimul habitantium comprehenſione coërcendum eſſe iudicavit: ſed *Infamiam, velut Furiarum maximam*, vt ait eleganter Varro, *in vulgi pectoribus nexam perſtare, fluctuanti intonſam comâ, ſordido veſtitu, & ore ſevero triſtiſſimam*: cùm præſertim decretoriis armis accuſatio diſiecta non eſt, ſed pecuniariis tranſactionibus redempta: non apertâ iudiciorum contentione mores comprobati, ſed compromiſſariâ tantùm colluſione tam fœdum vitæ vulnus occultatum. Veſtrum eſt, Iudices, pro eâ, quâ valetis, ſingulari fide & prudentiâ, videre, ne Sacerdos hærentibus adhuc ſcelerum maculis pollutus in Eccleſiâ conſtituatur, à quo ſacri dignitas Ordinis, & morum correctio expectatur. Iubet Apoſtolus *Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ſine crimine, non in accuſatione luxuriæ: ornatum, pudicum, doctorem, non litigioſum, domui ſuæ benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate:* cùm quia *fidelibus exemplum in verbo, in converſatione, in ſpiritu & caſtitate eſſe* debet: tum etiam ne cæteros corripienti, eadem, quæ arguit, crimina regerantur. Archidiaconus Epiſcopi oculus eſt: eius curæ incumbit

in Curionum & plebium mores inquirere. Id ne poterit exequi, Iudices, is, qui pridem turpissimis flagitiis ac sceleribus contaminatus esse creditur? aget-ne censuram, qui pro spurcissimo Rectore, vt cætera multò spurciora taceam, in illis terrarum partibus apud omnes traductus est? nunquid in dissolutos, qui paria continuò referant, seuerè animadvertet? Circuibit igitur Diœcesim non ad morum correctionem, sed ad nummorum collectionem: non ad ædificationem animarum, sed ad scandalum populorum. Eat nunc, & se ab hoc sanctissimo Senatu ad hanc Dignitatem fuisse reservatum dicat: Vos verò, Iudices, hunc Ecclesiasticæ disciplinæ vindicem, vltorem flagitiorum; officij Sacerdotalis & castitatis institorem constituite, qui novistis *Nihil esse maius, vnde Deo sacrificium offerre possitis, quàm si ordinetis, vt hi, qui in suam & aliorum iniuriam debacchantur, competenti vigore compescantur:* qui intelligitis sapienter esse constitutum, *non permittendum esse, priuilegiis aliquibus vti nocentes:* qui sentitis *religiosè viuentes esse priuilegiis, quæ religiosa conversatio meruit, cùm à religione cessauerint, exuendos:* quibus compertum est, Hubarrium non esse tan-

tâ eruditione, aut publicè præſtitis obſequiis tam illuſtrem, vt triplici Sacerdotio auctus & ornatus volitet, dum nullo labores noſtri, & pertinax ſtudium dignabuntur. Quod ſi hoc accidat, & iſte muneris Academici adulterator mihi iam quindecim annos iuventutem bonis artibus publicè & laboriosè excolenti præmium eripiat, quæ ſpes Academicis Profeſſoribus relinquitur? quæ fiducia in Muſis, & illis laudatiſſimis vigiliis reponiturè

Frange, miſer, calamos, vigilatáque prœlia dele,
Qui facis in parvâ ſublimia carmina cellâ,
Vt dignus venias ederis, & imagine macrâ.
Spes nulla vlterior.

Fruſtrà contendes Nominationis beneficium maximè deberi Profeſſoribus. Dum nocturnis chartis impalleſces, dum tuarum rerum poſthabitâ ſollicitudine literarum decus omni ſtudio promovebis, tibi non mellificabitur.

Horridus alter
Deſidiâ, latámque trahens inglorius aluum:
Stellio, & obſcurus crabro, tineæque rapaces,
Immuníſ-ve ſedens aliena ad pabula fucus
Cœleſtes prædas aget; aut inviſæ Mineruæ
In foribus laxos ſuſpendet aranea caſſes.

Nolim committere, Iudices, vt in adverſarium aliquid aſperius, aut de me iactantiùs mihi excidat; pudoris ac modeſtiæ lineas non exiliam : mea ſtudia ſuâ luce carere apud vos patienter feram : & orationis animos ita temperabo, vt ne quidem iſtius audaciæ reſpondere velim. Suum facinus impunè ferat : pervincat, ſi diis placet, me, quo tempore eloquentiam Cadomi publicè profitebar, ſolennes Iuris diſputationes, quarum præmium victori publica Profeſſio fuit, & alias inire nullátenus potuiſſe : me Rectorios faſces iterum geſtantem, in eadem Facultate Iurium Gradus non eſſe publicè adeptum: dúmmodo non ſolùm Cadomenſis Academia, ſed Sacrum etiam Regis Conſiſtorium, quòd propè vniverſum adfuit, id factum conteſtetur : dum ille Seguerius ſuo Magiſtratu maior, ille Regni oculus legúmque certus Arbiter, ac neceſſarium Impuberis Aulæ columen, qui mearum Theſium ſibi conſecratarum propugnationem, méóſque conatus non ſuâ tantùm præſentiâ, ſed etiam comprobatione dignatus eſt, & exinde mihi Academiam Pariſienſem evocato ſe benignum Mecœnatem præſtitit, ſua humanitate, quod fa-

cit, beneficiíſque confirmet. Suâ temeritate Hubarrius fruatur, non repugno: duobus Sacerdotiis incubet, Viſelius pluribus, concedo: at vos vnum obſecro, Iudices, vt hoc præſidium, quod propè vnicum rei literariæ iam ſupereſt, illi conſervetis. Deſunt enim, deſunt, qui ſui temporis valetudiníſque diſpendio ſteriles Cathedras impleant. Hæc vna res præcipuè Profeſſores facit ac retinet. Nolite Pariſienſem Academiam veſtris ſententiis affligere, quam non ita pridem tam benignè erexiſtis: quin potiùs illius ſtudia cum huius glorioſiſſimi Senatûs ſplendore, & vtilitate publicâ tam arctè coniuncta veſtris beneficiis promovete. Ad vos prona tendit manus: vos orat atque obteſtatur, ne tam ſalutari ſubſidio per vos ſpolietur: obſecrat Harcurianum Collegium, cuius optimos Moderatores, hîc ſupplices cernitis: obſecrant veſtri liberi, qui deinceps à quo fideliter & eruditè doceantur, fortè non invenient; efflagitat vniverſa Reſpublica literaria, quæ niſi à vobis, & reliquo Senatu ſuſtentetur, ſenſim concidet ac dilabetur. Et quoniam ſæpe iam à vobis anteà recreata eſt, certum ab humanitate veſtrâ præſidium in hoc iudicio præſtolatur.

AD

ILLVSTRISSIMVM VIRVM

PETRVM SEGVIER

FRANCIÆ CANCELLARIVM,

Cùm ad Cadomensem Academiam accederet,

SALVTATIO.

ETSI ea res, quæ te impulit, vt sedem tuæ purpuræ radiis coruscare solitam desereres, C. I. non nisi cum acerrimo doloris morsu commemorari, & vix vllis lacrymis elui posse videatur : tamen id vnum solaminis nostra communis habet calamitas, quòd te non tam vindicem, quàm monitorem, aut potiùs reparatorem sortiatur.

Nam cùm te ab iis ortum maioribus, qui præ virtutibus innumeris humanitate ſemper eluxerunt, ab eo parente genitum, cuius morum ſuavitas multos populos, ipſúmque huius regni caput (Pariſios dico) ab illo civili turbine, in quo ſub religionis larvâ Lilia tentabatur, diu retardavit, Te, inquam, noverimus ita moribus conſtitutum, vt Regis authoritatem cum vtilitate publicâ pulcherrimo concentu, ac divinâ propè prudentiâ componas, illuſtres domeſticæ illius benignitatis notæ, tuíque in populos amoris fructus à Te nobis expectandi ſunt, nedum acerbitas vlla pertimeſcenda. Quâ quidem in re clariſſimum Regiæ in nos benevolentiæ habemus argumentum. Noluit optimus Princeps ſuorum fortunas, ac vitam cuiquam alij quamlibet ſpectato committere: ſed veritus, ne quid ſubeſſet calumniæ, & rerum maior perturbatio apud ſe obtruderetur, illis, illis, inquam, vti voluit oculis, quibus patentes regni terminos ſcrutatur penitiſſimè: illo voluit vti interprete, cuius ore ſubditorum fata moderatur: vt ſyncerâ tanti Miniſtri fide, & ſingulari ſapientiâ veluti ductus, omnia ex paternâ, quâ ſuos amplectitur pietate

feciſſe videretur. Et ſanè quâ ratione illud meliùs, quàm tuo, hoc eſt, cæleſti veritatis oraculo Regiæ maieſtati innoteſcat? Vndè certior in tantâ rerum trepidatione nobis affulgeat ſecuritas, quàm à tuâ humanitate (C. I.) cui ſe charam noſtra priùs intellexit Academia, quàm vllas ei preces obtuliſſet? quæ noſtram nuper anxietatem non emendicato, ſed ſponta-neo prævenire patrocinio maturavit: quæ ex hoc ipſo numero duos Anteceſſores non ità pridem de iuris docendi publico munere in ſanctiori Regis conſilio contendentes non modò benignis oculis aſpexit, ſed etiam in Pariſienſis Academiæ, & ipſius ſacri Conſiſtorij conſpectu, hoc eſt, in clariſſimâ totius Regni luce probatiſſimos cum ſummâ noſtrum omnium lætitiâ voti compotes nobis reſtituit: quæ nunc hanc ipſam Academiam, cuius facies mœrore & lachrymis diu contabuit, iam ſacri vultûs tui ſerenitate recreatam penè reſuſcitavit. Ab hac igitur, & à tuâ illâ ſingulari virtute, & inſigni, quæ in Te elucet, eruditione ſperamus (C. I.) noſtras muſas, quæ nullâ temporum difficultate ab earum artium ſtudio, quarum tutelare numen es, elanguerunt, oppor-

tuno tui adventûs auxilio iri ſublevatum. Hoc te etiam atque etiam rogamus C. I. & obteſtamur, vt, ſi perennis & illibata in Regiam Maieſtatem obſervantia, ſi labores in Regis obſequium reíque publicæ vtilitatem impenſi iugiter aliquid mercantur, exiguum hunc Academicorum numerum, quem Tibi ſupplicem & addictiſſimum vides, tenues privilegiorum reliquias in tuam fidem clientelamque recipias.

PRÆFATIO

IN

QVARTVM GEORGICORVM Virgilij Librum, quem Parisiis interpetatus est anno 1643.

OPERÆ meæ pretium esse duxi, A. A. vobis exponere breviter, quorum Scriptorum opera vobis hoc ineunte anno prælegenda susceperim: tum vt nonnullis, qui hac de re forte solliciti sunt, respondeam: tum etiam vt iucundâ rerum varietate pellecti, omnes ad laborem alacriùs redeatis. Ac primò quidem pereruditam illam pro Quinctio orationem, & alteram pro Fonteio, quæ ad res Gallicas ambæ spectant, ex Tullio depromemus: Demosthenis concionem de pace coniungemus, vt triplex dicendi genus, in quo versantur, egregiâ varietate vobis proponatur. Addemus ex Homero primum Iliad. lib.

cuius vim & artem demiratur Quintilianus, & Virgilij quartum Georgicorum, cuius materia miram quandam ſuauitatem cum vtilitate non mediocri coniunctam habet. Hoc verò vltimum opus eò præcipuè conſilio aſſumpſi, vt voluptas, quæ laboris lenimen eſt & condimentum, ſtudia incitet, & otioſorum, ſi qui ſint, ſegnitiem excutiat. Nihil enim durum aut oſſeum, nihil acerbum aut aſperum vobis in eo apponetur A. A. ſed cruſtula, ſed bellaria, omnia dulcia, mellita omnia, omnia è cælo puriſſimè diſtillata. Nam ad vtilitatem quod attinet, quę me ad id pręcipuè impulit, nolite credere me vos omnes facere velle mellarios, ac ruſticæ tantùm mellificationis, non item veræ ac heroïcæ virtutis præcepta exponere. Quas enim virtutes ſiue pacis ſiue belli adminiſtras in vllo benè ordinato Imperio deſideres, quæ in Apum Republicâ non occurrant? Vultis fundamenta, quibus magnum Imperium innitatur? Regis authoritatem apud ſuos populares? apud exteros metum? vultis ciuium induſtriam in laboribus? patientiam in obſequio? pietatem in ſuos? officia in Principes? in præcavendis periculis ſolertiam? fortitudinem in præliis? diſciplinam in caſtris?

vultis iudicia & ſeueram in reos animadverſionem? neque leviter advmbrata, ſed verè expreſſa virtutum omnium ſpecimina? hæc in Apibus tam mirabiliter collecta reperiuntur, vt Philoſophorum Homerus, Platonem dico, illius reipublicæ, quam in ſuis libris delineavit, imaginem non ex alio fonte, quàm ex Apicularum Republicâ hauſiſſe videatur. Atque vt eorum aliqua ſigillatim exequamur, Regem inter eas facit non ambitio popularis, non mediæ gentis per cruentas cædes exitium: ſed inter optimas ſpectata moderatio; fortitudo probata foris, & maieſtas notis Regalibus illuſtrata. Vt namque Plinij verbis vtar, Apum Regibus egregia forma eſt, & duplo quàm cæteris maior: pennæ breviores, crura recta, ingreſſus celſior, nitor eximius, & in fronte macula quodam diademate coruſcat. Quid amplius ſuo Agamemnoni conceſſit Homerus, cuius tamen laudibus Alexander Macedo invidebat! Vbi ad regium culmen evectus eſt, ipſe ſibi conſiliarias legit ſanctúmque ſenatum: non exteras aut iuniores, ſed populares, ſenioréſque, quarum fides & prudenta publicam curam non parum adiuvet. Sic Reipublicæ ima-

gine constituta, & concesso Regi Senatu ac Satellitio, iam sibi domicilium fingunt, & in superiori alueatis parte, Regiæ quoddam specimen moliuntur, vt Princeps exinde, tanquam ex arce, omnia, quæ in imperio fiunt, speculetur. Ipse dum populus in labore est, opera intus circuit, similis exhortanti: statuit modum laborantibus, alias aquari, alias intus mella conficere, alias ad pabula proficisci iubet: omnia strenui & actuosi Imperatoris munia exequitur. Neque verò intra tam breves terminos eius cura concluditur: sed per Legatos cum vicinis alueatibus fœdera pacisciur: vt communi præsidio vespas, crabrones, & infestam fucorum gentem propulsent. Iam verò, quod in suâ Republicâ tantoperè commendat Plato, illis omnia communia sunt. Simul enim opus conficiunt, inquit Ambrosius, nec quidquam apud eas privatum est aut proprium: sed communis omnium thesaurus est, & indivisa rerum omnium possessio: vnius patriæ clauduntur limine, communis annona, communis vsus & fructus: quid plura? communis omnibus generatio est.

Sola communes natos, communia regna
Verbis habent, magnisq; agitant sub legibus auum.

Et

Et patriam solæ, & certos nouere penates.
Venturæque hyemis memores æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Itaque vix rixæ aut seditiones inter eas oboriuntur. Vnde enim contentiones & bella tam fœliciter compositam, tam perfectè coadunatam Rempublicam perturbent? Nam, vt inquit Iustinianus, ex quo diuisa sunt prædia, & agris termini positi, orta sunt bella, sequutæ sunt captiuitates, seruitus libertatem inuasit, & orbis pacem, quam omnium rerum communio constituerat, priuata possessio corrupit. Sed cùm duæ sint publica tempora, alterum pacis, belli alterum, vtro tandem à suis laboribus apes feriari animad vertuntur? Nam si fides Aristoteli, pacis inter se patiuntur opera: aliæ mellà, & erithacam conficiunt: aliæ expoliunt fauos: aquam comportant ad cellas, & mella temperant: & omnes, velut vernæ quidam, quos iusti domini lex ad opus adigit, ex alueari per vices ad laborem erumpunt, oneribus ferendis fatagunt, ac domicilium sine normâ aut gnomone per angulos sibi æquales omni Mathematicâ scientiâ præstantiores moliuntur. Audite Maronem divinis versibus hæc omnia experimentem

Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra tecta domorum,
Narcissi lacrimam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina: deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus; aliæ purissima mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Integritas corporis virginalis, ait Ambrosius, omnibus communis est, & soboles: ac neque vllo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partûs quatiuntur doloribus.

Verùm ipsæ foliis natos, & suauibus herbis
Ore legunt, ipsæ Regem paruósque quirites
Sufficiunt, aulásque & cerea regna refigunt.

Nullam non virtutem exercent. Vnguentorum delicias non solùm oderunt, non modò non noverunt venerem, sed etiam veneri addictos insequuntur, & pungunt vel suo exitio. Vultis pietatem in Reges? debilitato Regi, inquit Varro, succollant, ac senem humeris tollunt. Vultis iudiciorum ac forensis strepitûs obseruantes? quæ Regis legibus non obtemperant, scribit Ambrosius, pœnitenti condemnatione se multant: & in eos qui publicam quietem per-

turbant, animadvertitur: concordique suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina; maximeque improbos, ne seditiones machinentur. Vultus etiam Religioni addictas: valentes & sanæ morbidas ac debiles pio obsequio levant: mortuos progerunt, & funerantium more exequias comitantur.

Tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt.

Neque virtutibus tantum, sed etiam artibus propè omnibus præpollent. Quid enim in iis desideres? Cellas peritè moliri diximus: quid præterea? vaticinantur. Regiam enim dignitatem & eloquentiam eas ominari ferunt: præfagiunt ventos & imbres, ac se tunc continent tectis, inquit Ælianus;

In quæ vicem speculantur aquas, & nubila cæli.

In arte nauticâ eas excellere testatur Plinius. Nam gerulæ secundos flatus captant, &, si dura furit tempestas, sæpe lapillos

Vt cymbæ instabiles fluctu iactante saburram
Tollunt. his sese per inania nubila tollunt.

Quid multa? medicinam quoque exercent, & quodam gummi genere aluearia aream linunt, ac suis vulneribus méden-

tur. Hæc ſunt pacis ſtudia, quibus apes commendantur: militarem verò diſciplinam, bellicámque virtutem quis non admiretur? Ipſæ, velut cenſu inſtituto, ſeniores & iam vetulas ad vrbis cuſtodiam collocant: iuniores verò foris aut ad opus, aut ad bellum exeunt.

---------- -Grandæuis oppida curæ
Et munire fauos.

At iuniores ad portas excubant:

Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Vniverſa autem caſtrorum munia bombi ſonitu, velut claſſico, ab omnibus expleri ſic Ariſtoteles conteſtatur: ἑῤθεῖαι σιωπῶσιν ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς ἢ τρὶς: τότε δὲ ἐπὶ ἔργον ἀθρόαι πέτονται. Καὶ ἐλθοῦσι πάλιν. τοιοῦσι τὸ πρῶτον, μιχθὲν δὲ ἦθος, ἕως ἂν μία πεπτομένη βομβήσῃ, φῶσις σημαίνουσα καθεύδειν, εἶτα ἐξαπίνης σιωπῶσι. Nocte quieſcunt in matutinum tempus, donec vna excitet gemino aut triplici bombo, Plinij verba ſunt, vt buccino aliquo: cùm adveſperaſcit in aluco ſtrepunt minùs ac minùs: donec vna Regis imperio circumvolet caſtra, eodem, quo excitavit, bombo, ſeu quietem capere imperans, &

hoc more castrorum: tunc repentè omnes conticescunt. Cùm verò ad bellum exeunt, ait Varro, consonant vehementer, perinde vt milites faciunt, cùm castra movent,

——atque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur, fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coëunt, pennísque coruscant,
Spiculáque exacuunt rostris, aptántque lacertos:
Ingentes animos angusto in pectore versant.
Fit sonitus: magnum mistæ glomerantur in orbem,
Præcipitésque cadunt, animásque in vulnere ponunt.

Nunquid diceres ad bellum proficisci, quod ait Homerus de suis ranis,

Οἷος κενταύρων στρατὸς ἔρχεται, ἠδὲ γιγάντων,

Neque verò triumphis, cæterísque lætitiæ insignibus caret victoria. Solennem enim exercitationem, & quasi circenses ludos habent: spatiatæque in apertum efferunt se sensim in sublime ludentes, gyróque volitant: ac, velut exercitia meditatæ, saltant pyrricham. Illic ludus, illic curarum ac belli remissio sunt.

Qualis Amazonidum peltis exultat admptis
Pulchra cohors ; quoties Arcton populatæ
virago
Hyppolite niueas, ducit post prælia turmas:
Seu flauos strauere Getas, seu fortè rigentem
Thermodoontiacâ Tanaim fregêre securi.

Quæ cùm ita sint, quodnam hominum genus, amabo vos, A. A. instituendæ vitæ præcepta ex his animalculis petere non potest? Nunquid Reges administrandi imperia, populus opus faciendi, & obsequendi: Aulici suos principes colendi, milites pugnandi fortiter, patresfamilias rem familiarem amplificandi, adolescentes fugiendi turpia, senes erudiendi iuventutem: breviter quicquid honestum, aut vtile in vitâ benè instituendâ fingi aut excogitari potest, id totum ab Apibus proponitur ad discendum. Ergo agite, ingenui adolescentes, res ipsa, vt opinor, vos allicit & hortatur: vos vtilitas cum voluptate coniuncta ad studium excitet; vobis Apes mellificant, vobis operantur. Colligite impunè earum favos. Nati estis in eâ civitate, quæ toto Galliæ, imò toto Europæ ambitu inexhaustum quoddam omni virtute ac doctrinâ ornatissimorum hominum seminarium est: à quâ cùm vnusquisque ve-

strum tantum ornamenti & splendoris acceperit, æquum est vt ad eam omnes vicissim exornandam studia cogitationésque vestras dirigatis. Cogitate nihil splendorem generis, nihil opum affluentiam vobis prodesse posse, nisi ad hæc omnia studium virtutis, & ingenuarum Artium tractatio accesserit. Equidem pro meâ virili parte vobis non deero, si literas, quod quidem spero, amabitis, amabo & ipse commoda vestra ex animo: vobisque polliceor, curaturum me, vt à me vacui & inanes non discedatis.

PRO CLARISSIMO ADOLESCENTE

FRANCISCO

DE LA CHAMBRE,

CLARISSIMI VIRI D.

DE LA CHAMBRE,

Medicorum Archiatri & insignis Philosophi filio, cùm Artium laureâ in Academiâ Parisiensi donaretur.

QVIRVS Laureæ Artium Candidatos commendandi in his celebritatibus provincia contigit, A. A. Academiæ consuetudinem plerúmque laudibus efferunt, quòd ista studiorum præmia, quæ verbis ornata magnificis concedantur, iuventutis animos ad laborem stimulare credantur. Ego

verò sic existimo, rectiùs futurum fuisse, si ingenuorum hominum industria factis tantùm, non verbis ornaretur: neque commodè factum videri, vt eorum gloria vnius orationi, cuius incertus sit exitus, committatur. Quis enim hac in re dicendi modus, in quo Audientium animi acquiescant, teneatur? Alij propter suam in eum, qui laudatur, benevolentiam minùs, quàm, quæ volunt, Oratorem dixisse credent: alij, fortè propter aliquam morum severitatem, eumdem veritatis fines excessisse conquerentur. Academiæ tamen instituto parendum est, A. A. ac vestris omnium voluntatibus, quod quidem facile non est, & honestissimi Adolescentis gloriæ, ac meæ fidei pro meâ dicendi mediocritate, & definiti brevitate temporis obsequendum. Ac primò quidem illud memorare subit, quòd, licet illius studium non semel propter adversam valetudinem titubaverit, & non exiguam Philosophici biennij partem civilis armorum tumultus conturbaverit, se tamen tam egregiâ rerum omnium cognitione instructum comprobavit, vt, si totidem annis, quot Aristoteles audivisse Platonem dicitur, addiscendæ Philosophiæ incubuisset, vix plura dis-

putare posse, vix respondere meliora, vix tot adversariorum laqueos promptiùs dissoluere videatur. Quâ solertiâ Dialectices argutias extricavit! quàm acri iudicij acumine mores hominum & officia suis quæque finibus circumscripsit! quâ ingenij acie naturæ arcana pervasit! quàm clarè rerum abdita ex illis plusquam cimmeriis tenebris in apertam lucem extraxit! Quicquid exerit rerum quies ac fluxus, quicquid pandit cæli vastitas, quod gignit elementorum fæcunditas, quicquid natura varium ac multiplex continet, id in suo pectore capit vniversum. Quod si in his sapientiæ rudimentis, si in isto eruditionis quasi tyrocinio tantùm admirationis moverit, quantam in adultâ virtute, plenóque eruditionis robore futuram esse ad mirabilitatem iudicatis! Perferat illud Aristotelici studij tempus, pares his singulorum bieniorum fructus proferat, tantùm Aristotelem, audacter dicam, superabit, quantò cæteris Philosophis Aristoteles antecellit. Neminem, vt sapienter ait Seneca, Philosophia reiicit: eligit neminem, omnibus allucet. Hunc verò quis non tantùm non ab eâ reiectum, sed expetitum: non admissum solùm, sed studiosè exceptum ne-

gaverit? quis eam tam clarè illi alluxiſſe non intelligit, vt illi virtutem Socratis, Platonis gloriam, Catonis fortitudinem, & ſcientiam Pythagoræ promittere videatur? In aliis vix illa diſciplinarum parens iſtâ ætate herbeſcere ſolet. Illis enim officiunt cupiditates, obſtat fluctuantis adoleſcentiæ levitas, à ſtudiis deterret laboris fuga, auocat amor voluptatis, & otium, in quo iuvenes quodam turpi torpore concreti ſæpius conſeneſcunt. Quis enim facilè ad arduam illam eruditionis arcem contendat? ſtudia puerilia negligat? oblectationes, ludos, feceſſus? quis animum ſupra naturam erigat? contemnat animi quietem? corporis curam, ſui arbitrium abiiciat? quæ niſi ſimul confluant omnia, adyta Philoſophiæ nemo ſubeat. At verò, vbi ſapientia in huius ſinu feraciſſimum agrum nacta eſt, tam ſubitò germinavit, tam facilè efflo-ruit, ac ſpem fructuum adeò lætam protinus nobis oſtendit, vt non labore comparata, ſed à naturâ inſita, non rigata curis, ſed nutrita cælitus, non præceptis exculta; ſed ab ipſis natalibus propè adulta fuiſſe ſemper credita ſit. Et certè non hæſit ad eos ſcopulos, in quibus miſerabilis ætas ſæpe naufragatur. Maturè in virtu-

tis curriculum se provexit : sine vllâ offensione confragosum ac lubricum illud iter expedivit. Cum ætatis cupiditatibus, velut cum monstris Hercules, luctatus est, & vicit. Fervor excitabat ? coercuit : levitas efferebat ? comprimere studuit : petulantia mores efferabat ? singulari modestiâ temperavit : quid plura ? infregit impetum animi, & illius perturbationes, velut iniectis frænis, egregiè subiugavit. Excussit labore segnitiem, vigiliis voluptates perdomuit : otiosorum coniunctiones actuosâ solitudine dissoluit ; ruris amœnitates, sodalium familiaritates, vrbana otia, blanditias domesticas, quæ iuventutis studia corrumpunt, illum denique deliciarum omnem mundum mirâ quadam animi constantiâ proculcavit. Itaque in medio ad sapientiam cursu, iam ad summum eius culmen euasisse vulgò dicebatur. Illam enim morum compositionem, quam videtis, A. A. à naturâ inchoatam tantâ curâ excoluit : tranquillitatem animi, in quâ positam esse mortalium fœlicitatem volebat Zeno, ita sibi comparavit, vt, si Philosophiæ fructus ἀπάθεια fuerit, non Philosophiæ studio incumbere, sed Philosophiæ voluptate pridem iucundè frui vi-

deatur. Acceperat, aliquando fuiſſe dictum à Democrito, vaticinia in ſedatos hominum animos à dijs immitti per ſomnia: ac mentes diuinitùs præcipuè concitari: non inter corporis rerùmque agitationes, ſed intempeſtâ nocte; quâ ſilet mundus, ſenſúſque corporis ſomni vinculis alligati animum quieſcere patiuntur. Tali præcepto admonitus, A. A. frementes affectus tam diligenter compoſuit, ancipiti cupiditatum ſeditione animum tam ſtudiosè liberavit, mentem tenebris, & erroribus ità ſtrenuè explicavit, vt dignum illâ cæleſti Pallade hoſpitium in ſuo pectore adornaret. Audiviſtis quàm eleganti oratione omnium Philoſophiæ partium dogmata explicaverit, quàm acri ingenio, quàm certo iudicij examine validos arguentium laqueos expediverit: affirmare tamen auſim, illum eſſe minimum fructum, qui ad optimum Adoleſcentem è ſtudijs redierit. Nam cùm maturè intellexerit eò noſtra ſpectare ſtudia, non vt meliùs garriamus, ſed vt ſanctiùs vivamus: in eam partem laborē ſuum ac curas tam diligenter contulit, vt hanc ferè neglexerit. Et certè ab ipſis cunis Pietas optimæ Matris imaginem ementita tam diligēter tenerum

pueri animum præceptis muniverat, vt omnes aditus vitio præcluſerit: & herbeſcentem illam in ætate primâ morum innocentiam diſciplina, ſolers vitutis artifex, ac matura conſilij firmitas ita excoluit, vt cæcos cupiditatum impetus, quibus adoleſcentia iactari ſolet, ipſe nunquam pertulerit. Talis cùm fuerit, antequam Philoſophiæ ſacris initiaretur, & ei contigerit illinc ordiri, quò cæteri aſpirãt, quis in hoc adulto ſtudiorum robore tot ac tanta virtutis ornamenta demiretur? præſertim cùm talem indolem ab egregio Parente hauſerit: & eius ſummæ eruditioni ac virtuti contemplandæ ſemper ita defixus fuerit, vt ijs innutritus, non ſtudia ſolùm & mores, ſed etiam mentis & corporis habitudinem expreſſerit. Multi parẽtes clariſſimum nomen ſuâ virtute ſuis liberis reliquerunt: non pauci liberi obſcuritatem parentũ, ſuæ virtutis ſplendore illuſtrarunt. Ariſtonem Xenophon, Grillum Plato famæ tradidit: Sophroniſcum Socrates expirare non patitur. Rurſum tot imbelles familias bellica vnius facta nobilitant. At quàm multi liberi ſapiens Platonis dictum probant, παῖδες ἡρώων λωβαί Quàm pauci acceptum decus à patre cum fœnore reſtituunt! Fuit

Tydeides melior patre, fateor: fuit Æneas, cuius pietati flammæ cessisse dicuntur: fuit Scipio, fuit Antigonus, qui Regnum Cyri suo sanguine partum ad Patrem antea regno eiectum transmisit. O Camerariorum gloriosum certamen, in quo brevi non constabit præstantissimo Parenti victoria: ô filio fortunatum patrem! patre fœlicem filium! beatus, qui vicerit: beatior, qui vincetur! Crœsus Cambysem aulice quidem, sed sapienter admonuit, illum hâc vnâ re esse patre Cyro inferiorē, quòd filium, qualis ipse erat, nondum creavisset. Tibi verò quàm amanter gratulandum est, optime Camerari, quòd egregium eruditionis ac virtutis decus, in tuo filio transmissum iam vides cum incremento elucescere! Quot patres tibi deinceps invidebunt! Tu iam primas cultissimæ eruditionis partes obtines: tibi medicinæ laliberrima, difficillima naturæ, morum sanctissima tam eleganter, quàm erudite conscripta insignem famam pepererunt. Tot reconditæ doctrinæ monimenta, tam præclaræ lucubrationis miraculæ tibi singularem gloriam attulerunt. At ecce crescit decoris ac lætitiæ pignus: ac modò futurum est, vt Cameratiorum

non aliter, quàm Plinio rum, Mirandulanorum, aut Scaligerorum par infigne nominetur. Amplißimo viro Petro Seguerio Franciæ Cancellario, ac de omnibus egregiè literatis optimè merito, iam pridem charus es, quia pridem illi innotuisti: tuâ virtute delectatur, quod fit optimus: quòd omni doctrinæ genere excellat, tui fimiles singulari benevolentiâ complectitur, & quâ potest, auget beneficio. Quantùm verò te ac tuos amet, satis aperte comprobat, dum nunc intermissâ magnarum rerum curâ, cui totus tam vtiliter ac tam præclarè incumbit, tuæ lætitiæ testis ac particeps accedit. Gaude illo tuo excellenti bono, ac diu fruere: tuis curis huic sæculo clarißimum illud lumen, Regi, Regno ac Literis eorum præsidium diu conserva. Tibi verò, clarißime Candidate, pronostrâ necessitudine valde quidem gratulor, quòd illustri teste hunc honoris Gradum ità confecutus sis, vt tua laus non tam in illo posita, quam doctißimorum virorum fides & æquitas tuam industriam secuta esse videatur.

ORATIO

ORATIO VIII.

NEC SCIENTIIS ANIMOS eneruari, nec hebetari ingenia.

MVLTI arbitrantur eruditionem ac diligentem literarum curam vehementer ingeniis officere: ac ſe naturæ manibus tam aptè factos eſſe, & conformatos, vt putent bonam indolem rerum vſu maturiùs, quàm ſoleat, ſuſcepto meliùs excoli, & liberaliter, id eſt, materni, vt quidem volunt, præceptis inſtitutam parum eruditionis requirere, ad præclara munia obeunda. Quis in tantâ politiſſimorum hominum luce, quis in tanto fervore ſtudiorum hunc errorem ferat? qui publicam vtilitatem non mediocriter vulnerat, qui proſcindit omnium ſapientiam ſæculorum, qui literatorum nationi labem inurit ſempiternam. Neque verò à plebeculâ cri-

minatio hæc eſt: ſed ab iis, qui ſe humanitate cæteris, cultúque morum præſtare gloriantur. Vtinam A. A. mihi tam facile eſſet virtutis & ſapientiæ amorem in eorum animis excitare, quàm iniquam eorum iniuriam repellere: ac demonſtrare publica duo tempora, pacis & belli, ſine hoc excellenti præſidio non poſſe procedere fœciliter. Atque illud imprimis lætandum mihi eſſe video, quòd dicam apud eos viros, qui cùm omni virtutum laudabiliúmque artium genere ornatiſſimi ſint, ſuam agi rem exiſtiment: & in eâ civitate, quæ & Muſarum domicilium & ſapientiæ ſedes & Palladis ſacrarium dici meritò poſſe videatur. Accedit & illa voluptatis iucunda titillatio, quòd hæcce mea defenſio, ſit omnium ætatum ſæculorúmque omnium defenſio: materiæ verò dignitas tanta ſit, vt ex ſe ſatis habeat, vnde pertrahat animos, & ſilentium apertiùs, quàm vt poſtulem, pollicatur. Itaque vt inde mea proficiſcatur defenſio, vnde alij ſuæ criminationis momenta præſertim ducunt, magna vis eſt humani ingenij, fateor, multúmque roboris habet indoles ritè ſub fauſtis penetralibus educata: elucet præ cæteris, & vrbanitate

longè superat ingenia, quæ lucernæ, ad quam infomnes vigilias traduxerunt, fuliginem quodammodo redolent. At quis ignorat vim illam insitam doctrinâ promoveri? animósque, quò fortiores sunt, eò magis eruditionis adminicula postulare? Equus, vt aiebat Socrates, quò generosior, eò magis, vt prosit, exercendus est. Et sanè celerrima Citharœdi manus assiduo citharæ pulsu doctior in dies euadit; musicorum voces perpetuâ modulatione magis magísque dulcescunt; ac vegeti saltantium pedes frequenti saltitatione ad numerum rotantur alacriùs. Cur hæc in parte peior erit animorum conditio? præsertim cùm sit ager, qui quò magis domatur & colitur, eò meliùs divina scientiarum semina recipit, receptáque profundit vberiùs: & scientiæ sint veluti silices, ad quos attritu, ingenia clariùs elucescunt. Triumphent tamen illa præclara ingenia, de rebus omnibus, si diis placet, edisserant: quomodo tandem? Æra tinnientia sunt, quæ vacuitatem satis præ se ferunt. Vnde enim illas rerum notiones, quarum operâ prudenter de rebus sentimus, haurire potuissent? nisi fortè aut è nutricum nænia responderint: aut se Platonico vel Py-

thagorico more edoctos fuisse affirmaverint. Arbitror enim de rebus dubiis non posse aliter recte & sapienter iudicari, quam similia inter se, & præterita cum præsentibus conferendo. At vnde nam exempla suppetant, vnde præteriti temporis cognitio constare potest iis, qui veterum monimenta nunquam inspexerunt? ex quibus pascitur ingenium, vitæ ciuilis depromuntur præcepta, & vegetus animi vigor roboratur. Itaque in iis omnibus quærendis, in iis assequendis, in possidendis quid labis, quid caliginis, quid vitij nostra mens contrahere potest! Imò verò illis obstrictis antibus adiuta tenebras à natura insitas exuit, ac pulchérrimis splendoribus illuminata, abstrahit sese quodammodo à corpore: & foras eminens effertur semper altius: & naturæ prope modum oblita suæ non humanum iam se, sed esse quidpiam diuinum putat. O scientiam verè pabulum ingeniorum! ò lucis fontem! matrem sapientiæ! ò vitæ magistram certissimam! Vituperare igitur te quisquam, & hoc parricidio sese turpiter inquinare sustinet? ac tam impie ingratus esse, vt eam accuset, quam venerabundus admirari deberet? Sed, vt opinor, hic error, & hæc

indoctorum animis offusa caligo est, quòd cum viderent sapientes sublimium rerum contemplatione occupatos leuissimarum rerum curam aspernari, illud iis vitio verterent, putarentque ex aliquâ eruditionis labe proficisci. At pueris, inquiunt, antequam in disciplinam tradantur, nihil lætius est, nihil vegetius: literatis verò quid ad vitæ consuetudinem? quid ad ciuilia negotia minùs idoneum? Illos è scholis educite, & in consessu politissimorum hominum, aut in foro collocate, velut è quodam specu in hanc pulchram rerum faciem lucémque emergentes caligabunt. Date stadium, in quo decurrant: ad ipsa hærebunt repagula: date theatrum, in quo vmbratiles explicent disciplinas: obmutescent. Quanto meliùs in concionibus ciuicis illiterati ciues opinantur! Scientiæ cerebrum obtundunt, ac stuporem, vel insaniam, vt Paulo quondam Festus obiiciebat, inducunt. Earum tamen, vt aliarum rerum, intemperantiâ laboramus. Paucis opus est literis ad bonam mentem. Natura enim omnium virtutum nobis semina indidit: quæ leviter adiuta, satis facilè adolescunt: & meliùs vsu, rerum omnium magistro, quàm mutis mortuorum exem-

plis, ac colloquiis debitam maturitatem consequuntur. Testis Hermogenes, cuius adolescentiâ nihil acutius: senectute verò nihil magis delirum fuit. Qui porrò fuerunt maximorum regnorum conditores? Sederat-ne Romulus in scholis Philosophorum? Lycurgus, quid? qui è mediâ Lacedæmone scientias sustulerat. Nunquid Ottomanus, Phenissa, & ipse Pharamundus! id minimè quidem. Quàm firmiter tamen, quàm prudenter magnorum Imperiorum fundamenta iecerunt! Iam verò conferatur fortitudo Marij cum Ciceronis ignaviâ: Coriolani prudentia, cum stultitiâ Claudij: Lysandri virtus cum Diogenis insaniâ: cum Democriti stupore, sapientia & concilium Epaminondæ. Neque verò, inquiunt, negari potest audaciam ab imperitiâ, dubitationem verò & diffidentiam ab eruditione proficisci. Testis est illa Romæ veteris simplex & aperta virtus, quæ in obscuram & inertem scientiam conversa est. Testis Athenienſium civitas, quæ, cùm literarum parens haberetut, Spartæ tamen scientiarum omnium experti, victa succubuit. Testes tot Orientis Imperia, quæ per se stant, & fortunæ ludibrio constanter obnituntur. Testis iterum ingens

illa Turcarum ditio, quæ, licet ab eâ artes exulent, Græciam tamen crudeliter premit, & penè toti Europæ ſuperbiùs inſultat. Hæ ſunt rationes, quibus iſti literarum oſores ſuam criminationem firmiter ſtabilitam eſſe arbitrantur. Quibus tamen ſatis à me reſponderi exiſtimo, ſi dixero, quod Ariſtippus olim cuidam dixiſſe fertur, cùm ab eo rogaretur, quid eruditio filio eſſet allatura: ſi nihil aliud, ſaltem, inquit, quòd in theatro lapis in lapide non ſedebit. Et ſanè Bambaliones iſti, quid ſunt aliud, quàm, vt ille aiebat, aurea mancipia, qui deſidem vitam amplexi, luxu & inertiâ infamem, nihil agunt, quò ſe homines eſſe teſtentur: qui neque domi, neque militiæ: neque publicè, neque privatim: neque ſibi, neque aliis vtiles ſunt: vitæque curriculum ita conficiunt, vt velut aves in aëre, & naves in mari nullum ſuæ fugæ veſtigium relinquant. At ex iis illud vnum libenter quæram, quod hominum genus ſapientiâ & fortitudine præſtare putent? quid? in gladiatoriâ corporis firmitate? in præcipiti audaciâ? in quadam animi cœcitate, & omnium rerum ignorantiâ vtramque virtutem poſitam eſſe putant? quæ omnia in feris cæteríſque brutis animan-

tibus, in dementibus ac furiosis esse non diffitentur. Quidnam ole corporis, morúmque barbarie & belluinis viribus fortitudinem contineri putant? animo fortem esse oportet consilio, prudentiâ, intrepidâ & sagaci mente, sedulitate, solertiâ, sælici demum virtutis & scientiæ copulatu. Ego illos esse fortes existimem, qui temerè & sine delectu aggrediuntur omnia? qui in cruentas cædes efferato mentis impetu se præcipitant? qui se suâque omnia sine consilio & sæpe cum dedecore in omnia discrimina proiiciunt? qui vecordes igitur, si quidem hi cordati? qui stulti, qui procaces, qui temerarij, qui præcipites, & insani nominabuntur? Magnum sapientiæ nomen est: magna species fortitudinis, magna vtriúsque dignitas. Non capit vnius hominis ætas, non assequitur vnius sæculi experientia: non subministrat natura, non denique brevior rerum vsus rem tantam, tam arduam ac difficilem parit. Ex veterum monimentis eruenda est, haurienda ex antiquitatis fontibus, exemplis vsúque sæculorum exprimenda. Sed ne videamur vllam criminationis partem velle silentio obruere, singulas alternatim retexamus. Atque imprimis, quòd illa puerilis ætas vegetam

ac lætam loquacitatem deponat, non differebor in nonnullis: vtinam in omnibus. Mollis illa domestica educatio, quam parentes indulgentiam vocant, in omnem licentiam pueros laxat, & verba ne Alexandrinis quidem concedenda deliciis permittit: imò, risu & osculis excipit: quæ postquam à præceptoribus castigata defferbuit, & in quoddam teneræ sapientiæ germen conversa est, tunc illos mentis impetus amittit: & coercita, segniùs quidem, sed sapientiùs operatur. Iam verò, ex quo fonte prudentiam veriùs hauriant, quàm è consuetudine, & convictu heroum, quorum virtutes, facta, vita denique omnis illis imitanda proponitur? quæ robur animo, moribus cultum, nitorem orationi, aciem ingenio, & vim iudicio conciliat. Hæc enim rerum eventus multiplices, & temporum rationem exponit: hæc non vnius vitam hominis, sed omnium ætates populorum: non ætatis vnius facta, sed sæculorum omnium memoriam comprehendit! An putas vitæ tuæ brevitatem prævalere posse tot Regum, tot Imperiorum, tótque sæculorum experientiæ? Si Regni moderandi industriam ex vsu tuo expectaveris, multa everres, ante-

quam vnius clavum rectè tenere didiceris. Quot ægri enecti sunt, antequam illa Empiricorum medicina adoleverit? Vnde igitur, inquiunt, in tot vitæ civilis actibus stupent literati? Stupent! vbi tandem? Ad anicularum & mulierc ularum nugatorias confabulationes hærent: cur ita? quia sapere didicerunt. Barbaras voces rabularum, calumniantium vindicias, anfractus, ac circulos litium ignorant quidem: sed ista puerorum pabula sunt, non hominum; scribarum remoræ, non literarum: quæ, si mererentur, intra triduum etiam addiscerentur. Sed ad graviora pergamus. Scientia, inquiunt, insaniam inducit. Exurgite sancti Manes Philosophorum, à quibus sapientia profecta dicitur. Plato, tuum illud divinum nomen miserè deturpatur? Socratem decepit oraculum: eius sapientia verè insania fuit. Hîc iam existite, Alexandri, Pericles, Agesilai & cætera venerandæ antiquitatis decora, & labem vestræ memoriæ innustam eluite. Cur tanto ardore disciplinis incubuistis? cur Philosophos & Oratores tanti feciſtis, vt vestris lateribus affixos perpetuò haberetis? Quid? non infregerunt animi vigorem, non aciem ingenij obtuderunt? Vos,

vos appello Scipiones, Syllæ, Pompeij, Cæsares, gentium omnium domitores, Romani decora Imperij, & lumina maiestatis. Crimen fœdissimum refellite, pudorem eluite. Cedat vestra doctrina barbarorum stoliditati, vestra sapientia insaniæ, fortitudo temeritati, stupiditati scientia. Sed quid exteros commemoro? ingemiscite nostrorum Regum cineres, ingemiscite. Caroli, Ludovici, Francisci, errorem vestrum agnoscite. Cur tot Academias, tot Artium, ac disciplinarum domicilia excitastis: excitata, censu & amplissimis honoribus adauxistis? Quàm præstitisset in vestro Imperio pati barbariem, quàm istam literarum intemperantiam inducere, quæ frangit animorum vires, & enervat ingenia! Hæc fuit labes vestri Imperij, lues subditorum, posteritatis clades, memoriæ vestræ turpis macula. Sed vt clariùs vobis omnibus pateat, qualis res ipsa sit, fingite Carolum Magnum è beatis illis sedibus delapsum hîc conspici, ac pro se cæterísque mortalibus causam agere: quid dicturum putatis? Profectò si loqueretur, istorum stultitiam sic argueret. Viri, cur tam acerbè literas, adminicula naturæ, vitæ ornamenta, præ-

ſidia regnorum inſectamini? Nunquid audiviſtis quod ait divinus Plato , fœlicem Rempublicam , fœlices populos, quorum Reges philoſopharentur ? nunquid familia noſtra vobis hoc ſatis apertè declaravit ? Quid meo Martello aut eruditione cultior , aut inſtructior diſciplinis ? quis etiam aut in Imperiis condendis cautior, peritior in adminiſtrandis , in defendendis paratior fuit ? Nunquid cùm illiteratorum Regum ſocordiâ vacillans imperium ſuâ prudentiâ confirmaſſet , idem prodigioſos Sarracenorum exercitus ab eius finibus ſummovit , & ampliùs trecentis millibus interfectis ea erexit trophæa , quæ & Cæſarum , & Alexandrorum victorias obſcurarent. Nonne tanto patri ſimillima proles Pipinus ſapientiæ beneficio Gallorum amorem aucupatus , ſibi ad Regnum iter munivit , quod poſteà nobis florentiſſimum reliquit ? Nos verò iiſdem præſidiis adiuti illud latè propagavimus, fœlici reximus imperio, & omni bonorum genere refertiſſimo potiti ſumus. Non vos moveant barbarorum imperia : imperia dicam ? at cruentæ Tyrannides, cædibus & parricidiis pleniſſimæ , libidinibus ac furiis redundantes Anarchiæ : quibus vt

fœlix temeritas, furor & rapina initium dare ſolet: ſic ad miſerandos exitus impetu celerrimo præcipitantur. Ibi nulla regni ratio eſt, vbi nullum ſcientiæ dominium. Citò cadunt, quæ ſapientiâ deſtituuntur. Quàm miſerabilis exitus fuit Marij, Coriolani, Annibalis, Macrini, aliorúmque quibus non virtus, ſed ferocia aliquid famæ conciliauerant! quantis maculis ſuum nomen ac memoriam deformarunt! Non enim tantùm ingenia diſciplinæ acuunt, non magnarum rerum prudentiâ tantùm illuſtrant, ſed etiam humanitate colunt, clementiâ mitigant, leniunt manſuetudine, facilitate morum elaborant. Nam quòd Romulus, Lycurgus, Pharamundus & illi maximorum imperiorum conditores mediocri eruditione illuſtrati magna moliti ſint, Phœnices ſunt, quorum ſingularis virtus æmulos non habet aut imitatores. Talis, opinor, foret tanti principis oratio. Age igitur, perfrica frontem, ſi habes, literarum obtrectator, & dic nimiâ eruditione obtuſa ingenia ad ſocordiam deſciſcere. Si fas eſt Cælitum ſermonibus quidpiam attexere, dicam apud Ægyptios, Perſas, & Indos, olim eoſdem fuiſſe reges ac Philoſophos. Apud Græcos verò, gentium penè

omnium domitores quis neſcit Tyrtæum ſexies eduxiſſe exercitus? Meliſſi navales victorias, ſtipendia Socratis? Platonem & Xenophontem egregiam in bello civibus ſuis operam præſtitiſſe? Parva ſunt foris arma, inquit Tullius, niſi ſit conſilium domi: neque minorem vtilitatem afferunt, qui Togati Reipublicæ præſunt, quàm qui bella adminiſtrant. Sed vt dicam, quod ſentio, fateor vſum plurimùm poſſe in vitâ: fateor prudentiam civilem, cuius præcepta continentur in libris, variâ rerum tractatione elaborari ac perfici: at etiam viciſſim fatendum eſt, vſum rerum ſæpe ſortiri infœlices exitus, ſi præſidio ſcientiæ deſtituatur. O ſi vtríque Gallica nobilitas incumberet, & animi præſtantiam paulò accuratiùs ſapientiæ præceptis adiuvaret, quantò fœlicior foret & privatim, & publicè regni conditio! Quantò maius familiarum decus! quantò latiùs Gallicæ gentis gloria perſonaret! Etenim iam illud omitto, quod noſtris militibus vitio datum eſt, eos ad mortem ſæpe ruere inconſultò; illum vincendi ardorem, qui prudentiâ ſe temperari vix patitur, cœptis arduis interdum excidere turpiter. Huic enim criminationi locus eſſe potuit, cùm

eorum, qui rebus præerant, debilius erat consilium, quàm vt se, aliósque rectè moderaretur. At ex eo tempore, quo maximus ille Richelius virtute, fortunâ, rebúsque gestis ampliſſimus, publicæ administrationis ab optimo Rege particeps factus est, quid tam firmum fuit ac munitum, quod nostris armis sæpe exguo sanguine non patuerit? Dicam hostium artes fœliciter elusas? tot vrbes per hosce annos expugnatas? Regi conciliatos Principes, quorum studia Hispanorum fraus ad se pellexerat? dicam Austriacos ab innumeris hostibus premi ac penè opprimi? tot populos illo aspirante in libertatem vindicatos? Galliam denique, quæ suis hostibus aliquandiu ludibrio fuerat, illo animante suos metus in securitatem, debilitatem in robur, & despectum in maiestatem commutasse? Sed finem dicendi faciam, vbi circumfusam hanc lectissimam Iuventutem vnius rei commonuero, nunquam posse vitam rectè instituì, nihil veræ laudis comparari posse, nisi ætatis primordia omnibus disciplinis diligenter exculta fuerint. Vobis igitur, Adolescentes, illud humanæ imbecillitati munimentum inexpugnabile, vt ait Seneca, comparate: quod qui circumdedit

sibi ; securus in hac vitæ obsidione perdurat : præsertim verò discite in hac ætate, quæ vobis viris vsui futura sint, & quæ, cùm didiceritis, posteà exerceatis.

AD

AN PRÆSTET LATINO ET GRÆCO sermone, quàm Gallico scientias tradere.

ETsi hæc anni Academici ineuntis celebritas orationes ad ostentationem comparatas postulare soleat, A. A. tamen pro meo augendæ rei literariæ studio illum omittam declamationis ambitum: ac dicendi argumentum apud vos hodierno die assumam, quod, quia celerem eruditionis consequendæ viam quærit, & vtilitatem cum voluptate coniunctam habet, non hominum modò doctissimorum ingenia, sed multorum etiam principum curas exercuit. Quærere enim quâ potiùs linguâ tradi scientias, & eruditi iuventutem præstet, si quis est, qui leue quiddam ac ludicrum

eſſe putet, is profectò, quid vtile ſit, quid commodum in vitâ, non intelligit: neque quanti ponderis ſit ea quæſtio, ad quam diligenter excutiendam principum linguarum idiomata cognoſcenda ſunt, ac rudera putidæ antiquitatis perſcrutanda. Imprimis verò vehementer gaudeo, quòd mihi dicendum ſit apud eos viros, qui, cùm vario virtutum ſcientiarúmque genere ornatiſſimi ſint, ſuam agi rem exiſtiment: & eâ præditos humanitate, vt, ſi quidpiam in tam copiosâ materiâ ſuis auribus dignum non attulero, id non tam mediocritati meæ, quàm ſuæ eruditioni, ac præſtanti ingenio tribuendum eſſe putent. Vnum tamen me non parum commouet, quòd in tam lubricâ & ancipiti materiâ mea verſetur oratio, vt vtram potiùs partem amplectar, vix intelligam. Nam ſi mortuas, vt vocant, linguas noſtrę prętulero, quanta mihi tempeſtas invidiæ imminet! Noſtram cęteris anteponam? manifeſta videbitur adulatio, & in propriâ causâ prævaricationis ſuſpicionem incurram. Dicam tamen: ſed eâ dicendi moderatione vtar, vt nihil veterum dignitati, nihil noſtrorum elegantię aut daturus ſim immeritò, aut detracturus iniuriâ. Atque

vt ab eorum rationibus mea proficiſcatur oratio, qui Gallicę linguę gloriam ſtudiosè promoveri volunt: magna profectò eſt, inquiunt, & ſtudiis infenſiſſima, illa, quę ab exteris linguis longior mora eruditioni importatur. Quandiu enim circa earum principia nobis luctandum eſt! quos labores Grammaticalium pręceptorum infinita propè multitudo parit! In ipſis repagulis diu pueris inſudandum eſt, antequam in curſum ſe provehant. Iam virilis ætas ad curam rei tùm privatę, tum publicę eos vacat, cùm ne tunc quidem ſcientiarum veſtibulum attigerunt. Iuventutem peregrina illa aſperitas à ſtudio removet, & ſola laboris cogitatio tantum horroris quibuſdam obiicit, vt etiam experiri quàm graviter reformident. Romanum ſermonem æquiùs aliquando amplectuntur quidem, ſed gravatè ſemper: &, ſi ſortis iniquitas, aut temporum ratio pateretur, illud iugum libenter excuterent, ad quod ſubeundum verecundię tantùm ſtimulis impelluntur, ne fortè cæteris aut omnino ignari, aut ad omnia inepti eſſe videantur. Iam verò, quid tandem tantis ſudoribus aſſequuntur? Quis ignorat quàm tenuis illa ſit linguarum cognitio, quam

tamen maximam nobis effingimus? Nam si externi homines, qui sępe ad nos studiorum causâ commeant, longâ nobiscum consuetudine, atque vsu diuturno non nisi imperfectè linguam nostram addiscunt, qua ratione veteres linguas, temporum situ & carie corrosas mediocri labore, & à magistris, qui ad id, quod profitentur, aliis ipsi sępè magistris indigent, pauco tempore didiceris! Ac licet totius vitæ tempus huic labori impenderis, Plautinos tamen Agasones, vt ait Lipsius, sermonis elegantiâ vix prouocaveris. In iis sumus semper peregrini: nos orationis nitor, nos idiomatis diversitas, nos apta verborum collocatio latet: nec vnquam ingenij nostri fœtus tam laudabiliter alieno, quàm materno vbere nutriuntur. Quâ quidem in re Ægyptij nobis multò sapientiores extiterunt: scientias, quas ab Hebræis acceperant, non Hebræo, sed suo sermone excoluerunt: nec Græci Ægyptiotum voces vnquam, sed scientias tantum & notiones in suam patriam retulerunt. Nunquid Romani, Græcis licet aliquando præceptoribus vsi sint, caverunt tamen propositâ exilij pœna, ne quis alio quam Romano sermone publice loqueretur? Itaque Ti-

berium ferunt Græcam vocem, cùm Latina tempestiuè non occurreret, petitâ priùs veniâ in senatu protulisse. Ac certè ipsemet prohibuit, ne quis aliâ, quàm Latinâ linguâ in iudiciis instruendis, dicendis testimoniis, condendis testamentis, relinquendis legatis, interponendis stipulationibus Romæ vteretur: & vni ex omnibus Græcis hominibus Moloni Græcè in Senatu loqui concessum est. Quoties ipse Tullius, qui Græca tam auidè complexus est, vt ipsis etiam Græcis præstare videretur, Albutium increpuit, quòd mallet peregrino, quàm Latino sermone salutari? Quoties Albinum, qui Romanorum gesta, Græcâ oratione illustraverat, dicteriis mordacibus laceravit. Et ipse testatur de se graviter se à Romanis sæpe incusatum fuisse, quòd Syracusis Senatui Syracusano Græcè locutus esset: & Galenus iudicij vir acerrimi Alcibiadem arguit, quod varias linguas calleret, & vnam esse solùm tuendam existimat. Ludovicus Duodecimus Galliæ Rex, vetuit ne iudicia criminalia imposterum Latinis verbis conficerentur, & testimonia cùm in privatis, tùm in publicis iudiciis Gallicè dicenda esse deinceps constituit: quod quidem in omnibus iudi-

ciis vbique obſervari, in contractibus ac iudicum ſententiis Franciſcus Primus paulò poſt ſancitâ lege ordinavit. Indignum eſt noſtræ gentis elegantiam aliundè ſuis accerſere nitorem ſermonibus: indignum eſt illius ingenia notiones, quas vberiùs per ſe profundere poteſt, apud mortuos mendicare. Quid ab huius imperij maieſtate, quid ab incolarum vrbanitate, quæ nationes exteras ad ſe concitat, magis alienum? Liuor eſt, ſpretis opibus, quæ penes te ſunt, alienam ſequi paupertatem: inſania, proprias meſſes proculcare, & alienas cariſſimè licitari: furor, liberos enecare, vt alienorum adoptione perfruaris. Hæc profectò plurimos fortè moveant: quæ compendioſam eruditionis viam indicando, noſtro labori parcunt, & noſtræ gentis gloriam prædicando ſuaviter nobis adulantur. Ne tamen omnia nobis impertiri, & noſtræ ignaviæ cupidiùs blandiri velle videamur, telam retexamus, vt, ſi quam fortè nubeculam proprius amor obduxerit, eâ diſcuſsâ veritas clariùs eluceſcat. Ac primò quidem me plurimùm movet adoleſcentiæ iactura, quæ in gravi illâ luctâ cum principiis linguarum conſumi ſolet. Illius enim ætatis, ex quâ totus vitæ curſus

& morum rectitudo pendet, præcipua ratio haberi debet. At quis eam ad id muneris totam poſtulat? quis tam iniquus eſt vt ea, quæ pueritiæ propria ſunt, ad virilem vſque ætatem extendenda putet? Nam ſi ſecus fieri ſolet, id non tam ipſius rei vitium eſt, quàm noſtrum, qui res ipſas negligenter amplectimur. Sparguntur illius ætatis ſtudia: alias horas nimius ſaltandi labor, alias blanditiæ domeſticæ, otium alias, & alias immodici voluptatum fructus trahunt. Adde tot laborioſas equitationes, & inſanam corporis curam: quæ ſi removeris omnia, nunquid temporum ſpatia ad linguarum diſciplinam ſatis idonea videbuntur? Mithridates duas & viginti linguas totidem gentium, quibus imperabat, percallebat: Cleopatra Æthiopicè, Troglodyticè, Hebraicè, Arabicè, Syriacè, Medicè, Parthicè, Græcè, Latinè & Ægyptiacè facillimè loquebatur: & Amalaſunta, in ipsâ barbarie nata, omnium nationum, quibuſcum aliquid commercij Romanis erat, linguas perdidicit. Nec paucas alias virgines hæc noſtra ætas oſtendit, quæ quanta ſit humani vis ingenii, ſi labore & ſtudio excolatur, ſatis indicant. Noſtra mollities maior eſt, & vix

vllus eſt, qui vitæ ſuæ tempus colligat, & opportunè collocet. Illa adoleſcentiæ prima pars, quæ propter humidam cerebri temperiem memoriâ antecellit, in addiſcendis linguis & ſcientiis tota conſumatur: è poëtis fabulas, ex hiſtoricis populorum facta & mores hauriat: tum, vbi iudicio pondus acceſſerit, difficillima quæque complectatur. Neque verò eſt, quod hæc graviora cuiquam videantur: non enim voces ab vno fonte & ab alio res hauriuntur: ſed qui voces ager profundit, idem & rerum notiones abundè ſubmniſtrat. Nam quod aiunt linguarum elegantiam nos haud vnquam aſſequi, numquid arguit ille Græcus Rhetor, qui cùm Ciceronem Rhodi Græcè declamantem audiviſſet, exclamavit, te quidem vehementer laudo, Tulli, & admiror: ſed miſeror Græciæ fortunam, videns ea, quæ ſola nobis pulchra ſupererant, per te ad Romanos perveniſſe, eruditionem & eloquentiam? Quid Plotios commemorem? quid Fabios? quid tot Gallicos & Hiſpanos Rhetoras & Oratores cùm veteres, tum novos, qui Romanos Romanè loqui docuerunt, aut eorum elegantiam ac viuam orationem proximè imitati ſunt? At, inquiunt, no-

ſtri ingenij fœtus domeſtico, quàm peregrino ſermone faciliùs exprimuntur. An infantuli nutricum, quàm parentum lacte ægriùs nutriuntur ? Struthiocamelus, alioquin habes, ingeniosè calentibus Africæ arenis oua committit, vt, quibus propter plumarum inopiam fruſtrà incubaret, ea genitali pulueris miniſterio poſſit excludere. Quantò meliùs vuæ firmo vlmorum robore aut pedamine ſuſtentatæ matureſcunt, quàm, ſi ignauo palmite depreſſæ iacerent perpetuò ? Perdices ova perdita per alterius matris damna ſarciunt, & adoptione ſobolis alienæ ſuam orbitatem reparant. Non minùs verè, quàm audacter dicam linguam noſtram nondum prorſus excuſſiſſe balbutiem : & interim, dum præſtantibus noſtrorum ingeniis excolitur, alieno egere videri præſidio. Neque verò Græcorum aliorúmque hac in parte ſimilis eſt noſtræ conditio : illi enim non tam ab aliis ſcientias acceperunt, quàm eas ipſi per ſe invenerunt : &, ſi qua illis temporibus lingua doctorum hominum communis extitiſſet, ignota cæteris, quis neget eruditos illâ potiùs, quàm aliâ, quæ imperitæ multitudini in vſu eſſet ; ſuas cogitationes fuiſſe tradituros ? Hoc ſatis teſtatus eſt

Psammethicus Rex Ægyptiorum, qui suorum subditorum liberos aliquot linguam Græcam, cuius gloria in pretio iam esse cæperat, edoceri iussit, à quibus in Ægypto orti sunt Interpretes, qui suis magnam vtilitatem attulerunt. Testatus est Antoninus Romanorum Imperator, qui Doctores omnium scientiarum Athenis annuâ mercede conductos ad omnium gentium vtilitatem habuit. Testis Carolus Magnus, tótque alij posteà Principes, qui omnium Artium Magistros in multis ciuitatibus amplissimis stipendiis iuribúsque auctos & ornatos, maximâ curâ constituerunt, cùm vt Christiana Religio latiùs profunderetur, & vna certiùs vbique illo commercio retineretur, tum etiam vt suorum populorum vtilitati & gloriæ consulerent. Quare nemini mirum videri debet, apud nos Iudicia omnia, testimonia, contractus ac similia Latinis verbis concipi & conscribi per multa sæcula consuevisse, donec superiori sæculo Ludovicus Duodecimus & Franciscus Primus Galliarum Reges illud immutassent, cùm fere omnis Iurisprudentia à Romanis profecta sit, & illum Idiomatis peregrini vsum nonnulli Romanorum Principes iam anteà suis per-

miſiſſent. At hoc Imperij maieſtate, & gentis elegantiâ indignum eſt. Tu ſcilicet vrbanior Cæſare, Auguſto Auguſtior, elegantior Tiberio, Carolo Magno maieſtate præſtantior! qui licet plurimarum gentium victores, & ſubacti orbis ceruices premerent, peregrino tamen ſermone delectabantur. Quid quòd Iuſtinianus, in ſuis conſtitutionibus Latinæ Græcæque linguæ immortalitatem cupidiſſimè comprecatur? Nam cùm ſapientiſſimus Imperator omnem eruditionis & eloquentiæ fontem in iis contineri intelligeret, neutram negligi vetuit, ne barbaries, quæ propiùs imminere videbatur, populos involueret. Et certè quandiu Itali Græca cum Romanis diligenter coniunxerunt, eos viros protulerunt, qui lumina eruditionis & eloquentiæ miracula extiterunt. Vbi verò illam veterum doctrinam cęperunt contemnere, & ſuæ linguæ modulis, quibus ſe totos addicunt, inebriati ſunt, vetus eruditio in barbariem abiit: nec eam magis irrumpentium populorum colluuie, quàm ſui neglectu conſpurcatam puto. Quò iam recidit illa vetus Hiſpanorum erudita gloria, ex quo ſuam linguam ampullatis vocibus ſtudiosè inflatam vnicè adorant, & cæteras

contemnentes eam intolerabili faſtu pronunciant? Contrà verò Germania, cuius incolæ hebetes & ad diſciplinam rudes dicebantur, nunquid inter bellorum incendia, quibus iam pridem miſerabiliter flagrat, litterarum Imperium propè ſibi vindicat? Vrit, vrit illa tot egregiorum virorum, quos docta ſæcula quondam protulerunt, æmulatio, nos acriter pungit: ac nos vix vllâ mollitie aut inertiâ languere ſinit. Magna eſt noſtræ linguæ ſuavitas, fateor: non mediocris elegantia: collata tamen cum Græci Romaníque ſermonis copiâ, gravitate & illo robore, quod tot præſtantium ingeniorum laboribus completum eſt & conſummatum, plurimum dignitatis amittet: ac floſculos, quibus tantoperè delectamur, vixdum naſcentes, aut è calyce emergentes deprehendemus. Vobis in mentem redeat ſuperioris ſæculi ratio, A. A. quàm fœda, quàm turpis occurret? Dicam iam fœtere Amioti ſtylum aureum? iam exoticum Perronium? iam Ronſardi delicias putidas? Atque vt omittam eloquentiæ lumen hactenus apud nos tenuiſſimum extitiſſe, aliqua gloriæ Pöëtarum noſtrorum opera nuper meruerunt: ac præſertim ſcenæ ex nonnullorum ingeniis lux non mediocris affulſit: ſed

quanta eſt in iis verſibus, quibus tantopere gloriamur, obſervatio? quid artis? quæ varietas? Vix aliqua in iis aut pedum aut ſyllabarum ratio adhibetur: impunè quicquid volueris, in medium licet ingerere, dum ſyllabarum vltimarum memor ſecundos aut quartos verſiculos in calce ſibi occinentes conſtituas: cui etiam rei quantùm noceat verborum inopia Poëtæ nimis experiuntur. Illa rhythmorum concinna fœlicitas, & apta ſimiliter cadentium iunctura, in quâ nobis ſplendeſcimus, Græcæ & Latinæ Poëſeos infantia fuit, & vtriúſque morientis ſuprema ſuſpiria. Quis enim neſcit verſus illos, quos Latio Fauni, vt ait Ennius, vatéſque canebant, rhythmis aptè cadentibus conſtitiſſe? in quibus poſteà repertis pedibus, & eorum in certis locis otdinatione factâ, metra emerſerunt: quod etiam in noſtrâ linguâ forſan apparebit, ſi quando nacta fuerit eruditionis fructus vberiores. Hoc tamen vnum concedamus, quod veterum linguarum oſores maximè agitant, graviſſimi quique Scriptores vernaculi celebrentur: nunquid hoc fiat, vt otioſarum mulierum cœtus, quibus, ne déſit, quod ante focum inter ſe garriant, de antiquo-

rum moribus, geſtis populorum, naturæ operibus, vniuersâ cœleſtium motuum deſcriptione, adminiſtratione imperiorum, & altiorum diſciplinarum, quæ ad eas minimè ſpectant, ratione differere: orbis ſitum regionúmque poſitus, in cinere deſcribere poſſint? vt ne vltrà Moſæ & Garumnæ gurgites, intrà Pyrenes & Alpium clauſtra Gallicæ gentis bellica virtus comprimatur? vt ne quidem ab omnibus Galliæ incolis, populíſque ab Aulâ paulò remotioribus, ac proximè ſequenti ſæculo, & vix à viciniâ intelligatur? Quantò melius eſt eâ linguâ celebrari, quæ gentium omnium communis eſt, quæ veterum eruditâ eloquentiâ tótque præclaris operibus immota conſiſtit: quam perire prohibet Chriſtianæ Religionis æternitas, quam nulla temporum, nulla nationum conturbatio corrumpet, quæ cæli & Oceani terminis definita nunquam euileſcet. Itaque quod M. Catonem illum Cenſorium vaticinatum ferunt, cùm adhuc Græcis literis infenſus eſſet, quas tamen poſteà, errore cognito, ſenex auidè complexus eſt, Græcos, ſimultátque ſuas literas in Vrbem miſiſſent, omnia eſſe perdituros: multò nos hodiè certiùs poſſe prædicere

videmur, ſi homines noſtri vtráſque linguas æternas aſpernari cœperint, omnibus bonis Artibus certiſſimam peſtem ac perniciem imminere. Quod quidem ſi nonnulli propter rerum imperitiam, aut obſtinatum quoddam in veteres & peregrinos odium agnoſcere non poſſint, obdureſcant illi in ſuâ ſententiâ, dum nobis ignoſcant, ſi, quo in ſtudio plurimum operæ viri cordatiſſimi collocant, ab eo non facilè abducimur, ſi dignitatem eius conſervare nitimur, & quas ex eo vtilitates percipimus, cum aliis communicare conamur. Nolim ego quemquam à vulgaris linguæ ſtudio deterrere, cui poliendæ præclara noſtrorum ingenia graviter inſudant: ſed, dum eam, quam in antiquis miramur, conditionem & maieſtatem æquaverit, à ſolitâ ſtudiorum orbitâ non deflectemus. Ad hoc enim nos Maiorum inſtituta, ad hoc noſtrorum Principum prudentia, & gentium exterarum exempla ducunt: ad hoc fœlix ſtudiorum conditio, quâ populi illarum immortalium linguarum amantes vtuntur: & fœda ignorariæ caligo, quâ premuntur ij, qui domeſticis ſordibus plus æquo addicti ſunt, adhortantur.

Digitized by Google

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER PRIMVS.

PRO LVDOVICO A-DEO-DATO VOTVM.

FRANCIGENÆ Indigetes, tuque ô sanctissima Virgo,
Gallica cui seruit pietas, populique clientes,
Perpetuisque sacræ celebrantur honoribus aræ,
Auxilio iam serte manus, precibúsque Tonantem
Flectite, vestrarum titubat iam gloria rerum:
Deliciæ populi LVDOVIX, illa aurea Diuûm
Progenies, teneræ qui nuper honore iuuentæ

Æmula ſydereis vibrabat lumina flammis,
Ore nitens: qualis primâ cùm lotus in vndâ
Lucifer auroræ roſeos prænuntiat ortus:
Qui ſyluis agitare feras: quique alite plumbo
Dejicere è cœlo volucres: verſare ferocem
Cornipedem audebat: rutiliſq; decorus in armis
Diſcebat Patrium tractando fulmina Martem,
Heu, languet! morbóque iacet reſolutus inerti.
Plurima dilacerat formoſum puſtula corpus:
Graſſatur, ſerpitque lues vitalia circum
Prô dolor! ac niueos auidè depaſcitur artus,
Et pauidas ægrà librat formidine mentes.
Hunc, ſi qua eſt cœlo pietas, arcete periclo.
Eripite inſontem: afflictæ miſereſcite gentis.
Ecce affuſa aris populorum examina, humique
Strata iacent: planctúque ſonant delubra, reuulſis
Liminibus. miſeræ Natum ſeruate Parenti:
Quæ reliquas gemino inſignis modò pignore Matres
Ante-ibat, celſóque caput tollebat olympo,
Nunc mœrore eheu! confecta, & perdita luctu
Natorum oſtentat cœlo tabentia membra:
Fortunámq; vteri, miſerandáque viſcera plangit:
Diuulsámque domum, & matri, prô triſte doloris
Ingenium! affatus vetitos, vetita oſcula clamat,
Ac premit inuidiâ Superos. Quis numina deinde
Veſtra colat? decorétque ſacris altaria flammis,
Hanc ſi projicere, ac ſæuis ſtat prodere fatis,
Quam Deus vnus agit, totúmq; in pectore cælum?

Alto Cælicolûm prosit de sanguine nasci:
Illustrare genus: magnis intendere curis:
Discere Majorum decora: atque instare trophæis,
Heroásque sequi: cognatóque addere laudis
Incrementa polo. nam quos pietatis honores
Ostendit iam dignus Auis! quàm ingentia facta!
Arua illam haud capiant magno regnata Parenti.
Hunc ipsum spondet pulchræ vlutis imago,
Qui pacem, qui bella regat: sanctóque remotas
Imperio amplexus gentes, celsúsque superbo
Terrarum in solio subjectum temperet orbem.
Cernite vt ingentem Carolum iam præcoce præstat
Majestate ingens: vt Honos, & Gloria fronti
Insidet: vt niueo Lodoïcum pectore reddit,
Henricúmque animo: & Proauos complectitur omnes,
Ac properat veterum fastigia vincere laudum.
Aggredere, ô Iuuenis, cingi maioribus armis,
Aggredere, & præuerte annos, mundúmque labantem
Suppositis iam siste humeris: te, te ardua pridem
Cœpta vocant. expelle nefas, ritúsque profanos,
Omnigenas scelerum facies, cædésque cruentas.
Fas, morúmque decus redeat, reuerentia legum:
Ac primæua refer coniunctis tempora sacris.
Te longùm cupiant Superi: neque sydera terris
Ante diem inuideant: sed bella, sed horrida bella
Pacare, euersoque sinant succurrere sæclo.

Anne ideo ſeris Matri prognatus in annis,
Tot lacrimis hominum, votiſque petitus olympo,
Vt vix oſtenſus terris, vix dulcia vitæ
Munera ſortitus, ferreâ ſub nocte prematur?
Atque atræ immerſus morti fruſtretur hiantes
Spe populos? lucémque, & tantos deſerat actus?
Anne ideo armorum primo conceſſa ſub æuo
Magna rudimenta, & captæ puerilibus vrbes
Auſpiciis: Scaldis vinclo, Rhenúſque reuincti:
Itala ab Hiſpanis tellus munita catenis:
Recluſum Arctoum pelagus: commercia ponto
Reddita: tot factis latè, tot didita terris
Gloria, vt immiti melior cadat hoſtia fato?
Anne ideo LVDOVIX *confuſo in turbine rerum*
Borbonidas, fortes animos, & proxima fato.
Pectora iungebat moriens: Aulámque labantem
Acri obuallabat curâ, & munimine tanto,
Vt ſubita heu! patrias euertant funera curas?
Regni ideo exceptam firmaſti vertice molem,
O Gallis, IVLI, *demiſſum ſydus olympo:*
Ac fidos referens proauos, quos impius enſis,
Sicanáque hauſerunt Franco cum milite templa,
Sceptra, vigil Cuſtos, puerilíque arma tueris:
Armandúmque, alióſque premens ingentibus auſis,
Iam partos condis maiori luce triumphos:
Atque Moſam, & priſcum Vahalim, Ticinúmque
Padúmque,
Ac Siculos agitas Calabris cum mœnibus agros,

Parthenopénque iterum Francis connectere regnis,
Vt tanta immenſis turbetur gloria damnis?
Surda ſuperuacuis ſed tundimus aſtra querelis.
Languidus heu! LODOICE, iaces: te dirus, vt antè,
Ignis habet: torrétque latens præcordia peſtis.
Quæ ſcelera heu! luimus? quo ſontes crimine terras
Polluimus? nobis-ne fides neglecta? iacet-ne
Relligio? aut ſacris cultum detraximus aris?
An Paci arguimur Martem præferre cruentum?
Traxere haud tantas niſi magna piacula pœnas.
At quot ſuccurrit miſeris mortalibus Aula,
Tot populos complexa fide, tot fœdere gentes?
Vndique Regna iugo, & vinclis ſeruilibus vrbes,
Ac veteres hoſtem ſubigit dimittere prædas,
Terrarúmque orbem Gallorum vindicat enſis.
Arma Aſtræa regit: mediis ingentia bellis
(Magnarum licet incumbant impendia rerum)
Aſſurgunt templa: &, paci vix cognita dona,
Aurati lucent apices: delubráque votis
Plùs, quàm thure, cálent: iam ſunt ſua præmia laudi:
Colla leuant Artes: vrgéntque morantia Franci
Fœdera: victores parto deçedere iure,
Pacem emere, & magnis litem componere damnis
Omnipotens teſtis. cognatum incurrere Belgam
Iam piget, atque Arcton, longóſque vrgere labores
Auſtriadûm, & duros ferro contundere Iberos.

Hos curarum æstus versantem, & multa gementem
Assiduè vidit Titan, dum oriénsque cadénsque
Ter quater aduersis retulit vagu lumina terris.
Insanis & adhuc clamoribus æthera pulsans
Altè incusabam Superos, ipsúmque Tonantem:
Allapsum cùm murmur iit, atque impulit aures
Fama vigil vim stare mali, febrimque remissam,
Firmarique artus, oculos radiare nitentes,
Et vegeta in plenas exurgere corpora vires.
Lætitiâ exiliunt animi: conceßáque suadent
Munera, tandem hominũ votis subscribere Diuos.

ILLVSTRISSIMO VIRO PETRO SEGVIER FRANCIÆ CANCELLARIO Gratiarum actio.

INSPIRARE *nouos mihi fas Polyhymnia cantus,*
Inque hauſtus totas concedere Caſtalis vndas.
SEGVERIO *grates agimus. Legum illa Poteſtas*
Excubitórque vigil, certúmque, impubere Regno,
Francorum columen: mediis quo cardine bellis
Majeſtas ſtat nixa Togæ: quique arte magiſtrâ

Conſocians animos, & magnæ pectora gentis
Conſiliis iuuat: & curas accitus in omnes
Intrà extráque mouet tantarum pondera rerum,
Pérque Caput vaſtis infundit robora membris:
Ille, inter ſtrepitus Aulæ, Regnique tumultus,
Ecce tuum Vatem natalibus eripit vmbris,
Et cælo iubet erectos oſtendere vultus.
Quanta mihi crinem pro carmine laurea cingit!
Quà patet & Latiæ, Graiæque opulentia linguæ,
Regius Interpres, iam vertice ſydera pulſo.
Quinetiam fœlicem Aulam, Regiſque triumphos,
Pectoráque in patrias properè ſurgentia curas:
Atque ANNÆ *vigiles pro Regno ac Principe ſenſus,*
Maternóſq; in vtrumque animos: totfortia facta,
Tótque trophæa Ducum, atque attritos cladibus hoſtes,
Diuerſáſque acies, propioráque numina Pacis,
Iam non priuato iubeor deſcribere verſu.
Magnum opus. inſolitos ſed iam calor entheus ignes
Suſcitat, & iuſſum ſpirant præcordia carmen.
En ſublimis humo videor victricia gentis
Arma ſequi: lauros quà porrigit Ilua recentes,
Trinacriæ trepidis quà nutant oppida muris:
Parthenopéque tremit: quà multo vulnere turpes
Oſtendit Leo Belga humeros: quà cornua Rheno
Trunca iacent, ſimiliſque mali metus alligat Iſtrũ.
Majora oſtendunt Superi. fera bella reſidunt,

Alitaque cognatas componunt otia terras.
Mox rursum arma tonat: rubet ignibus orbis Eous.
Ecce ruit Iuuenis, Diuum pulcherrima proles.
Hùc populi ſtipant, & Annuculus ambit vtrèque.
Hinc Patruus bella, atque acres regit agmine pugnas.
Quantus terror ineſt! hunc Diui hominéſque ſequuntur
Ceu quondam cinxère Iouem cœleſtibus armis
Cœlicolæ, infanos cùm perculit igne Gigantes.
Militat in Gallis tandem ſociatus Ibero:
Germaniſque ferox totis mouet agmina ſyluis.
Puppe volant Romanæ acies, terráque marique
Spumantes Mars vrget equos. Byzantia pallens
Cornua: conſcitis luget fera Thracia turmis:
Hinc inde Idæi cumulantur ſtragibus amnes,
Victoréque colit captiua Boſphorus vnda,
Et Solyma afflictas tandem leuat altius arces.
Argumentum ingens. ſed me præſentia Cirrhæ
Numina certatim inuitant, æternáque pandunt
Limina. Tu vires etiam dabis ipſe canenti,
Munera qui præſtas: nam ſatis implet Apollo
Pectora, magnarúmque aperit penetralia rerum.
O deeus, & præſes Phœbeæ maxime gentis:
O rebus ſpes certa meis, quo vindice denſas
Enici tenebras, tacitæque ſilentia vitæ:
Quæ meritis tibi digna liceat; quæ munera reddam?
Dicta mihi Andinos ſi præſtet Mantua cantus

Et mihi Mæoniæ contingat gloria Musæ,
Vix tamen eualeam æquali te dicere versu.
Nomina SEGVERIÆ quis nesciat inclyta gētis?
Quis Patris & Patrui Trabeas, claraque nitentes
Laude Togæ proauos? quis, tu quo limite famæ
Cunctorum ante tuis titulo? & culmen Honorum
Ceperis in medio, quod nulli contigit, æuo?
Namque licet summas Legum modereris habenas,
Fataque dispenses hominum, Fortuna fatetur
Mentis opes præstare tuis, non te Ambitus ardens,
Nec turpe obsequium, palpataque gratia donis
Hoc docuit, & Iustæ suffragia quæsiit Aulæ.
Empta tibi Famæque bonis, meritisque Potestas.
Cùm belli primo fremeret Germania motu,
Posceret & Francum Sociorum iniuria Martem,
Pendentesque mali excitto formidine gentes,
Quem Procerum LVDOVIX? quem non ri-
mante Senatum
Mente exploranit? quò non vaga libra cucurrit?
Quòd tantos apices summis virtutibus æquas,
Et nullis clausa est rerum prudentia metis:
Pectore quòd Latiis, & totas complexus Athenas,
Iuuæque complexus Patriæ, memoriaque rerum:
Quid Regni valeant vires: quid cogitet hostis,
Et quanta occultis agitet molimina capsis,
Hanc expensa tulit mercedem examine virtus.
Hinc tibi quantus honos? vitæ quæ gloria fluxit?
Non te præsit onus: sed credita pondera rerum

Æquali cervice subis. tibi sedere sanctio
Iustitia & Pietas omnes promuntur in actus.
Non te damna beant: census non auctus Auorum.
Vt creuisse negat, sic te meruisse fatetur.
Quid referam inflexos mores? rigidique tenacem
Propositi: vitioque inuictum pectus, & ora
Principe digna suo? quid principe digna Curuli
Eloquia? insanas seu quando ardoribus vrbes
Placabas: seu cùm Procerum admirante coronâ
Aut Socijs responsa dabas, aut iura subaltis,
Regia facundis creuere oracula dictis.
Actibi digna quidè LVDOVIX his præmia soluit.
Nulla tibi anxietas confligere fraudibus Aulæ.
Virtuti confisa suæ, confisa fauori
Principis, haud dubijs nutarunt pectora curis,
Dira nec occultæ timuerunt spicula linguæ.
Ac, ne cæca nefas tantum Fortuna crearet,
Vt deinde exureret tanto Regna orba Ministro,
Cùm Pater inuitis mutarei sydera terris,
Ille Fidem expertam Natis adiunxit, & Aulæ
Et cum LVELADE, sancto cui pectore quondam,
Consilio cui nulla parem prior extulit ætas,
Partiri ingentes curas, & pondera iussit.
Ex illo ANNA regis fausto moderamine bella,
Heresque tui ditant te, Gallia, palmis,
Rexque Puer condit sæclis ingentibus annos.
Viue diu, Regique diu, Matrique labores
Impende assuetos: fas est te sospite Francum

Imperium adiunctis cœlo se attollere terris.
Ecce nouum Superi properant mortalibus æuum.
O fortunatas Legum te Præside gentes!
Agmine connexæ niueo Virtutibus Artes
Florebunt, ducentque choros: immanè patentem
Claudet Auaritiæ rictum: procul aspera cedet
Ambitio, nodisque Furor stringetur ahenis,
Et læta Hectoreas diffundet Copia terras.

ABRAHAMI REMMII
POETÆ AC ELOQVENTIÆ
Professoris Regij
EPICEDIVM.

ECQVIS *iam Superos, crudeliáque astræ*
negabit?
Ante diem pereunt homines discrimine nullo,
Et viles clarique simul. quid proderit ergo
Virtute incoctum pectus? quid gloria morum?
Quid pietas? variáque exercita vita per artes?
Ac vigili studio Latiæ Graiæque senectæ
Nosse effata, & nota sequi: eloquióq; sonanti
In melius flexas hortari ad præmia mentes?
Accendisse mares animos, & Martia corda:
Et mortem decore, & vitâ pensare parentum?
Si tibi pro tanti redeat mercede laboris

Vita breuis: ſpatio anguſto ſi contrahat annos
Atropos: & vitæ poſtquã immortalis honorem
Attuleris multis, tibi putrida ſtamina nectat
Quæ, velut ignauo, tibi protinus inuida rumpat,
Fatáque præcipitet properatis turbida fuſis.

REMMIVS *heu! priſcæ probitatis imago ſuperſtes:*
Illa Camœnarum cura, & iucunda voluptas,
Palladiis mens fœta bonis, Suadæque medulla,
Ille deûm Interpres, modò qui certamina Regum
Altùm ibat ſpirãs, iacet heu! data victima fato,
Nec potuit medias vltra decurrere metas.

Nil ſanctæ iuuère Artes: nil pectore clauſa
Numina: Suada nefas! ſpreuit ſuccurrere Myſtæ,
Ingratam licet ille Deam ſuper aſtra tuliſſet.
Magne Parẽs Vatũ, medicæ qui maximus Artis
Omnibus auctor ades, num tendere fila Sororum
Te decuit? virèſque exhauſtis reddere membris?
Quis te, quis ſanctos accepit caſtiùs ignes?
Aut meliora tuis admouit pectora ſacris?
Obſcœnos verſu non eſt modulatus amores,
Nec famæ inſonti mordacem infregit iambum.
Extulit haud aliùs virtutem ingentior ore.
Ille æterna tuis, LVDOVIX, *præconia palmis*
Addidit: edomitas ſeu cùm canit Hæreſis arces,
Nereáque aſtrictum vinclis, cæsòſque Britannos.
Seu cùm promotos Vari trans oſtia Celtas,
Atque vltra Alpinos apices: Minci-ue Padi-ue

Ereptas vinclis ſeruilibus inſonat vrbes.
Quid memorem clarum per turbida ſæcula ſydus
Richelij, & vaſtis reſonantia nomina terris?
Quid famam inſertam cælo, diuináque IVLI
Conſilia, inuictámque fidem? quid maxima dicam
SEGVERII *decora, & ſanctæ moderamina Libræ,*
Et ſparſam in populos Themidis de culmine lucem?
Ac tua, LONGOLI, *virtutum lumina cantu*
Factáque maiorum in ſeros ventura nepotes,
Suſtulit: & meritò: nam cùm certiſſimus illi
Mœcenas fueris, tibi ſe præſtare Maronem
Debuit, & memores æternùm addicere Muſas.
Quàm iuſto ſanctos deſcribit limite mores,
Seu canat armatam, ſeu doctã Pallada dicat!
Quid faciat deforme ſcelus: quæ diuidat æquum
Regula: quæ mundi fuerint primordia norat.
Quàm latè natura patet: quà ſydera metà
Stant axes emenſa ſuos; quo fœdere rerum
Materia aſſociat formas; connubiáque vltrò
Mutat, & inſanà bacchata libidine feruet:
Quicquid obit cælum, & gremio natura capaci:
Auſonij quicquid faſti, Grajique loquuntur:
Quod fluxit mundi primo naſcentis ab ortu,
Humanum quæ bella genus, quæ fœdera ſoluit,
Aſſiduæ, REMMI, *dederant tibi noſcere curæ.*
Hinc labor ille tuus te longà tabe peredit.
Gloria præcipuè & cantus immenſa voluptas.
Heu! quoties dixi: properas tibi funera, REMMI,

Respira, intermitte artes : Delum ipse vicissim
Æstiuam hibernis Lyciæ commutat Apollo.
Te cantus vincebat amor nil verba morantem.
Námque omnis postquam sacros infuderat æstus
Cirrha tibi, & totis Phœbus præcordia flammis
Hauserat, vt densos fundebas carmina nimbos,
Excutere insessum poteras neque pectore numen.
Corporis hinc languor, dulcisque obliuia vitæ :
Haustóque exedit macies vitalia succo.
Hinc ceruice fluens mersit præcordia nimbus:
Pulmonisque alas soluit, flammáque latenti
Torruit, & vastà lacerauit viscera tussi.
At quamvis oculi mediâ iam in morte natarẽt,
Et feretrum instratum frigentes poscerẽt artus,
Mira fides! vegetata sacris mens æstibus, vsque
Vrgebat studium recolens, patriámque canebat
Victricem, Arctoóque electos æquore Belgas.
Nec priùs abscessit quàm funcra duxit Ibero
Iam iam expiranti, Francóque sub ense cadenti.
Hei mihi! quàm duro vellebat pectora morsu,
Qui te extinguebat, dolor! ô amor, ô bona virtus,
Quæ tibi me nodis plusquam stringebat ahenis,
Quò periit! cum quo deinceps miscebo labores?
Aut tristes cantare volent quo iudice Musæ?
Projiciam citharas: iuuat alta silentia, misso
Marte, sequi: pulsóque procul discedere Phœbo.
Ad tua busta gemam: sertis lacrimisque sepulcri
Reddam molle solum: nil iam moror vltrà Sorores.

ATTRE-

ATTREBATES EXPVGNATI.

INSANOS *depone, ferox Hiſpania, faſtus:*
Hactenus imperij te mouit ad arma cupido,
Succeſsúſque dedere animos: & plurima, longè
Quæ diuiſa tenes, ſperaſti iungere regna.
At dubio iam marte tuos defendere fines
Diſcito, & inſtantes ſceptris arcere ruinas.
Bellorum compeſce faces, quas numine læso
Iampridem, tua damna, moues: Scadímq; Padúmq;
Seruitio, & iam-iam ſtringentibus eripe vinclis.
Ecce cruore rubet Sicoris: pauidúſque remittit
Nunc humiles Leo Belga iubas, dũ mœnia cernit,
Queis modò tutus erat, ſibi fata extrema minari.
At grauiora manent. Mauras molìtur habenis
Cantaber, ac verſis erecta Calabria fatis
Ceruicem inuiſis agitat ſubducere vinclis.
Intereà, tantos dum ſperas, Muſa, triumphos,
Heſperiámque potens Lodoici dextra labantem
Impellet, iam tende chelyn: tantóque labori
Aſpira, inſtantiſque aude primordia cladis.
Mœnia legitimo Attrebatum cane reddita ſceptro,
Scarpique hoſtili mutatos ſanguine flectus.
Te vocat iſte labor: quæque hoc in puluere virtus
Claruit, Aſcræos digna eſt haurire liquores.
Tempus erat, metam Phœbus quo pulſat Eoam,

Primàque vicinà pallescunt sydera luce:
Vix benè sera quies Lodoïci inuaserat artus;
Blandáque sopierant grauiores vincula curas:
In somnis ecce ante oculos apparuit ingens
Gallia. diuinos vultus formosior auxit
Majestas: gemmarum vndantem lumine mithram
Sustinet immortalis apex: per lactea colla
Flauet cæsaries, & mixta monilia pendent.
Aurea cæruleo accendunt substemine pallam
Lilia: dextram implet sceptrum, quo protegit arces
Tarpeias, sedémque Dei: Byzantia quondam
Cui cessere freta, & palmas porrexit Idume.
Clara per obscuras cultu radiante tenebras
Astitit, & Regi visa est has fundere voces.
Gens diuûm, diuûmque pater, quem Gallicus Orbis
Miratur magni superantem facta Parentis,
Extera quem virtus horret, tibi plurima noster
Nomina debet honos: quid enim nutantia dicam
Sceptra tuà firmata manu? & iuuenilibus armis
Excisa enarrem ciuilis semina belli?
Torruerat dudum furiali viscera flammà
Hydra nocens, latèque meos infecerat artus.
Quinetiam in medio audebat gens effera cœptis
Moliri sibi regna sinu, confisáque multis
Vrbibus æquabat vires, fastúque feroci
Librabat nostrum imperium: sic mersa tenebris
Gloria, sic scisso marcebat robore virtus.
Per te strata iacet pestis, tua fulmina sensit

Bellorum Rupella caput: frænatáque Tethys
Subſtitit, & ſociæ Anglorum cecidere cohortes:
Per te ſtat Caſalis, libertatémque recepit
Mantua, perpetuúmque mihi patet Italia tellus,
Ceſſerúntque Alpes, iunctúſque Sabaudus Ibero.
At pridem luget miſeris Arteſia fatis,
Hiſpano calcata iugo, diſtrictáque pridem
Maternis ardet rurſum coaleſcere membris.
Tende manum, ſuccurre tuis: me me auſpice, turpem
Delebis maculam, & ſtatues tua lilia muris.
Audijt hortantem Ludouix, ſtratiſque relictis
Exiluit: Libyco qualis leo fuſus in antro
Siquando audlti ſomnos rupere iuuenci,
Turbidus arma mouet, ſubitáque accenditur irâ.
Sæuit amor belli: Regali in pectore Mauors
Regnat, & abſentem pulcher perit æſtus in hoſtem.
Illius ante oculos decus errat, amórque ſuorum,
Proſtratæque errant acies. iámque orbe retecto
Surgit, & excuſſo vibrat fax aureæ ponto.
Continuò Lupares intrà palatia Princeps
Concilium vocat. Heroum lectiſſimus ordo
Ilicet incedit: cognati robora regni
Borbonidæ: Latio ingreditur venerabilis oſtro
Richelius, quem Regis amor, quemGalliapridem
Herculeis ſuffultæ humeris, & cognita virtus
Reddidit inſignem populis: cui pectora Pallas

Artibus, atque animum veris impleuit Apollo.
Hic vir, hic eſt, quem Europa tremit, quem
robore vaſto
Motantem Arctous ſenſit ſua pondera mundus.
Verſantémque ſuo vigiles pro Principe curas
Horret Iber: tremuere Alpes: cæſúſque Britannus
Pertulit, attonitòque pauet Germania Rheno.
Regalem accelerat pariter Seguierus in aulam,
Iuſtitiæ ſublimis apex, cui tradita regni
Fata manu, & ſacrâ Lodoïci oracula linguâ.
Propria cui virtus ſummos attollere faſces,
Et probitas proauita dedit: ſua fræna regentem
Quem totis cupit æternùm ſibi Purpura votis.
Poſtquam ſemideûm nituere ſedilia cœtu,
Maieſtate, locoque ingens Rex inchoat ore.
O dilecta cohors, rerum tutela mearum,
Seu me pax, ſeu bella iuuant, ſemper-ne laceſſet
Hoſtis Iber, ſociósque premet? nunquã-ne rapinas
Vlciſcar? quando fœdas excepta per artes
Oppida, & oppreſſas violato fœdere gentes
Reſtituet? Quid enim generis cunabula noſtri,
Parthenopen-ue querar? nondum de pectore ceſſit
Prædonis ſcelus, & turbati iniuria regni:
Cùm ciuile nefas ſceptris arcere parentem
Appetijt, cæcáque diu verſauit Erinny.
Æſtuat obſediſſe meos indagine fines:
Summouet hinc Batauos: Rheni procul incubat
vndis.

Taurinis insultat atrox: sibi vindicat arcem
Italiæ: impubes regnum gens impia vexat,
Et solio insontes natos auellit auito.
Imbelliſque ætas, coniúxque orbata marito,
Et fracta immani Maiestas mole laborum
Inuidiam factura polo, non saxea tangunt
Pectora, & immites nequeunt inflectere sensus.
Perpetiar-ne meos longâ iacuisse ruinâ?
Exilium num triste feram, profugósque penates?
Dum Socios hinc erigimus, sua sentiat illinc
Arua premi, veterésque sibi decrescere prædas.
Finibus in nostris, medióque in limine regni
Iam pridem nobis supplex Artesia palmas
Tendit, & auxilio implorat captiua phalanges,
Huc validas, huc verto manus. mirata profatus
Turba silet, sesèque super conuersa vicissim
Ora refert: iustas dictis mox asperat iras,
Instigátque animos, generosóque affremit æstu.
Haud mora, præcipiti sæuit Bellona tumultu,
Discurrunt hinc inde duces, animatáque cantu
Cornua feruentes cogunt ad prælia Gallos:
Quique tenent fontes Isaræ, queîs vertice prono
Incumbunt Alpes, longâ quos vestiit vmbrâ
Ardua Pyrene, & propiùs quibus imminet Arctos.
Quos Constantinæ cuneatum littus arenæ,
Quósque Britannorum flexo capit vmbo recessu.
Quos lauat auratus Tarnes, quos Vasco Garũna,
Et tardatus Arar, præcépsque Druentia cursu.

Quique Gebennarum frigente cacumine pendent
Burgundos hinc exagitat mauortius ardor,
Dextra quibus ferro, quibus est mens prona calori.
Inde ruit Campanus eques, cui flectere gyros,
Et doctis nouit sonipes seruire lupatis.
Santonus antiquà deinceps purgatus ab irâ
Littore fœcundo erumpit, gaudétque propinqui
Pictonis arma sequi, sociasque adiungere turmas.
Et Biturix diues gregibus: Genabósque Lyæo,
Et viuax Lemouix: Andúsque, albentia largo
Prouentu qui vina legit: nec amœna quieuit
Hic Turonum tellus, quâ non melioribus astris
Altera, nec tanto ruris se iactat honore.
Carnutes ardore pari nemora alta relinquunt,
Arcanis quondam Druidarum conscia sacris,
Templaque Bardorum illustri resonantia cantu.
Tu quoque, Mæoniũ patrio qui carmine plectrum,
Et Mincì argutum dubia in certamina Olorem
Læde, vocas: túque ô qui principe Sequana fluctú
Longè sceptra Tagi, atq; auratum vincis honorem,
Prospera misisti populos in bella volentes.
Vos etiam patrio protecti corpora ferro
Irruitis, mixti Cimbrorum nomine Celtæ.
Conducto non Marte viri, sed concita in armis
Pectora, Bellatore deo: quibus Anglia collum
Subdidit, atque vno duplex Trinacria regno.
Queis fato meliore Sion, queis cessit Idume,
Et magnæ Antiochi famulis cerutcibus arces.

Queis fera Barbaries, atque orbis robur Eoi
Terga dedit: quos sæpe exhorruit ipsa ruentes
Francia, & indomitos sensit prostrata furores.
Iam rigidâ sub lege acies, partitáque turmis,
Et sortita duces, vndantia signa per agros
Subsequitur. pedites longis hastilibus horrent,
Pectus obit thorax, fulgétque in vertice cassis,
Et longo latus ense onerant. pars alite plumbo
Militat, & crebras ignito puluere mortes,
Fulmineóque tubo spargit: partémque securis
Bellica, reflexóque armat mucrone cateia.
Exultant turmæ accensæ clangore tubarum:
Ambit equos, ambitque viros mauortius horror.
Illorum læui crudescunt pectora ferro,
Æráque fronte rigent, cuspísque erecta minatur.
His galeæ cristatus apex, & abena coruſci
Lux thóracis inest: facilique plicatile nexu
Ferrum firma dedit tutis munimina membris.
Dependet breuior gladius, grauiórque metallo,
Cornipedúmque sonant cannis leuioribus armi.
Ast alij, cordi quibus est mage mobile bellum,
Percussisse habiles, nudatos tegminis artus
Expediunt: docti alipedes reuocare citatos,
Longa vbi lethiferas explosit fistula glandes.
Omnibus ingreditur ductor præstantibus armis
Milraïus, dignas tanto cui pectora marte
Et curas animósque gerunt. hunc arte magistrâ
Bellona edocuit suffossos vertere muros,

Et meritas ferre ex omni certamine palmas.
Siue lubet ferro pugnas miſcere pedeſtres:
Horrendùm non flãma ſonans, non ænea grando,
Aut ſparſæ terrent circum caua tempora mortes.
Et ferro, atque igni obſeſſus, tamen ingruit hoſti,
Sanguineóque aperit denſatas limite turmas.
Seu cùm Marte calẽs, largóq; in ſanguine pulcher,
Et par turbinibus, campi per aperta volantem
Ilia fodit equum: ſpatio diſcedit inani
Pulſa acies, & vtrinq; pauet fera fulmina dextræ.
Haud mora, præcurrit rapidas Formido phalãges,
Horriſoníſque leues quatiens clangoribus alas
Conſternit latè populos. ceu fœta coruſcis
Fulminibus nubes, cùm magno incuſſa tumultu
Incluſæ crepitat flammæ, terebratáque crebris
Ictibus emittit ſonitam, concuſſa vacillant
Ardua ſyluarum, dubióque cacumine montes.
Subſultant, pauidæque tremunt formidine gentes.
Iampridem Rheni populos, vicinãque Sabis
Oppida ſulmineis quatiebat Caſtilo turmis.
Hic Batauas acies duxit primoribus annis,
Clara rudimenta, & primi ſub Marte labores.
Hinc variis ſanxit mauortia pectora bellis,
Atque manum: neq; enim Ludouix torpere veterno
Virtutem egrégiam haud paſſus, frænare cohortes,
Imperij ſeruare latus, circumdare caſtris
Mœnia conceſſit, variiſque exercuit armis.
Illum eadem tunc bella vocant: ruit ergo labores

Lætus adire nouos, curáſque atque agmina iungit.
Ac iam nutantem ſubitis terroribus vrbem
Hinc atque hinc cinxere acies, circúmque reductis
Aggeribus, varióque aditus munimine claudunt.
Belgarum trepidat ſtatio, murósque coronat
Oſtentans ferrum, atque animos. ſtat plurima celſa
Vecte ſedens, latiſque rotinatur machina campis,
Et ſæpe Ætnæas reboat iaculata procellas.
At Gallorum acies exſtructo cæſpite, muri
In faciem, innocuos ridet defenſa fragores,
Certáque concluſæ meditatur funera genti.
Hic vbi maiori decurrit Scarpius amne,
Mox torto illabens Nemetaci gurgite muros,
Dumoſis ſeſe collegerat hoſtis in aruis:
Limitéque abrupto, turritæque aggere molis,
Et multo circum firmarat caſtra labore.
Hinc ruit auxilio obſeſſis, campóque patenti
Prorumpit delectus eques. ſtat puluere cælum,
Ater & inſtantem turbo prænunciat hoſtem.
At marte oblato Gallorum bellicus ardor
Emicat, intentóque petit certamina curſu.
Igneſcunt furiis animi: decus, iráque mentem
Præcipitant, acuúntque animos ſtridoribus æra.
Prælia crudeſcunt, crebris intermicat æther
Luminibus, crepitúque ſonat: pluit æneus imber,
Vndantíque latent pallentia ſydera fumo.
Cæduntur turmæ hoſtiles: perfoſſa cruentis
Vulneribus pars pendet equis, iactatáque longo

Puluere, ſanguineo ſcribit rutilantia calle
Iugera, luctantémq; animam diffundit in auras.
Ferrato cornu frænis pars lapſa remiſſis
Proteritur, miſtáque iacens calcatur arenâ.
Conuerſis alij frænis ſine lege per agros,
Præcipites ad caſtra, pedum certamine tendunt.
Deformi nudata fugâ, permißáque ferro
Morti terga patent: Galli cedentibus inſtant,
Subſiſtitque ægrè præceps victoria vallo.
Aſt operum reuocat cura, incœptique labores.
Protinus anfractu ſinuoſo terra cauatur,
Egeſtúſque aperitur ager, muróque propinquat.
Occultè, atque alto protectus ab aggere miles
Ruderáque, & cautes, vaſtáque obſtantia mole
Tecta procul, fortes aut diſiecere lacerti,
Aut caua ſuppoſitis diſſultant ſubruta flammis.
Obſeſſi fruſtrà occurrunt, rapit obuia quæque
Victor. munitos longo ſudore receſſus,
Deſertóſque lares armato milite complet.
Pro muris ſteterat longo munimine ductus
Agger, confertóque aſſultus cæſpite contrà,
Foſſarúmque minis, tutam dabat arcibus arcem.
Hanc poſt loricam intentis ſubſederat armis,
Gallóſque inſtantes ſperabat Ibera iuuentus.
Nec mora, prorumpunt cunei, excußáque cauato
Ære flagellatam texerunt grandine molem:
Incurrúntque auidi, alterniſque hortatibus ardent
Aggeris aduerſi ſublimes ſcandere pinnas.

At Belgæ obſiſtunt contrà, teliſque coruſcant,
Et iam prenſantes ſummi faſtigia valli
Excuſſere retro, cupidéque ſubinde ruentes
Suſtinuere diu, & denſis haſtilibus arcent.
Maiores haud paſſa moras fremit effera virtus:
Immemor & ferri, plumbique oblita ſonantis
Saxa manu ſubiti rapit in compendia belli,
(Plurima fortè dabat murorum prorutus agger)
Euibrat & duros in terga hoſtilia nimbos,
Contunditque ſuis refugum iam mœnibus hoſtem.
Intereà, belli comites, Morbúſque Famésque
Gallorum per caſtra furunt. iacet æger arenis
Miles, & ardenti torretur corpora febri.
At, quibus inſani parcunt contagia morbi,
Deficit almæ Ceres: artus hinc martius ardor
Deſtituit, periere minæ, languentia pendent
Brachia, nutantique tremunt malè fulta ſecuri.
Infractæ torpent acies, quique obſidet, arctè
Obſeſſus premitur, tanta eſt veſania belli!
Tum ſibi deuotæ gentis miſeratæ labores
Virgo Parens cælo ingemuit, cælique Potentem,
Victorémque Erebi ſic eſt affata Tonantem.
Excindiſ-ne meos, ô nate, genúſque Parenti
Acceptum ſedit turpi conſumère fato?
In te quid tantum miſeræ potuere cohortes?
Quid potuit Ludouix? Iuſti quo crimine nomen
Dilectum antè tibi, & pignus pietatis auitæ
Polluit? hos Regem caſus ſperare iubebas?

Ipſe tuos quando cœptis ingentibus hoſtes
Infregit, ritúſque nouos cum robore toto
Imperij aggreſſus, raptas tibi reddidit aras:
Maiorúmque exẽpla ſequens, Sacra vindice ferro,
Et veræ antiquum aſſeruit pietatis honorem.
Quæ tandem bello proauita repoſcere regna
Inuidia eſt? num direptis aget otia terris?
Et feret Hiſpanos tranquillo pectore faſtus?
Templa quidem Attrebatum iugi lucentia flammâ,
Et vigili cantu, aſſiduiſque frequentia ſacris
Dilexi, dum legitimis cedentia rurſum
Speraui imperiis: at vota, & thuris honores
Linquo lubens, ſi fas alieno mœnia noſtra
Inſeruire iugo: noſtras ſi funere gentes
Deſtinat immoti rigida inclementia fati.
Pectoráque, & populos, & ſceptra potentia proſit
Addixiſſe mihi: proſint tot ſacra per vrbes,
Et regni vaſtos æternùm indicta receſſus.
Exhauſtis fer rebus opem: da, Nate, Parentèm
Hoc potuiſſe prece. ambiguo diſcrimine pendet
Gloria, ſolue metum, & cælo decus aſſere noſtrum.
Ille autem placido ſubridens excipit ore.
Excute corde metum, ô Mater, nec Ibera timorem
Arma tibi injiciant: vincat quicúnque neceſſe eſt.
Corda inuicta, malis, frænique capacia mundi
Exercere paro, & virtutem expendere marte.
Circùm hoſtes fruſtrà incurſant, fruſtráque laborãt
Occluſiſſe tuis aditus: obſeſſa videbunt

Mœnia (nulla mora eſt) Francis patuiſſe caterua.
Non hos imperio fines, nec tempora pono.
Tempus erit, quo Borbonidûm famulatus habenis
Immodicos ponet Bætiſque, Albiſque tumores,
Legibus & ſeſe ſubmittere geſtiet orbis.
Fata tibi hæc vis nulla mouet: iámq; ipſe creatus,
Qui Patriam longo firmatam robore molem
Excipiens (ſerò tamen) & mauortia corda,
Iuſtitiæque hæres Patriæ, dominabitur orbis
Arctoi Occiduique potens, cui ſeruiet omnis
Africa, & Ottomanæ cedent fera cornua Lunæ.
Ille mihi terget lacrymas mœrentis Idumes,
Ille meos ſancto ſolabitur enſe penates,
Eripiétque iugo immani: noſtróque ſepulchro
Dedecus arcebit, Mahumetiſque impia ſacra
Calcabit, Solymæque meos renouabit honores.
Creſce ò Indigetum ſoboles, & robur auitum
Indue: virtutémque à magno haurire Parente
Ne ceſſa, & tanto bellis aſſueſce magiſtro.
Æthere dum Chriſtus canit æui fata futuri,
Gallica cognatis Morinorum è finibus ibat
Richelio properante phalanx, pulchróque tumultu
Larga ferens ſociis celerabat pabula caſtris.
Agmina terna ruunt: equites peditéſque vicíſſim
Alternis venere locis: pecus eſſeda raptat
Fortius, & turmas iuncto ordine adæquat eundo.
Compreſſi ſeruent oneratis curribus axes,
Et latè referunt ſonitus iuga pulſa rotarum.

Demigrare putes Scythicæ vaga millia gentis;
Errantéſq; mouere domos, patriæ hoſpita quando
Horrenti Hircanum commutant littus Imao.
Caſtris lecta ruit venientibus obuia pubes,
Et læta occurſu ſocium coaleſcit in agmen.
Senſere Auſtriadæ diſiunctos robore Gallos,
Delectum florem à caſtris procul iſſe iuuentæ,
Et vallum rarâ armorum radiare coronâ.
Ergo alacres greſſus glomerant, atq; agmine facto
Terrenam totis inuadunt viribus arcem.
Ictibus objiciunt ſarmenta, & corpora tecti
Cæſpitibus, foſſas congeſtis faſcibus implent,
Prorutáque inſiſtunt æquare ligonibus arua.
Francigenæ adſiſtunt contrà radiantibus armis,
Confertáque acie certant: ſimul erigit agmen
Mille manus, mille arma rotat. velut illa iuuentus,
Plurima quæ totos vibrauit in æthera montes.
Aut quæ correptas gaudebat ſpargere quercus,
Cũ ſacram Hippodames maculauit ſanguine tædã.
Ferrum, ignis, plumbúmque ruũt: impulsáq; vaſtis
Viribus aduerſas acie fodit haſta phalanges,
Et largo vallum, belli hoſpes, ſanguine complet.
Horridus incerto ſæuit Mars vndique campo,
Librátque Æquales virtus firmiſſima pugnas,
Et volat hinc atque hinc dubijs Victoria pennis.
Bis numero ceſſit virtus, victrixque recepto
Bis reuocata loco eſt: rapidóque reciproca fluctu
Ludit atrox Bellona: velut, cùm Corus arenis

Incubuit Libycis, longóque volumine Syrtim
Arentem tulit: aduerſo ſi turbine victor
Corripuit Notus, incerto nat puluere campus,
Vndantíque meant Naſamonia iugera fundo.
Per medias acies ſeſe Mileraïus infert
Turbinis in morem: pulchróque horrore tremendus
Spumantem quatit acer equũ: manus enſe corruſcat,
Ære caput, dirúmque rubent in vertice criſtæ.
Igneſcunt animi, fera ſurgunt robora membris,
Fortiùs & feriunt tanto ſub teſte lacerti.
Fulmináque immani iaculatur machina bombo,
Et latos operit cumulato funere campos.
Fracti diſſultant cunei, volitántque per auras
Arma procul. galeæ, atque exuto corpore inanes
Loricæ, aduerſo reddunt ſua lumina Phœbo,
Colliſæque alias miſcent per inania pugnas.
Tum demum ceſſere hoſtes, laceriſque maniplis,
Et laceris, reuocante tubâ, deformia turmis
Agmina funeſtos fugiunt procul auia campos.
Tum victrix acies opera interrupta reſumit:
Et trepidam oppugnat cœptis propioribus vrbem.
Ipſi tentantur muri, furtimque cauantur
Subter: diuerſos ſuſpenſo fornice calles
Anguſti cælant aditus fartimque nitroſus
Intus congeritur puluis: quem lenta vapore
Vt ſubito accendit conſumpto fune fauilla,
Ecce repentino quatiuntur mœnia motu.
Subſultant librata diu, vaſtóque fragore

Procumbunt: tantà cumulatur fossa ruinâ,
Dátque aditus faciles. lato descedit hiatu,
Nec iam disruptis tegit vrbem mœnibus agger.
Ingens attonitos ciues confundit Erinnys:
Iam miseri rapidos Gallorum cernere credunt
Assultus, vrbémque rapi: iam fingitur hostis
Victor captiuam ferro consumere plebem.
Spes tamen affulget tantis occurrere damnis,
Et precibus faciles Francorum inflectere sensus.
Ergo Legati incedunt: tum fœdere iuncto,
Iuratáque fide pacem sub tecta reportant.
Mox vrbem hostili pulsà statione patentem
Ingreditur victrix acies, numerosáque plenis
Agmina succedunt portis spéciémque habitúmque
Et cultus pendens tectorum è culmine vulgus
Miratur, Tyrias vestes, atque aurea frœna,
Instratósque ostro alipedes. Caunæus honore
Purpureo insignis, mediis in millibus ardet.
Non toruo vultu, vt quondam, aut horrore timendo
Terribilis, medias acies dum fulmine dextræ
Diuidit, & campos immensà cæde cruentat.
Mitior instabilem castigat iudice frœno
Cornipedem, multúmque truci de fronte remittit.
Aurea cristati crispatur gloria coni,
Dispergítque ignes tremulos, aduerberat armos
Dines bis Tyrio vestis saturata veneno,
Et testem imperij sustentat dextera virgam.
Illum iucundo consperfum puluere belli

Mirat-

Mirantúrque viri, mirantur & agmina matrum,
Et laudant, tacitóque trahunt ſuſpiria voto.
Protinus Attrebatum prævertit pectora Francæ
Gentis honos, Mauræ ſurgunt faſtidia plebis,
Seruiliſque color, fuſcique nigredine vultus,
Et laceris ſordet ventoſa ſuperbia pannis.

Concipe iam plenis, iam concipe gaudia venis
Gallia, & antiquas tandem ſolare ruinas.
Non iam Laurenti fælicia ſacra crepabit
Lætus Iber, cladéſque tuas: non pinguia Franco
Sanguine Quintini reſonabit iugera campi.
Dedecus excuſat ſæcli lux iſta prioris,
Aſſerit & noſtrum ventura in ſæcula nomen:
Hiſpanóque vigil Cuſtos exceſſit ab orbe,
Numináque auertit: nobis iam pugnat, & altum
Protinus imperium Francas impellet in oras.

RVSCINO RECEPTA.

ECce fauent iterum Superi, fælixque triamphi
Vox alia de parte ſonat, refractáque tandem
Heſperiæ iam clauſtra patent, tremefactáq; nutant
Imperia, & dubias malè fulcit Iberia turres.

Carmine ſi merito primos conſumpſimus ignes,
Afflatus da, Phœbe; alios, mihi ſuffice vires
Vſque nouas: da digna loqui, victriciáque arma,
Et facta æquali celebrare ingentia cantu

Clementis Zephyri nondum ſpiramine bruma
Mitior, horrentes niuibus laxauerat agros:
Cùm Ludouix hyemes ignauo educere luxu
Neſcius, arma rapit: ſolitáque cupidine laudis
Tempora præcipiti maturat idonea bello.
Haud tantis viſa eſt acies prorumpere caſtris,
Maioréſve efferre animos, hæc vltima Celtis
Auſtriadas ex quo præceps commiſit Enyo.
Quippe vbi vulgatum eſt conuerti pondera belli,
Heſperioſque peti fines, ipsúmque ſuperbi
Imperij caput, incendit Mauortius ardor
Francigenas: veteres velut ipſo in limine belli
Pectore crudeſcunt iræ: noua Martis imago
Victrices agitat fato meliore cateruas.
Spes decoris rapit, atque hilari Victoria fronte
Pyrenes de rupe vocat. ruit effera virtus,
Nobiliúmque manus primæuo concita Marte
Rectorem Delphina canit. lux ignea ferri,
Æráque, ſeſſorúmque animi præcordia flammant
Alipedum. tumuere toris, hauſtúmque medullis
Bellum agitant, campóſque feris hinnitibus implent.
Quinetiam peditum numeroſa examina latè
Rura tegunt. reſonant confuſo tympana pulſu,
Machináque incuruos carrorum degrauat axes.
Maieſtatis honore ingens, ferrique tremendo
Lumine conſpicuus, rapidas Rex ipſe cohortes
Puluereis præcurrit equis, & imagine belli
Implet agros, pugnáſque graui prior incitat haſtà.

Qualis vbi trepidis moturus bella Gelonis
Mars Æmo de monte ruit, densóque secuti
Agmine præcipitant Thraces: metuendus in atro
Inuehitur curru, diráque in luce coruscus
Latè incendit agros, Comitúmque in pectora sese
Inspirat, vastósque irarum suscitat æstus.
Iámque Gebennarum trans ardua culmina, terris
Volcarum incedunt acies, rapidóque tumultu
Compositæ Hispanis propiùs iam finibus instant.
Protinus Hesperiæ varijs terroribus vrbes
Fama quatit: iã vincla pauent Bætísque, Tagúsq;
Herculeæque graui impulsu tremuere columnæ.
Horruit Austriades, solitósque è pectore fastus
Deposuit: stat mentis inops, animóque labanti
Iam clades, laceræque errant fragmenta coronæ,
Et magni imperij occurrit labentis imago.
Æstuat ingenti confusus turbine rerum,
Lucem odit, solitáque metum caligine cælat,
Et leuat assiduo mentis mala vulnera questu.
Hunc nobis, hunc, ô Superûm Regnator, honorem!
Quod te, quà geminũ lambunt vaga cærula mundũ,
Per nos terra colit: quod iam tibi Sole sub omni
Thure calent aræ. num vilis gratia, nostro
Robore quod Mauri cecidere, atque impia Sacra
Expulimus: verum quod Relligionis honorem,
Syncerósque omnis tibi præstet Iberia cultus?
Iam non, quæ meruit, rerum fastigia poscit,
Europæ, Libyæque caput: nec vt alta subacto

Orbi imponatur tua gens: direptáque victis
Regibus Auſtriacam cingant diademata frontem.
Hæc ſperare vetat magnus dolor. Aſpice quantus
Turbo premat: ſtat ludibrium, faciliſque volenti
Præda patet: Suecorum in nos funduntur ab Arcto,
Gotthorúmq; armatæ hyemes, noſtrúmq; per orbem
Antiquos renouant per funera dira furores.
Nequicquam Auſtriaco dudum famulatus honori
Albiſque & Rhenus, Bætis dominantibus vndis
Sperabat iamiam victores iungere fluctus.
Ah quanto has Gallus diſcrimine diſtinet oras!
Iam Tribocos habet, atque Vbiorũ fulminat arces,
Affectátque Alpes Germano admittere Ponto.
Quid iuuit Latiæ longis ſudoribus oræ
Inuaſiſſe aditus? ſubitò nam Gallicus ardor
Heu nobis fatale malum! Taurina recepit
Mœnia, & exutas iuſſit remeare cohortes.
Parua queror: ſpargit totis incendia terris,
Et victor premit vſque meos: animatus ouanti
Marte ruit: Moſam egreſſus, cum gurgite Rheni
Continuat fines, auidúſque repoſcere ſceptro
Debita, Belgarum trepidis grauis imminet aruis.
Iámq; furit, propiúſq; malũ eſt, & ad intima ſerpit
Viſcera: iam noſter numerosà cæde cruentus
Fluxit Iber: laceræ texerunt æquora claſſes,
Et ſtupuit Nereus Hiſpano ſanguine tingi.
Quid ſupereſt? fugit noſtros Fortuna penates,
Verſáque fata premunt: regnat ciuilis Erinnys

Imperium quacúmque patet: mea vindicat armis
Sceptra ſibi, geminâque furens nos vrget ab vndâ.
Ingruit en etiam Ludouix, & robore regni
Conciliat vires, caſtriſque ingentibus inſtat.
Heu quibus ingreditur fatis! totâ occupat ingens
Heſperiam pauor, & pendent trepidantia longo
Corda metu, quas ille vrbes, quas irruat oras
Protinus, & ſæuo latè metat omnia ferro.
Infirmum languet diuiſo robore regnum,
Et virtus diſtracta iacet: ſtant noſtra ſub ictu
Imperia, & dubiâ nutant pendentia ſummâ.
En ego tot Regum ſanguis, Carolique ſuperba
Progenies! vbi nunc, vbi noſtri gloria ſceptri?
Gentis ego Auſtriacæ pudor! & virtutis auitæ
Degener! indecorem nempe hæc me ſemper habebit
Mollities? turpique ignaua per otia clade
Obruar? at rebus ſaltem pudor abſit in arctis,
Aduerſiſque probent Regem mea funera fatis.
Ipſe equidem tales dudum præuertere pugnas
Debueram. Imperia ingenti ſtant magna labore,
Nilque audent ſine Rege manus. Hoc fluctuat æſtu
Curarum Auſtriades, rerúmque extrema volutat.
Arma cupit, flagrátque nouo ſe accingere Marti:
At mox inceptus fremitu perit ardor inani.
Attamen ingentes coëunt ad ſigna cateruæ:
Et quas Trinacrius vario lauat Himera fluctu,
Himera, qui gemino geminũ petit agmine pontum.
Et quas Parthenope ratibus captiua ſuperbis

Imposuit. Ligurum leuior manus adfuit armis,
Belgarúmque truces turmæ: sed Iberia lectos
Suffecit peditum nimbos: quà sanguine mistus
Vãdalus Hispano Herculeis superimminet vndis,
Quáque Numantinæ restant monimenta ruinæ:
Quà sese extremo cuneat Gallecia cornu,
Quáque nouæ veteres surgunt Carthaginis arces.
Maiori fuit Illiberis præludia bello,
Primáque victrices sensit labefacta cateruas:
Hinc animis auctus cœptis maioribus instat
Miles, successúsque ardet vrgere secundos.
Hìc vbi producto Pyrene incurrere dorso
Tyrrhenum in pelagus metuit, præruptáque saxa
Deprimit in valles, & pingues soluit in oras:
Turribus innumeris circundata Ruscino in orbem
Planitie sedet in mediâ: variásque per artes
Depresso attollit vaga propugnacula vallo.
Stat visu immanis, subiectæque imminet vrbi
Arx erecta super, neque se permittit adiri,
Aut circumfusum horrendà formidine campum.
Assiduas aeies intus vigil excubat armis,
Seruat & Hispanos aditus: confisaque multis
Fulminibus campis latè prædatur, & vltro
Finibus Hesperiis instantem prouocat hostem.
Hucpropere admotas Ludouix irrũpere turmas,
Arctarique iubet castris propioribus vrbem.
Ipse operi optauit sedem, variisque figuris
Fossas signas agens: reduci modo tramite vallum

Mox procurrenti ſinuat, frontémque triſulcis
Arcibus, aut latè curuatis cornibus armat.
Quinetiam natura fauet, depreßáque foſſas
Natiuas ſaxa, aut vallum ſurgentia præſtant.
Tum contra excurſus vrbis munire labores,
Obſeſſóſque parat pinnato cingere claustro:
Partitúrque locum Ducibus. feſtina iuuentus
Iuſſa facit: latè multo tumet aggere tellus,
Surgitque impoſitus cæſpes: ſuffoſſa ligones
Arua cauant: vaſto hauritur munimine tellus,
Atque in terrenam ſubuerſa abſumitur vrbem.
In medio pulchris fulgent tentoria vallo
Ordinibus: circùm excubias agit vndique miles,
Nec ferro aut flammis, ſed turpi inflectere morbo,
Obſcœnáque fame concluſos deſtinat hoſtes.
Iámque moræ patiens ſtat vitæ prodiga virtus,
Irritáque effugitur pretioſi impenſa cruoris.
Intereà erumpit caſtris delecta iuuentus,
Et quatit Hiſpanos armato milite campos:
Oppidáque euertit, gentéſque pauoribus implet,
Obſidiique moras numerosà clade rependit.
Qualiter Argolicas acies dum Pergama circum
Imperio regit; & vindex opus vrget Atrides,
Æacidæ auſpicio vaſtabat Theſſala pubes
Myſorum, Cilicúmque domos: & ab omnibus aruis
Ad caſtra ingentes referebat Achaïca prædas.
Lumina iam pleno ter Cynthia fulſit, & hoſti
Mens eadem: tutas intra latet abditus arces,

Auxiliique animum, demens, ſpe lactat inani.
Ancipiti Ludouix curarum voluitur æſtu.
Cur lentæ in frænos, inquit, mea fulmina molis
Iamdudum parcunt? hoc protinus obice rupto
Latè per hoſtiles ſparſiſſem incendia terras.
Tarraco iam noſtris, iam noſtris Cantaber armis
Ceſſiſſet, totúſque mihi ſeruiret Iberus.
Ignauó-ne ſinam conſumi tempora bello?
Et circum immeritos langueſcere prælia muros?
Nox erat, & Vigiles iam quartos hora vocabat
Vltima: cùm viſa eſt Henrici Patris imago
Aſtare ante oculos: qualis cùm milite fuſo
Fulſit in Ibriacis auguſto lumine campis.
Qualiſve Ambianas axidis cùm faucibus arces
Bætigenæ eripuit, diſjecitque agmina ferro,
Et meritos duxit pompà meliore triumphos.
Oſcula dat nato, verbiſque affatur amicis.
Iampridem rapidis, ò nate, aſſueta triumphis
Ægra moræ dolet hic paulum ſubſiſtere virtus.
Perge, age, ſic Superos merui, cœtúſque beatos
Heroum: Ludouixque, piis quem moribus æquas.
Sic Carolus, qui Arcto edomitâ, Latióq; potitus
Imperio Europam paribus frænauit habenis.
Comprime veſanos faſtus, vlciſcere Mauri
Perfidiam generis: nec amor, nec fœdera ſunto.
Viuaces exerce iras, patrióque Nepotes
Inuigilent odio: ſæuum te vindice gentes
Excutiant ceruice iugum: caput aſſere mundi.

Sacrorúmque patrẽ: Rhenúmq;, Albimq;, Padũq;
Da tandem veteres collo posuisse catenas.
Auertit numen summi Regnator olympi,
Et dudum exosus sceleratæ crimina gentis,
Atque auidos dominandi æstus, ac perfida pacta,
Promeritas iubet inuisam tibi pendere pœnas.
Mœrent Hispani Indigetes, largisque quietem
Consumunt lacrymis: contrà stant gaudia Diuis
Francigenis, páxque alta tenet: cælique per ampla
Atria fælices animæ pia carmina pangunt.
Vsque tibi aspirat, rerum tutela tuarum,
Diua Parens, orátque ostentans vbera nato,
Addictásque fouet votis ardentibus vrbes.
Indulge Superis, & plenis vtere fatis.
Dura quidem rapidos remoratur Ruscino cursus
Cœptorum: flammásque tui patientur & imbres
Hanc circum, sed prona cadet: tandémq; receptæ
Exercet æternùm famulis tua Lilia muris.
Hæc Lusitanæ noua regna tuebitur oræ;
Hæc libertatis tutos firmabit honores
Barcinoni, & tumidas Madriti deprimet arces,
Móxque adiget meritum Hesperiæ per viscera
ferrum.
At, nate, imprimis immenso parce labori,
Parce animo. longis tabescunt corpora curis,
Et languet tenuata salus. opus auspice cælo
Inceptum, iam crede tuis: sine pectora tanta
Nonnullam in tanti partem venisse triumphi.

Auxiliique animum, demens, ſpe lactat inani.
Ancipiti Ludouix curarum voluitur æſtu.
Cur lentæ in frænos, inquit, mea fulmina moli
Iamdudum parcunt? hoc protinus obice rupto
Latè per hoſtiles ſparſiſſem incendia terras.
Tarraco iam noſtris, iam noſtris Cantaber armis
Ceſſiſſet, totúſque mihi ſeruiret Iberus.
Ignauò-ne ſinam conſumi tempora bello?
Et circum immeritos langueſcere prælia muros?
Nox erat, & Vigiles iam quartos hora vocabat
Vltima: cùm viſa eſt Henrici Patris imago
Aſtare ante oculos: qualis cùm milite fuſo
Fulſit in Ibriacis auguſto lumine campis.
Qualiſve Ambianas auidis cùm faucibus arces
Bætigenæ eripuit, diſjecitque agmina ferro,
Et meritos duxit pompâ meliore triumphos.
Oſcula dat nato, verbiſque affatur amicis.
Iampridem rapidis, ô nate, aſſueta triumphis
Ægra moræ dolet hîc paulum ſubſiſtere virtus.
Perge, age, ſic Superos merui, cœtúſque beatos
Heroum: Ludouixque, piis quem moribus æquas.
Sic Carolus, qui Arcto edomitâ, Latióq; potitus
Imperio Europam paribus frænauit habenis.
Comprime veſanos faſtus, vlciſcere Mauri
Perfidiam generis: nec amor, nec fœdera ſunto.
Viuaces exerce iras, patrióque Nepotes
Inuigilent odio: ſæuum te vindice gentes
Excutiant ceruice iugum: caput aſſere mundi.

Sacrorúmque patrẽ: Rhenúmq;, Albimq;, Padũq;
Da tandem veteres collo posuisse catenas.
Auertit numen summi Regnator olympi,
Et dudum exosus sceleratæ crimina gentis,
Atque auidos dominandi æstus, ac perfida pacta,
Promeritas iubet inuisam tibi pendere pœnas.
Mœrent Hispani Indigetes, largisque quietem
Consumunt lacrymis: contrà stant gaudia Diuis
Francigenis, páxque alta tenet: cœlique per ampla
Atria fælices animæ pia carmina pangunt.
Vsque tibi aspirat, rerum tutela tuarum,
Diua Parens, orátque ostentans vbera nato,
Addictasque fouet votis ardentibus vrbes.
Indulge Superis, & plenis vtere fatis.
Dura quidem rapidos remoratur Ruscino cursus
Cœptorum: flammásque tui patientur & imbres
Hanc circum, sed prona cadet: tandémq; receptæ
Exeret æternùm famulis tua Lilia muris.
Hæc Lusitanæ noua regna tuebitur oræ;
Hæc libertatis tutos firmabit honores
Barcinoni, & tumidas Madriti deprimet arces,
Móxque adiget meritum Hesperiæ per viscera
ferrum.
At, nate, imprimis immenso parce labori,
Parce animo. longis tabescunt corpora curis,
Et languet tenuata salus. opus aúspice cælo
Inceptum, iam crede tuis: sine pectora tanta
Nonnullam in tanti partem venisse triumphi.

Si quem Borbonidûm credas deposcere fata
Vrbis ad excidium, pulchris en fulget in armis,
Francâque succendit iuuenilibus agmina flammis
Anguienus: cui maturis iam pectora curis,
Consilióque vigent: cui nostræ stirpis origo
Erigit ingentes animos: qui Pallada Marti
Conciliat, fértque æqua suis natalibus ora.
Hoc victore tumens cedet iactantior hostis,
Ruscinóque edomitas æperire superbiet arces.
Quas fraudes? quæ-ve arma tuis metuenda cateruis
Richelio vigilante putas? fæliciter artes
Artibus eludet, nisúsque infringet Iberos.
Nec morbus, quo nũc premitur, tua pectora turbet:
Parce metu: positâ exurget mox ille senectâ,
Inque nouos plenis reuirescet viribus annos.
Non nisi post multas hyemes, post plurima lustra,
Póstque triumphatos hostes, confectáque bella
Imperium tanto spoliabunt Fata Ministro.
Huius consilijs fausto se Gallica fata
Euentu euoluent, positóque Hispania fastu
Iám te victorem agnoscet: Germanus & vltro
Offeret Imperium: sociabit Vistula fluctus,
Te famulis colet Ister aquis, pacatáque tandem
Otia aget, pangétque tuos Europa triumphos.
Hinc tua progenies (cui se peritura reseruat
Gens dira Ottomanûm) triplicẽ moderabitur orbem,
Mansuescéntque Crucis sacro fera pectora cultu.
Dixit, & ex oculis tenues effugit in auras.

At Rex impletus fatis, monitúſque paternos
Mente agitans ſtrato exiluit, Ducibúſque vocatis
Cuique ſuum partitur opus. Brezæe, tenebis
Cærula, & hoſtiles arcebis claſſe carinas.
Hic ſolita virtute opus eſt: hìc luceat ardor
Ille animi. ſigna, ô Motti, terreſtria ſignis
Oppone, atque aditum venturis præſtrue turmis.
Incumbent in te belli momenta, ſed æſtu
Vtere principio, mox toto robore pugnæ,
Præliáque anfractu cautè metire viarum.
Caſtrorum intereà tibi ſint munimina curæ,
Milleraï: tu, Schomberſi, ſocialia iunge
Munera: militiæ nuſquam fluat ordo ſeueræ,
In duris ſedenim miles vigil excubet armis,
Et veſtro exemplo diſcat tolerare laborem.
Vix didicere hoſtes Lodoïcum abſiſtere caſtris,
Protinus erumpunt latebris: rapidique feruntur
Turbinis in morem, Lalætanóſque per agros
Turbida præcipitant properätibus agmina turmis.
Nil montes rapidos curſus, nil flumina tardant.
Ipſe etiam primo cauet occurriſſe furori
Mottius, exerrátque viâ, raptimque ſecutus
Poſtremas acies per prælia crebra laceſſit,
Atque incauta ferit furtiuo milite terga.
Tùm demùm vt ſenſit tot paruis cladibus hoſtem
Languere attritum, & denſam rareſcere turbam,
Ipſe rapit turmas notâ regione viarum,
Anfractus ſecat, & properantem præterit hoſtem.

Agmine mox verſo ſurgentem è valle profundà
A fronte aggreditur. pauidus veſtigia preſſit
Bæticus, inſtantéſque ſibi putat vndique Gallos.
Dum trepidat, ruite, ô ſocij, atque vrgete deorſum
Præcipites: has relliquias exſcindite ferro,
Quas veſtris dudum turpis fuga ſurripit armis,
Ductor ait, glandémque prior diſploſit ahenam.
Mox equites hinc inde ruunt: non turbine tanto
Prælia venti ineunt: non tanto ſpicula Parthi
Pulſa manu, rapidúſque iugis ſalit impete torreus,
Debiliúſque cadit tortum Ioue fulmen ab alto.
Non ſuetis vicibus reſugi, variósque per orbes
Confligunt: vaſto pugnatur comminus æſtu,
Séque acies totæ colliſis viribus vrgent:
Accendúntq; globos, ſparguntq; volatile plumbum,
Et fundunt denſas alternà grandine mortes.
Pugna in nube latet: clariſque euicta tenebris
Puluereóque globo, rutilique volumine fumi
Sidera caligant: flammiſque ſonantibus æthræ
Pulſa ſonat: rabies, gemitus, iactantia latè
Certantùm auditur, longáque in valle reſultat.
Ordine procumbit longo delecta iuuentus
Heſperiæ, patriiſque iacet veteranus arenis,
Pulchro quæſitos & funere ſancit honores.
Vt plumbi deſæuit hyems, & apertior aër
Diſtrictis fulſit gladijs, patuitque cruentum
Martis opus, latóque aggeſta cadauera campo.
In præceps ruit omnis eques, cæcóque tumultu

Nudat terga fugà, verſiſque aufertur habenis
Immemor aſſueti faſtus: non verba regentum,
Non pudor effuſos valuerunt ſiſtere curſus.
In pedites pugnæ incumbit miſerabile fatum:
Quos licet inuitet fugientis dedecus alæ
Cedere, & obſeſſos circum premat vndique lethum,
Fortiter obſiſtunt tamen, atque agitata per orbem
Interiúſque redux acies procul alite plumbo
Hoſtem arcet, propiúſq; vetat concurrere turmas.
Illudét ne tuis manus hæc victricibus armis
Miles, & obiecto redimet tibi velite lethum
Fuſus eques? rape tela manu, citus excute flammas,
Plenáque confecto veniat Victoria bello.
Mottius hæc: ſtreperas intendunt agmina cannas,
Intonuítque fragor: pluit vndique ferreus imber,
Incendúntque diem rutilis fulgoribus enſes,
Obſtantéſque ſibi præceps terit ira cateruas.
Qualis vbi hybernus longo molimine torrens
Oppoſitam euicit molem, damniſque ſuperbit
Agricolæ pinſare moras: latrantia latè
Flumina præcipitat, ſegetum conuoluit honores,
Antiquóſque rotat ſpumanti in gurgite frænos.
Mox rapido curſu turmis fugientibus inſtat,
Et iam terga ferit: primóque impulſa tumultu
Agmina corruerent, niſi ſummæ in culmina rupis
Reptaſſent ſubitò, vires addente pauore.
Cunctandi quæ finis erit? tibi copia, miles,
Nulla fugæ ſupereſt: placidis victoribus arma

Porrigito: immeritæ inuitus cape munera vitæ,
Sustuleris hæc sæpe licet commercia belli.
At circumfusis acies obducta maniplis
Obsedisse locum visa est, campique patentes
Gallorum armatâ latè radiare coronâ:
Tunc fracti languere animi, tunc tendere palmas,
Proiectisque solo pacem deposcere telis.
Ista lues cadat, inferias nunc credite, Galli,
Poscere vos manes, quorum data corpora letho
Sacra inter, Siculas quondam pauere volucres,
Et Siculos pauere canes. at Gallicus ensis
Crimine non pensat crimen, nec supplicis vnquam
Cæde rubet: positis iussus discedere tanmis
Miles adorato inuitus victore recedit,
Vellet & humano æternùm sub marte merері.
Vt sibi terrestres victi malè cedere pugnas
Senserunt, placet æquoreo decernere marte,
Et sortem tentare maris. venit ordine longo
Turba Liburnarum, & multo fodit æquora remo,
Fulminéque horrendas mittunt naualia pinus.
Assueta ignotam Brasilùm decurrere Tethyn,
Eoìque maris vastos transmittere fluctus
Ingens inuehitur classis. curuare laborat
Aura sinus, pressæque gemunt sub nauibus vndæ.
Huic contrà obuersis audet concurrere proris
Iam pelagi non Celta rudis, celeréque carinas
Coniecit turbam in mediam: tenuere triremes
Cornua, vallarúntque acies ingentia rostra.

Huic etiam ancipiti pugnæ tua, Bartinō, pubes
Implicuit ſeſe, dum deteſtata furores
Auſtriacos, Iuſtis Lodoïci adiungitur armis,
Laudis & ipſa tuæ teſtis, dum prælia cernis,
Præſentéſque flagras votis in bella cohortes.
Vix fera iuſſerunt vtrinque incurrere puppes
Claſſica, ſulphureas ructant tormenta procellas,
Nocte latet polus, accenſum rubet igne profundum,
Fulmineóque effracta ſonant caua robora pulſu.
Inde redit fragor, & clades vtrinque carinas
Æqua terit: properi remis tum ſpumea nautæ
Æquora conuellunt: rurſus catapulta frementi
Nube tonat, rurſum incendunt vada cærula flāmæ,
Plumbatóque crepant tabulata gementia nimbo.
Sternit lapſa foros ſtantis pars plurima turbæ
Ignitis traiecta globis: glans ænea partem
Proterit, & medias longè diſpergit in vndas.
Obuia iam roſtris inſtant concurrere roſtra,
Sed nox obſcuris orbem complexa tenebris
Certantes dirimit: belli fragor ilicet omnis
Concidit: arma ſilent: cauit ſibi quiſque reductis
Puppibus, & pacem cæci fecere timores.
Alta quies regnat pelago, nautáſque trementes
Tonſa apprenſa tenet: tacitis ſtat miles in armis,
Et molli recubant imbellia marmora ſomno.
At quantos voluunt curarum pectora fluctus!
Quó-ve æſtu diſtracta labant! lux acta perurit,
Sed ventura magis: martique intenta futuro

Mens icta inuigilat, pugnæque in imagine tota eſt.
Vix benè pura dies Tyrrheno errare profundo
Cœperat, & ſummos incendere lumine montes:
Impulſas remis cum comminus egit ab omni
Quiſque ſuâ ſtatione rates, pugnámque laceſſit
Acriùs: immanes rumpunt fera fulmina cannæ;
Reſponſántque procul veſano impulſa fragore
Littora, & excuſſo tremuerunt æquora fundo.
Mox ſeſe implicuere acies, iunctiſque carinis
Bella mouent: totæ à proris in vulnera pendent.
Iam non exploſo miſcentur prælia plumbo,
Stat tecto Bellona mari, ſtragéſque cruentas
Enſis agit: fodit haſta viros: fugiuntque, fugántque
(Ceu medio Hiſpani pugnent in puluere campi)
Victores victique: fluunt tabulata cruore,
Et rutilis mutant fumantia cærula riuis.
Nec verò tantùm peraguntur prælia ferro,
Per pelagus ſed flamma furit, tractúque ſequaci
Peſtis obit puppes: tremulóque incendia ponto
Vibrat, & ignitâ nautam obſidione coronat.
Nil fuſæ valuere byemes, nil vaſta profundi
Æquora: conſumit fortes fera flamma lacertos,
Et medijs crepitans viuit Vulcanus in vndis.
Anceps pugna diu numeroſo funere, clades
Aggerat, & ſperata animos victoria flammat.
Hìc geminæ credas concurrere robora gentis,
Et totis pugnare animis: decus æſtuat irâ
Flagranti, pulchriſque ruunt in vulnera fatis.

Aſt vbi ſe vaſtâ puppis Prætoria mole
Intulit (ire putes errantem Stœcada ponto)
Brezæúſque animos ſolitâ ſuccenſus ab irâ
Impulit: incubuit trepidis pauor hoſtibus ingens:
Conuerſæ fugiunt remis veliſque carinæ:
Vndantes referunt flammas, caſſæque recedunt
Cœptorum: certat portus ingloriæ claſſis,
Palma, tuos petere, & tutis latuiſſe tenebris.
Non aliter trepidi quondam in tua viſcera ciues
Se merſere tui, & Latijs ceſſere carinis:
Dúmque auidè ſperant ſolitas inuadere prædas,
Fugere irriſis leuiori pondere fundis.
Spes adeò obſeſſis perijt terræque, mariſque.
Vrbs languet defecta cibis: iam gramina deſunt,
Iam fera mollitas pelles feruentibus vndis
Conſumpſit ventris rabies: dapibúſque nefandis
Veſcitur, humanóſque nefas! depaſcitur artus.
O ſcelus! ô labes! ô noſtri dedecus æui!
Per vos accepere fidem mendacia vatum:
Expletúmque ſuis credat ventura Thyeſten
Poſteritas: iam vos alimenta nefaria veſtri
Vaſconis aſſeritis, noſtrúmque infertis in orbem
Pabula, queîs Braſilas immanes fingitis vti.
Quid vos ad tales adigit deſcendere caſus?
Vos quoties merito noſtræ clementia gentis
Eripuit letho? quoties pro crimine vitam
Reſtituit? violát-ne ſacro ſua fœdera ferro?
Aut fœda alternâ perjuria clade rependit?

Saxea ſed vanis quid tentem pectora verbis?
Tandem victa gemit, tandem nos Ruſcino ſupplex
Exorat veniam: longóque ſubacta labore
Captiuas aperit turres, milèſque tenebris
Emergit: cælo patet execrabilis horror,
Fœdatos & adhuc concreto ſanguine rictus
Exhibet: & vacuam linquit victoribus vrbem.
Quantus edit te luctus, Iber! cùm cernis apertum
Imperij latus, & noſtris incurſibus vrbes
Expoſitas! quantúſque dolor! dum mente reuoluis
Attonitâ cæſum regni terráque marique
Robur, & exhauſtas meliori ſanguine venas.
Alta tuæ iugæ Pyrenes fatalia Gallis
Iactabas nuper, Franciſque impunè cateruis
Heſperias nunquam licuiſſe laceſſere gentes,
Oſſibus & noſtris etiam-num albeſcere valles.
Immodicos vno faſtus excuſſimus anno.
Pyrenéque, Alpéſque tuo rubuere cruore:
Germanas & adhuc audis ſudare paludes:
Regibus & noſtris, Ludoïco Vindice, priſcus
Conſtat honos: vobis, Magni, ſolatia, Manes
Ecce tulit veſtris dignus virtutibus heres:
Vulneréque excuſat vulnus, ſarcitque pudorem,
Plenáque non vno redijt victa triumpho.

MAGNO GALLIARVM CONSILIO EVCHARISTICON.

NVNC mihi, nũc plenis inſpira numina venis
Phœbe pater: da Caſtalios haurire liquores,
Æqualique tuum citharà celebrare triumphum.
Vincis io, & noſtri tandem cecidere timores.
Ceſſerunt æſtuſque fori, poſitóque tumultu
Pugna iacet: tandem Magni iuſtiſſima Cœtus
Aſſeruere tuas nobis ſuffragia ſedes;
Illæſæque tibi Harcuriæ ſeruantur Athenæ.
At non infirmis hæſit victoria nodis,
Robore certatum eſt vaſto, grauiórque poteſtas
Haud oblita ſui, metuenda incuſſerat arma.
Heu! quoties ſubitâ mihi mens turbata procellâ eſt,
Excuſſiſque manu calamus, dum nubila Litis
Ambiguæ euentus prohibent ſperare ſecundos,
Et noſtræ trepidant ſuſpenſæ excedere Muſæ.
Noctes atque dies horrebam inſtare Miniſtrum
Atque oculis atque aure vigil, qui vindice virgâ
Cogere ſarcinulas, propriiſque faceſſere tectis
Improbus, & profugos iubeat migrare colonos.
Stat nobis iam certa quies: iam noſtra fouebit
Nos domus addictos ſtudio: non cura, nec vlla

Anxietas ſacrum poterit turbare laborem;
Et iam formandæ vacat indulgere Iuuentæ.
Veſtrum eſt illud opus, laudiſq; ea gratia veſtræ,
Aſtræi Proceres: vobis hæc otia, vobis
Dulcia Palladiæ debemus tempora vitæ.
Quas heu! quas vobis tanto pro munere grates
Soluemus? quæ vox tantos penſabit honores?
Quippe ego centenis ſi vocibus ora reſouluam,
Ac ſuperem Mincì, dubijque Meletis Olorem,
Digna tamen celebrem tanti præconia cœtûs
Inferiore lyrâ: quamquam mens conſcia laudis
Faſtidit ſermonis opem, proprijſque ſuperba
Viribus, haud curat vano clareſcere plauſu.
Vos Trabeæ commendat honos, ſummæq; Curules,
Sed virtus ſyncera magis: reuocatáque cœlo
Iuſtitia vſque ſacros amat incoluiſſe penates.
Hinc latè per vos populis oracula pandit,
Æquáque Liligeris Arbitria diuidit oris,
Quà procul Oceani circunſonat ira Britanni:
Quà Scaldis, quà Moſa fluunt: quà gurgite fines
Ampliat Auſonios, & Francis inuidet aruis
Varus, quáque pati didicit iuga noſtra Pyrene.
Quis vos Ordinibus dirimentes iura Togatis
Non ſtupeat? neque enim veſtra exaudire grauãtur
Purpurei Decreta Patres: ſummúmque Tribunal
Omne, ſuis Rectum, vobis præeuntibus, æquat.
Vix in Romuleâ potuit plus Prætor in Vrbe
Dum terris Edicta dabat: populóſque clientes

Aut voce, aut medio Disceptatore regebat.
Parua loquor: talis medius sol aureus astris
Lumina partitur, summósque, imósque benigno
Lampadis officio cælorum illuminat orbes.
Anne aliâ meminit radiasse augustiùs Aulâ
Maiestas Francæ Themidis? num digniùs vnquam
Regia supplicibus populis oracula fudit?
Quanta fides! quæ relligio! non gratia, non vis
Consulta extorquent: sed mens sibi conscia Recti
Nusquam odiis, pluuio nusquam corrumpitur auro.
Vobiscum Actæi non certet gloria Pagi,
Cedat & Ausonij Maiestas prisca Senatus.
O decus, & Iusto sub Principe Iusta Potestas,
Pieridum columen: non plenâ Gymnas acerrâ
Harcuriana litet vobis, non præmia vestris
Æqua ferat meritis: neque virtus indiga nostri
Vestra quidem est, sed sola sibi pulcherrima merces.
Quod licet, offerimus syncero pectore sensus,
Offerimus calamos: & si mea carmina surgant
Æquali citharâ, memores superabitis annos,
Forsitan & gemini littus vos audiet Indi,
Et vestram geminus famam mirabitur axis.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER SECVNDVS.

IN HENRICI BORBONII

Sereniſſ. Condæorum Principis

mortem

EPICEDIVM.

VNDE graues gemitus? quæ-ve hæc lamenta? quis ingens
Luctus, & inſanis reſonantia pectora palmis?
Ergóne Borbonias iterat ſors impia mortes?
Concuſſum eſt nuper non vno funere Regnum:
En cadit Henricus ſceleratis victima fatis!
Altum illud columen: rapidóque in turbine belli
Spes Annæ, votúmque ſuis: acerrimus Auctor
Pacis, & orbatæ cuſtos fidiſſimus Aulæ.
Hic pietatis honos! ideó-ne tot arma, tot vrbes

Edomitæ! ſanctóque expulſus ab orbe Britannus!
Romæ ideò aſſerti ritus, & reddita templis
Relligio! an rerum, ô Superi, ſortiſque beatæ
Pœnitet? aut Franci mouet ingens gloria Regni?
O qui res hominum placitâ vertigine voluis,
Summe Pater: cui fas imis ſuprema viciſſim
Alternare manu, veſano parce dolori.
Eripitur non vile caput: non marcida virtus
Deliciis Aulæ, nec inerti perdita luxu.
Nomina non ſtirpis vano turgentia faſtu,
Picta nec obducto famæ tectoria fuco.
Sed decora heu! querimur noſtris vix cognita ſæclis.
Robora virtutis, proprio quæſita labore,
Per varios caſus, rerúmque probata per vſus:
Antiquos mores, populi Patre Principe dignos:
Perfaciles aditus: alienam haud inſcia ſortem
Pectora ſolari, & vanæ faſtidia pompæ.
Heu! quod præſidium interiit! quæ gloria morum!
Nam quis conſilio, quis mentis acumine maior
Implexos rerum caſus, venturáque fata
Proſpicere, occultáſque hoſtis præuertere fraudes?
Iam miſeras mergat luxus infamia gentes:
Iam vexentur opes epulis: radiata ſupellex
Dedecoret lucem: calcent veſtigia gemmas,
Aureáque immenſos habeant laquearia cenſus.
Occidit heu! decus antiquæ & virtutis imago.
Ecquando Curios, miracula ſimplicis ævi,
Fabriciósque tibi enaſci, mea Gallia, cernes?

Ergo ſonent planctus: omnis mœſtiſſimus ordo
Incedat, longóſque notent velamina luctus.
Magna tamen tanti haud deſunt ſolatia caſus.
Iam cœlo ſucceſſit ouans: iámque obuia venit
Indigetum cognata cohors: quos maximus inter
Illum ambit Ludouix, gratatus præſtita Nato
Obſequia & curas: gratatus fortia facta
Anguieni, & magnæ decus admirabile dextræ.
Cùm terris, inquit, migrarem, corpore liber,
Vrebat me Nati ætas obnoxia fraudi,
Ignotiſque Vxor bellorum obſeſſa procellis.
At mihi ſollicitæ mentis grauis excidit æſtus,
Dum ſocium pectus Gaſtonis pectore iungis,
Et noſtro Anguieni dignißima ſanguine virtus
Cœpta iuuat Fraterna ſuis: dúmq; inſtruis Aulam
Conſilio, hic armis frangit victricibus hoſtes.
Cardine ſic ſolido rerum ſtat Gallicus axis.
Ex quo animos vidi, atque elatæ ſemina mentis,
Diuerſis Iuuenem placuit caput addere caſtris.
Quot ſubitæ auxerũt victricia tempora palmæ!
Quæ bella exhauſit! quot ferro contudit hoſtes!
Quàm latè haud totâ ſparſit trieteride famam!
Si numeres caſus, iam tertia contigit ætas.
Vix mea conſumptos macie mens liquerat artus,
Et Matri innixus Solio prorepſerat Infans:
Erupère hoſtes tenebris, campóſque lacteſſunt,
Et vaſtis trepidas inuadunt viribus arces.
At cœptis pœnæ vltrices, ſtragéſque repenſæ.

Heu! quãto Arduenni ſtagnarunt ſanguine ſaltus,
Quà cæſa Auſonias æquauit Iberia Cannas.
Quid Moſam adſtrictũ vinclis? quid ſtrata ſubacti
Rheni terga loquar? quid cædem & Norica caſtra
Aëriis deiecta iugis? quid lege reuinctos
Vangionas? validóque inſeſſum milite Mœnum?
Intremuit totis, quanta eſt, Germania terris,
Cùm Tuberi ad ripas ſenſit procumbere vires.
Pridem flamma meos, fateor, piratica Celtas
Vrebat: raptæ Arctoo de littore prædæ:
Atque meos inter, diuersâ in parte, triumphos
Proh dolor! ardenti vndabant incendia ponto.
Contigit Anguieno antiquum delere pudorem.
Illa vorago rapax clauſa eſt: dira illa Charibdis
Stricta ſilet: lætis feruent commercia nautis,
Ac tandem oceano rediit pax alta Britanno.
Magna rudimenta: & maiorum exordia rerum.
Quæ modò, quæ nobis vndabunt gaudia cælo!
Cùm deinde Hectoridûm factis decus efferet ingẽs,
Cúmque meis cernam natis creuiſſe triumphos.
Aut ſi bella ſilent (quæ ſunt mea maxima vota)
Páxque iuuat, quãtus placidas decus induet Artes!
Nam licet in nimios ætas efferueat æſtus,
Atque emere æternam properet per funera famam,
Canities tamen eſt animo, & prudentia rerum,
Doctáque compoſito regnat ſub pectore Pallas.
Huic momentum ingens rebus ſe Contius addet,
Ingenti vix Fratre minor, iam Gloria fronti

Serta parat: cinctum comitantur in agmine Musæ,
Ac Pietas Famæ ostendit. fastigia priscæ
Virtutis premet, & mores dabit vsque sequendos.
Tali se diuisa feret tua nomine virtus!
Sic ait, & magni demirantem atria cæli
Henricum deducit ouans: secúmque beatas
Quas habeat sedes, inter sua numina, monstrat,
Venturísque auget præsentia gaudia fatis.
Ergo quid in tantos rumpas tua pectora questus,
Gallia: grande nefas manes turbare quietos.
Ecce sibi in Natis superest: illa ardua virtus,
Non infracta iacet: tanto se robore tollit,
Ac vegetat, quantò plures se fundit in actus.
Hac fuere atq; auctũ in gemino cole Fratre Parentẽ.

AD LVDOVICVM FRANCISCVM LE FEVRE DE CAVMARTIN LECTVM SENATOREM.

SCANDE *super meritas, Iuuenum laus prima, Curules:*
Indue Patricios habitus, & limina Famæ

Lætus ini: tibi cuncta fauent, & aperta nitenti
Te Sors fronte vocat. Superos cui tanta daturos
Vidimus, & tali venientia fata paratu?
Te circunstat Honos, Virtúsque satellite virgâ
Præuia munit iter: cultus induta decoros
Te petit ambitiosa Themis, variatáque luce
Ostentat pronâ Trabearum insignia dextrâ.
Ipsáque, dum Tyrio primùm te cingit amictu,
Castigat dubium blando sermone pudorem.
Eia age, te nostris iam fas adscribere Mystis.
Pridem expectatum mihi tempus venit, & ætas,
Lilia quâ magno premeres insessa parenti,
Dignáque iam nostris præstares pectora curis.
Te stimulet gentilis honos, & auita lacessat
Gloria: te patriæ incendat virtutis imago.
Quid cunctaris adhuc? aude succedere nostris
Sedibus: Augusto dignum te finge Senatu.
Non ades ignotus: gentis vetus hospita, noui
Multiplices titulos, & dulcia nomina Fabri.
Quamquam etenim multi maiorũ, Martis honores
Ante habuere meis: animique elata sequentes
Semina, tranquillæ liquerunt otia vitæ,
Vt tegerent patrios profuso sanguine fines:
Sancta licet meritis alios redimicula Mitris
Ornarint, Pietásque sacris addixerit aris:
Pars tamen accessit maior mihi: Iura tueri,
Et ciues seruare suos, cohibere nocentes,
Tutarique pios: dictis mulcere Senatum

Maluit, & pugnæ munus tolerare togatæ,
Puráque legitimo consumere prælia Marte.
Talis Auus, taliſque Pater, clariſſima legum
Lumina, purpurei quondã decora ampla Senatus.
Poſtquam ille Helueticas Legatus adiuerat vrbes:
Geſſerat & varias magnà cum laude Secures,
Noſtris emeritum caſtris complexa Poteſtas
Altiùs ad ſummos apices euexit Honorum:
Et factus legum Cuſtos, moderamine iuſto
Rexit fræna Togæ, pariter dilectus & Aulæ.
Et populis, rebus confuſis grata redibat
Iam facies: fracto mœrens Audacia ferro
Ceſſerat, atque Doli, atq; Scelus, ſempérq; latentes
Inſidiæ: victrix iam Virtus colla leuabat
Altiùs, & pulſis prodibant Iura tenebris,
Purpuráque antiquos iterum ſumebat honores.
Inuida ſed ſubità me turbauere procellà
Prò dolor! & tanto ſpoliarunt fata Miniſtro.
Plãctibus inſonuit domus omnis, & omne Tribunal:
Ingemuit, fuditque graues pia Gallia fletus.
Vt pater ille tuus Trabeas aſſumpſit, & ingens
Viſa viri virtus primas implere Curules:
Gaudebam, mentiſque ægros ſolata tumultus
Penſabam amiſſum nato ſubeunte parentem.
Nam quis non ſtupuit maturæ pondera mentis?
Palladéque impletum pectus? Rectique tenorem
Inuictum? non Ira calens, non praua Libido,
Fœda-ve Auaritiæ tranuerſo limite duxit.

Hunc etiam immites festino heu! funère Parcæ
Eripuere mihi: dum cura forensibus actis
Peruigil implitum exercet, ménsque anxia cæcos
Scrutatur causarum obices, turbæque gementis
Excipit & vota, & miseris succurrere fernet.
Quis mihi tunc animi dolor! & qui pectoris æstus!
Dum sors vsq; nouas superaggerat improba clades:
Dum spes nulla super mihi: donec Aubque, Patriq;
Promittunt te fata parem, positóque rigore
Antiqua excusant promptis dispendia votis.
Expectate veni. dudum sub imagine matris
Te mihi sancta parat Pietas, curáque parenni
Pectora legitimis tibi fingit idonea sacris.
Hinc Recti tibi fixus amor, morúmque benigna
Temperies, candórq; animi, quem blanda Voluptas
Fallaci nunquam potuit temerare veneno,
Cui non illecebrà potuere illudere sensus.
Hinc animi tibi canities: hinc arte magistrà
Euoluis legum ambages, & stantia pridem
Prudentum pulchrà dirimis certamina pacè.
Iámque ordire Togam: tibi multos ordine fasces
Prona dabit, primisque imponet Honoribus Aula.
Candida prætereà tibi nectunt stamina Parcæ,
Et longos sine nube dies. His vocibus vltro
Crede Deam affari, & certas tibi pandere sortes.
Indulge Superis, & tantis vtere fatis.

AVGVSTISSIMO PRINCIPI GASTONI FRANCIÆ AVRELIANENSIVM DVCI

Pro conſeruatis nuper Academiæ Pariſienſi ſuis nunciatibus

EVCHARISTICHON.

VNDE mihi ſubito calor entheus incidit œſtro?
Quò me, Phœbe, tui plenũ rapis? vnde repentè
Sancta mihi delubra patent? commotáque laurus,
Et Cortina, ſacros renouant ſub pectore motus?
Nam poſtquã eripuit Patriæ feră Parca Parentẽ,
Fecit & impubes Regnum, caſúſque nefandos
Caſibus ingeminat (rerum ſic omnia miſcet!)
Et plagam immanem crudeli vulnere condit:
Hinc mihi muta chelys: nil me mouere Camœnæ:
Cantum odi: laurbque excuſsà è crine pependit
Taxus, delectátque ferà me fronde cupreſſus.
At mihi iam totum pandunt Heliconia Sorores:
En gemino aſſurgit Parnaſſia vertice rupes
Plus ſolitò, doctúſque latex fluit vbere largo,
Quin-etiam totas inuergit prodigus vernas.
Muſarúmque chorus plaudit pede, voce nouenâ

Perſonat: & præſes decimâ cum Pallade Phœbus
Lætior, it multâ velatus tempora lauro.
Quem petit? vnde iubet tantum deducere carmen?
Cui tota Aoniæ ſe oſtentat gloria ſyluæ?
Fallimur? an feſto ſe turba Heliconia cultu,
Gaſto, tibi exornat? magniſque ereptæ periclis
Vindice te, tibi ſerta parat: tibi flore recenti
Et quercu, & lauro meritos it cingere crines,
Præſidiúmque tuum totâ molitur ab arte,
Et facta, & magnæ præſentia numina dextræ?
Nuper enim trepidæ Mäceps dum audacior inſtat,
Dum ſpoliare inopem cœptis immanibus ardet,
Iudicis & dubiâ pendent patrimonia lance,
Vicit, iò, vicit, longóque ſolutæ pauore
Altiùs attollit lætos Academia faſces,
Dotiſque aſſerto Regalis iure triumphat.
Tempus erat, metam Phœbus quo pulſat eoam,
Albeſcitque dies: roſeóſque oſtentat honores
Aurora, & mollem ſolito rigat aëra fletu.
Cùm lacrimis perfuſa genas Academia, magni
Gaſtonis ſtetit ante oculos, dum liberat artus,
Vaneſcitque recens conſumptâ aſpergine ſomnus.
Illa nec erecto vultu, nec ſplendida cultu
Sydereo, vt quondam: auguſtæ decreuerat altus
Frontis honos: habeti veſtis ſquallebat in auro:
Tegmina pendebant laceris deformia pannis,
Stat male-tuta gradu: dextrâ languente volumen
Suſtinet, & fuſcos, argentea pondera, faſces.

Anxietas ſacrum poterit turbare laborem;
Et iam formandæ vacat indulgere Iuuentæ.
Veſtrum eſt illud opus, laudiſq; ea gratia veſtræ,
Aſtræi Proceres: vobis hæc otia, vobis
Dulcia Palladiæ debemus tempora vitæ.
Quas heu! quas vobis tanto pro munere grates
Soluemus? quæ vox tantos penſabit honores?
Quippe ego centenis ſi vocibus ora reſoluam,
Ac ſuperem Mincî, dubijque Meletis Olorem,
Digna tamen celebrem tanti præconia cœtûs
Inferiore lyrâ: quamquam mens conſcia laudis
Faſtidit ſermonis opem, proprijſque ſuperbæ
Viribus, haud curat vano clareſcere plauſu.
Vos Trabeæ commendat honos, ſummæq; Curules,
Sed virtus ſyncera magis: reuocatáque cœlo
Iuſtitia vſque ſacros amat incoluiſſe penates.
Hinc latè per vos populis oracula pandit,
Æquáque Liligeris Arbitria diuidit oris,
Quà procul Oceani circunſonat ira Britanni:
Quà Scaldis, quà Moſa fluunt: quà gurgite fines
Ampliat Auſonios, & Francis inuidet aruis
Varus, quáque pati didicit iuga noſtra Pyrene.
Quis vos Ordinibus dirimentes iura Togatis
Non ſtupeat? neque enim veſtra exaudire grauãtur
Purpurei Decreta Patres: ſummúmque Tribunal
Omne, ſuis Rectum, vobis præeuntibus, æquat.
Vix in Romuleâ potuit plus Prætor in Vrbe
Dum terris Edicta dabat: populóſque clientes

Aut voce, aut medio Disceptatore regebat.
Parua loquor: talis medius sol aureus astris
Lumina partitur, summósque, imósque benigno
Lampadis officio cælorum illuminat orbes.
Anne aliâ meminit radiasse augustiùs Aulâ
Maiestas Francæ Themidis? num digniùs vnquam
Regia supplicibus populis oracula fudit?
Quanta fides! quæ relligio! non gratia, non vis
Consulta extorquent: sed mens sibi conscia Recti
Nusquam odiis, pluuio nusquam corrumpitur auro.
Vobiscum Actæi non certet gloria Pagi,
Cedat & Ausonij Maiestas prisca Senatus.
O decus, & Iusto sub Principe Iusta Potestas,
Pieridum columen: non plenâ Gymnas acerrâ
Harcuriana litet vobis, non præmia vestris
Æqua ferat meritis: neque virtus indiga nostri
Vestra quidem est, sed sola sibi pulcherrima merces.
Quod licet, offerimus syncero pectore sensus,
Offerimus calamos: & si mea carmina surgant
Æquali citharâ, memores superabitis annos,
Forsitan & gemini littus vos audiet Indi,
Et vestram geminus famam mirabitur axis.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER SECVNDVS.

IN HENRICI BORBONII

Sereniſſ. Condæorum Principis

mortem

EPICEDIVM.

VNDE graues gemitus? quæ-ve hæc lamenta? quis ingens
Luctus, & inſanis reſonantia pectora palmis?
Ergóne Borbonias iterat ſors impia mortes?
Concuſſum eſt nuper non vno funere Regnum:
En cadit Henricus ſceleratis victima fatis!
Altum illud columen: rapidóque in turbine belli
Spes Annæ, votúmque ſuis: acerrimus Auctor
Pacis, & orbatæ cuſtos fidiſſimus Aulæ.
Hic pietatis honos! ideó-ne tot arma, tot vrbes

Edomitæ! ſanctóque expulſus ab orbe Britannus!
Romæ ideò aſſerti ritus, & reddita templis
Relligio! an rerum, ô Superi, ſortiſque beatæ
Pœnitet? aut Franci mouet ingens gloria Regni?
O qui res hominum placitâ vertigine voluis,
Summe Pater: cui fas imis ſuprema viciſſim
Alternare manu, veſano parce dolori.
Eripitur non vile caput: non marcida virtus
Deliciis Aulæ, nec inerti perdita luxu.
Nomina non ſtirpis vano turgentia faſtu,
Picta nec obducto famæ tectoria fuco.
Sed decora heu! querimur noſtris vix cognita ſæclis.
Robora virtutis, proprio quæſita labore,
Per varios caſus, rerúmque probata per vſus:
Antiquos mores, populi Patre Principe dignos:
Perfaciles aditus: alienam haud inſcia ſortem
Pectora ſolari, & vanæ faſtidia pompæ.
Heu! quod præſidium interiit! quæ gloria morum!
Nam quis conſilio, quis mentis acumine maior
Implexos rerum caſus, venturáque fata
Proſpicere, occultáſque hoſtis præuertere fraudes?
Iam miſeras mergat luxus infamia gentes:
Iam vexentur opes epulis: radiata ſupellex
Dedecoret lucem: calcent veſtigia gemmas,
Aureáque immenſos habeant laquearia cenſus.
Occidit heu! decus antiquæ & virtutis imago.
Ecquando Curios, miracula ſimplicis æui,
Fabriciúſque tibi enaſci, mea Gallia, cernes?

Ergo ſonent planctus: omnis mœſtiſſimus ordo
Incedat, longóſque notent velamina luctus.
Magna tamen tanti haud deſunt ſolatia caſus.
Iam cœlo ſucceſſit ouans: iámque obuia venit
Indigetum cognata cohors: quos maximus inter
Illum ambit Ludouix, gratatus præſtita Nato
Obſequia & curas: gratatus fortia facta
Anguieni, & magnæ decus admirabile dextræ.
Cùm terris, inquit, migrarem, corpore liber,
Vrebat me Nati ætas obnoxia fraudi,
Ignotiſque Vxor bellorum obſeſſa procellis.
At mihi ſollicitæ mentis grauis excidit æſtus,
Dum ſocium pectus Gaſtonis pectore iungis,
Et noſtro Anguieni digniſſima ſanguine virtus
Cœptæ iuuat Fraterna ſuis: dúmq; inſtruis Aulam
Conſilio, hic armis frangit victricibus hoſtes.
Cardine ſic ſolido rerum ſtat Gallicus axis.
Ex quo animos vidi, atque elatæ ſemina mentis,
Diuerſis Iuuenem placuit caput addere caſtris.
Quot ſubitæ auxerũt victricia tempora palmæ!
Quæ bella exhauſit! quot ferro contudit hoſtes!
Quàm latè haud totâ ſparſit trieteride famam!
Si numeres caſus, iam tertia contigit ætas.
Vix meæ conſumptos macie mens liquerat artus,
Et Matri innixus Solio prorepſerat Infans:
Erupère hoſtes tenebris, campóſque laceſſunt,
Et vaſtis trepidas inuadunt viribus arces.
At cœptis pœnæ vltrices, ſtragèſque repenſæ.

Heu! quãto Arduenni ſtagnarunt ſanguine ſaltus,
Quà cæſa Auſonias æquauit Iberia Cannas.
Quid Moſam adſtrictũ vinclis? quid ſtrata ſubacti
Rheni terga loquar? quid cædem & Norica caſtra
Aëriis deiecta iugis? quid lege reuinctos
Vangionas? validóque inſeſſum milite Mœnum?
Intremuit totis, quanta eſt, Germania terris,
Cùm Tuberi ad ripas ſenſit procumbere vires.
Pridem flamma meos, fateor, piratica Celtas
Vrebat: raptæ Arctoo de littore prædæ:
Atque meos inter, diuersâ in parte, triumphos
Proh dolor! ardenti vndabant incendia ponto.
Contigit Anguieno antiquum delere pudorem.
Illa vorago rapax clauſa eſt: dira illa Charibdis
Stricta ſilet: lætis feruent commercia nautis,
Ac tandem oceano rediit pax alta Britanno.
Magna rudimenta: & maiorum exordia rerum.
Quæ modò, quæ nobis vndabunt gaudia cælo!
Cùm deinde Hectoridûm factis decus efferet ingẽs,
Cúmque meis cernam natis creuiſſe triumphos.
Aut ſi bella ſilent (quæ ſunt mea maxima vota)
Páxque iuuat, quãtus placidas decus induet Artes!
Nam licet in nimios ætas efferueat æſtus,
Atque emere æternam properet per funera famam,
Canities tamen eſt animo, & prudentia rerum,
Doctáque compoſito regnat ſub pectore Pallas.
Huic momentum ingens rebus ſe Contius addet,
Ingenti vix Fratre minor, iam Gloria fronti

Serta parat: cinctum comitantur in agmine Musæ,
Ac Pictas Famæ ostendit. fastigia priscæ
Virtutis premet, & mores dabit vsque sequendos.
Tali se diuisa feret tua nomine virtus!
Sic ait, & magni demirantem atria cæli
Henricum deduxit ouans: secúmque beatas
Quas habeat sedes, inter sua numina, monstrat,
Venturisque auget præsentia gaudia fatis.
Ergo quid in tantos rumpas tua pectora questus,
Gallia: grande nefas manes turbare quietos.
Ecce sibi in Natis superest: illa ardua virtus,
Non infracta iacet: tanto se robore tollit,
Ac vegetat, quantò plures se fundit in actus.
Hac fuere atq; auctũ in gemino cole Fratre Parentẽ.

AD LVDOVICVM FRANCISCVM LE FEVRE DE CAVMARTIN LECTVM SENATOREM.

SCANDE *super meritas, Iuuenum laus prima, Curules:*
Indue Patricios habitus, & limina Famæ

Lætus ini: tibi cuncta fauent, & aperta nitenti
Te Sors fronte vocat. Superos cui tanta daturos
Vidimus, & tali venientia fata paratu?
Te circunstat Honos, Virtúsque satellite virgâ
Præuia munit iter: cultus induta decoros
Te petit ambitiosa Themis, variatáque luce
Ostentat pronâ Trabearum insignia dextrâ.
Ipsáque, dum Tyrio primùm te cingit amictu,
Castigat dubium blando sermone pudorem.
Eia age, te nostris iam fas adscribere Mystis.
Pridem expectatum mihi tempus venit, & ætas,
Lilia quâ magno præmeres insessa parenti,
Dignáque iam nostris præstares pectora curis.
Te stimulet gentilis honos, & auita lacessat
Gloria: te patriæ incendat virtutis imago.
Quid cunctaris adhuc? aude succedere nostris
Sedibus: Augusto dignum te finge Senatu.
Non ades ignotus: gentis vetus hospita, noui
Multiplices titulos, & dulcia nomina Fabri.
Quamquam etenim multi maiorũ, Martis honores
Ante habuere meis: animique elata sequentes
Semina, tranquillæ liquerunt otia vitæ,
Vt tegerent patrios profuso sanguine fines:
Sancta licet meritis alios redimicula Mitris
Ornarint, Pietásque sacris addixerit aris:
Pars tamen accessit maior mihi: Iura tueri,
Et ciues seruare suos, cohibere nocentes,
Tutarique pios: dictis mulcere Senatum

Maluit, & pugnæ munus tolerare togatæ
Puráque legitimo consumere prælia Marte.
Talis Auus, taliſque Pater, clariſſima legum
Lumina, purpurei quondã decora ampla Senatus.
Poſtquam ille Helueticas Legatus adiuerat vrbes:
Geſſerat & varias magnà cum laude Secures,
Noſtris emeritum caſtris complexa Poteſtas
Altiùs ad ſummos apices euexit Honorum:
Et factus legum Cuſtos, moderamine iuſto
Rexit fræna Togæ, pariter dilectus & Aulæ.
Et populis, rebus confuſis grata redibat
Iam facies: fracto mœrens Audacia ferro
Ceſſerat, atque Doli, atq; Scelus, ſempérq; latentes
Inſidiæ: victrix iam Virtus colla leuabat
Altiùs, & pulſis prodibant Iura tenebris,
Purpuráque antiquos iterum ſumebat honores.
Inuida ſed ſubità me turbauere procellà
Prò dolor! & tanto ſpoliarunt fata Miniſtro.
Plãctibus inſonuit domus omnis, & omne Tribunal:
Ingemuit, fuditque graues pia Gallia fletus.
Vt pater ille tuus Trabeas aſſumpſit, & ingens
Viſa viri virtus primas implere Curules:
Gaudebam, mentiſque ægros ſolata tumultus
Penſabam amiſſum nato ſubeunte parentem.
Nam quis non ſtupuit maturæ pondera mentis?
Palladéque impletum pectus? Rectique tenorem
Inuictum? non Ira calens, non praua Libido,
Fœda-ve Auaritiæ tranuerſo limite duxit.

Hunc etiam immites festino heu! funere Parcæ
Eripuere mihi: dum cura forensibus actis
Peruigil implitum exercet, ménsque anxia tæcos
Scrutatur causarum obices, turbæque gementis
Excipit & vota, & miseris succurrere feruet.
Quis mihi tunc animi dolor! & qui pectoris æstus!
Dum sors vsq; nouas superaggerat improba clades:
Dum spes nulla super mihi: donec Aubque, Patriq;
Promittunt te fata parem, positóque rigore
Antiqua excusant promptis dispendia votis.
Expectate veni. dudum sub imagine matris
Te mihi sancta parat Pietas, curáque parenni
Pectora legitimis tibi fingit idonea sacris.
Hinc Recti tibi fixus amor, morúmque benigna
Temperies, candórq; animi, quem blanda Voluptas
Fallaci nunquam potuit temerare veneno,
Cui non illecebrà potuere illudere sensus.
Hinc animi tibi canities: hinc arte magistrà
Euoluis legum ambages, & stantia pridem
Prudentum pulchrà dirimis certamina pace.
Iámque ordire Togam: tibi multos ordine fasces
Prona dabit, primisque imponet Honoribus Aula.
Candida præterea tibi nectunt stamina Parcæ,
Et longos sine nube dies. His vocibus vltro
Crede Deam affari, & certas tibi pandere sortes.
Indulge Superis, & tantis vtere fatis.

AVGVSTISSIMO PRINCIPI GASTONI FRANCIÆ AVRELIANENSIVM DVCI

Pro conſeruatis nuper Academiæ Pariſienſi ſuis nunciatibus

EVCHARISTICHON.

VNDE mihi ſubito calor entheus incidit œſtro?
Quò me, Phœbe, tui plenũ rapis? vnde repentè
Sancta mihi delubra patent? commotáque laurus,
Et Cortina, ſacros renouant ſub pectore motus?
Nam poſtquã eripuit Patriæ fera Parca Parentẽ,
Fecit & impubes Regnum, caſúſque nefandos
Caſibus ingeminat (rerum ſic omnia miſcet!)
Et plagam immanem crudeli vulnere condit:
Hinc mihi muta chelys: nil me mouere Camœnæ:
Cantum odi: laurbque excuſsà è crine pependit
Taxus, delectátque ferà me fronde cupreſſus.
At mihi iam totum pandunt Helicona Sorores:
En gemino aſſurgit Parnaſſia vertice rupes
Plus ſolitò, doctúſque latex fluit vbere largo,
Quin-etiam totas inuergit prodigus vernas.
Muſarúmque chorus plaudit pede, voce nouenâ

Perſonat: & præſes decimâ cum Pallade Phœbus
Lætior, it multâ velatus tempora lauro.
Quem petit? vnde iubet tantum deducere carmen?
Cui tota Aoniæ ſe oſtentat gloria ſyluæ?
Fallimur? an feſto ſe turba Heliconia cultu,
Gaſto, tibi exornat? magniſque erepta periclis
Vindice te, tibi ſerta parat: tibi flore recenti
Et quercu, & lauro meritos it cingere crines,
Præſidiúmque tuum totâ molitur ab arte,
Et facta, & magnæ præſentia numina dextræ?
Nuper enim trepidæ Mãceps dum audacior inſtat,
Dum ſpoliare inopem cœptis immanibus ardet,
Iudicis & dubiâ pendent patrimonia lance,
Vicit, iò, vicit, longóque ſoluta pauore
Altiùs attollit lætos Academia faſces,
Dotiſque aſſerto Regalis iure triumphat.

Tempus erat, metam Phœbus quo pulſat eoam,
Albeſcitque dies: roſeóſque oſtentat honores
Aurora, & mollem ſolito rigat aëra fletu.
Cùm lacrimis perfuſa genas Academia, magni
Gaſtonis ſtetit ante oculos, dum liberat artus,
Vaneſcitque recens conſumptâ aſpergine ſomnus.

Illa nec erecto vultu, nec ſplendida cultu
Sydereo, vt quondam: auguſtæ decreuerat altus
Frontis honos: habeti veſtis ſquallebat in auro:
Tegmina pendebant laceris deformia pannis,
Stat male-tuta gradu: dextrâ languente volumen
Suſtinet, & fuſcos, argentea pondera, faſces.

Clara tamen vegetam retinebant lumina lucem,
Celsáque adhuc priscâ se maiestate ferebat.
Astiterant olli Comites, Sapientia mundi
Interpres superi à dextrâ: Prudentia læuâ
Pontificum sancita libris: tum ponè micanti
Ostro ardens venit Ars Coi veneranda Magistri.
Cui latus adiungens Humana Scientia dextrum,
Dulcè renidebat vultu: quæ docta Iuuentam
Excolit, & fingit mores, humanáque corda,
Oráque facundis mortalia vocibus implet.
Ergo compressis tandem singultibus infit,
Atque his Borbonidæ concussit questibus aures.
Agnoscis-ne tuos, Diuûm genus? an mihi tantùm
Priscus honos perit, & rigidi inclementia fati,
Atque hostes, vultus deformauere serenos,
Vt iam nulla feram solitæ vestigia formæ,
Et me conficiant inter tua gaudia luctus?
Illa ego, quæ Magni quondam generosa propago
Carli dicta prius: tot Auorum cura tuorum:
Palladium, & Franci non vltima pignora Regni:
Quæ superos nuper sublimi vertice adibam:
Quæ super & Gades, tepidi super ostia Gangis,
Et glacie Tanaim longè exaudita rigentem
Sæpe catenatum pertraxi vòtibus orbem.
Cui iacuit fera Barbaries, atque Hæresis artes.
Quæ sacros ritus, Tarpeiæ dogmata Mitræ
Asserui toties, variisque afflatæ venenis
Lilia, quà licuit, manibúsque & pectore texi.

At nunc ceſſit honos, verſique miſerrima fatis,
Et deſpecta, feræ patior mala verbera ſortis.
Ex quo inimica cohors ſepſit mea viſcera circùm,
Vndique & occluſit riuos, meus aruit humor,
Defluxere comæ: pallenti ſtipite multùm
Decoxi: ex illo mihi torrida membra fatiſcunt;
Et trunco tantùm facimus, non frondibus vmbram.
Heu! captiua feror: vix ora reſoluere ſanctis
Vocibus, & ſæcli mihi fas compeſcere peſtes.
His pereo confecta malis: modò cuique volenti
Nos prædæ faciles, inſultantique iacemus.
Iam laceræ nobis errant fragmenta coronæ,
Et malè Regales ortus tutantur honorem.
Quinetiam inſultat portus, naulique Redemptor,
Et mea iura ſibi immitis Chryſargyrus ambit.
Atdet atrox, pauidæq; inſtat, raptátq; trahitque
Huc ferus, atque illuc pauitantẽ & iniqua ferẽtem.
Quid ſancto Indigetum cretam de ſanguine naſci
Profuit? heu! magnos ſortitam pœnitet ortus,
Pœnitet. in probrum tanti vertuntur honores,
Atque addunt noſtro magna incrementa dolori.
Quod ſi Cœlicolûm menti ſententia ſedit
Hæc vt fata feram: rerúmque immobilis ordo
Iſta velit, nec Parca queat ſæuiſſima flecti:
Saltem alio placeat miſeram configere telo,
Atque hoſtis mutare genus: procumbere honeſto
Vulnere Reginæ liceat (ſolatia ſupplex
Parua rogo) triſtéſque authore leuare ruinas.

Isset adhuc in verba dolor: sed protinus Heros
Borbonides, imo repetens suspiria corde,
(Quippe ille ingemuit sortem miseratus acerbam)
Per tales dedit afflictæ solatia voces.
Excute corde metum, melior spes addita menti
Iam redeat: compone animos, & dilue luctus.
Dum mihi vita super, dum spiritus hos reget artus,
Illæsus tibi stabit honos: tibi prisca meorum
Integra perpetuo remanebunt munera iure.
Te-ne diu insontem vexari ante ora sinemus?
Dum mihi Liligeri moderamina contigit Orbis
Fœlici iuuisse manu: dum vindice ferro
Et veteres prædas, solitumque vlciscimur hostem.
Quid nostri dicent populi, nostrique nepotes?
Tarpeius pater, Europe quid cætera dicet,
Ad tristes si te casus, & funera prodam?
Non talem finxit memet natura: nec ingens
Carolus hæc exempla dedit: non ille Philippus,
Cui dedit Augusti pietas venerabile nomen.
Non ità me Ludouix docuit: quẽ numinis instar
Ritè colo, sanctisque vocat pia Gallia votis.
Non ità me Genitor, licet hunc sors aspera rerum
Versasset, primisque fides nutasset in annis,
Te tamen assiduâ studuit defendere curâ,
Insontem nec te licuit vexare nocenti
Principe sub tanto, ciui satis at sua cuique
Commoda erant: nondũ Manceps inuexerat artes,
Communi non fas quemquam pinguescere damno.

At iam tempus erit, belli quo priſca tumultu
Copia compoſito redeat: paxque optima, fractis
Hoſtibus, Hectoreis infundat gaudia terris.
Tunc tantis medicina malis accedet, & imis
Torrida contages cedet concepta medullis.
Victorem populum depaſta premetur hirudo,
Vlceráque expreſſis opibus manantia claudam.
Tunc tibi plenus honos aderit: tunc agmina rũpent
Docta lares: tibi ſydereum decus ore reſurget
Totáque mutatis remeabit gloria fatis.
Interea ſolare animum, confidere rebus
Auſa tuis: námque ipſe hoſtilia tela retundam,
Ipſe tuos præſens animis, & voce iuuabo.
Dixit, & exhilarans diffuſos lumine vultus
Dimittitque Deas, oculiſque ad limina ducit.
Anxia iámque dies, & ineuitabile tempus
Venerat: impoſitæ quo tandem examine ſortes
Penderent, dubiiſque irent patrimonia fatis.
Heu! quæ ſollicitas curarum pondera mentes
Preſſerunt! doctis & quanta ſilentia tectis!
Quis tum animis metus! in tanto diſcrimine rerum
Ipſa ſibi haud conſtat Pallas: pauet ipſa tumultus
Clamoſos exoſa fori: placidiſque reuulſa
Sedibus, huc illuc multo deformia cœno
Proh dolor! atque aulas, atq; omnia cõpita circum
Sancta profanatis errabant agmina curis.
Tunc ſegnes animi Demoſthenis arma mouere
Omnibus, atq; auidas numeris vndantibus aures

Pascere: Suada nefas! siluit, consueta theatris
Neglectis non pompa fuit: non puluere docto
Vexarunt calidam vocalia bella Iuuentam.
Ipsa quoque, in mediis quæ Martia classica pugnis
Inspirare solet, Clio, faciésque Deorum
Aspicere, & cantu largos æquare cruores,
Palluit: exitióque nouo perterrita, truncos
Erranti dedit ore sonos: victricia quamuis
Lilia, Belgarúmque graues daret orsa ruinas.
Tantæ inerant animis, & in omni Gymnade curæ!
Nec verò ingentem leuia, aut ludicra timorem
Intulerant: sed primauos ferus hostis honores,
Regalisque ortus specimen molimine vasto
Eripere instabat. Quà latè panditur Orbis
Gallicus, & geminis hinc atq; hinc tunditur vndis,
Germanóque procul Ligeris tulit ostia Rheno:
Iampridem varios nostrorum gratia Regum
Ire Viatores Francis donarat Athenis:
Publica qui doctæ curarent commoda gentis,
Certáque legitimo facerent commercia cursu.
Et meritò: quis enim diuinos pectore sensus
Excipiat? variis huic si præcordia voluat
Fluctibus anxietas. studiis timor omnis abesto,
Lætáque securas delectent otia Musas,
Si cupis has te digna loqui, si magna sonare,
Diuitiásque suas ingenti aperire profatu.
Mancipis hæc lucri species accenderat æstum:
Hoc ardens petit, & metuendo robore pugnat:

Sæuit, & Aſtræam inſano clamore fatigat.
Hic, vbi ſe magnæ mediis è mœnibus vrbis
Sequana collegit: longiſque anfractibus vndas
Explicat, & liber ſpatioſo voluitur amne:
Stat domus, innumeras latè diuiſa per ædes,
Extremámque vrget ſpatiis ingentibus Vrbem.
Hanc foſſæ, ſolidóque inuictæ vertice turres
Tutantur, gremióque includunt Principis Aulam.
Tectum auguſtum, ingens: multæ cui frondea ſyluæ
Culmina nudarunt: vaſti cui iugera campi,
Duráque Parriſij vacuarunt viſcera montes.
Huic ſeſe non anteferet domus alta Neronis:
Nec priſcum Salomonis opus: non inclyta Iberi
Atria Laurentis, noſtræ monimenta ruinæ.
Veſtibulum ante ipſum, primóque in limine ſedis
Horreſcit ferrata ſeges: noctéſque diéſque
Excubat ante fores variis gens diſſona linguis,
Alternátque vices, certóque ſub orbe recurrit.
Intrantes ſacer horror habet, ſuſpenſáque vibrat
Corda metu: Deus, ille Deus hæc atria ſeruat:
Hæc ambit Genius Luparæ, dum Gallica Princeps
Sceptra tenet, magnáſque manu molitur habenas.
Huc Proceres tulerũt ſe Palladis, agmine magno,
Pérque viæ ambages placidè veſtigia tendunt.
Mox introgreſſi ſubeunt, complentque frequentes
Interiora domus. Procerum lectiſſimus ordo
Concilium magnum regni de rebus habebat:
Librabátque æquo populorum examine fata.

Volucbátque animis, quo dura Alemannia ferro
Concidat, Insubréſque ſeri: quáque arte feroces
Et Belgas premat, & ſæuos contundat Iberos.
„ Poſtquam intromiſſi, & coram data copia fandi,
Altáque ſollicitam tenuere ſilentia turbam,
Suada verecundo tales dedit ore loquelas.
Si quando ſpretis ſanctà cum Pallade libris
Hæc auſu vetito res tractauere prophanas
Agmina, & optarunt alieno creſcere damno:
Si nocuiſſe, & ſe magnis opponere lucris
Arguerint hoſtes: duros perferre labores
Nil querimur, diuina cohors: ſæuóque tumultu
Nos iactari æquum eſt: incurrere conuenit atros
Inuidiæ inſcopulos, & amata ſubire pericla.
Iure ſibi mea iura petunt, atque otia turbant,
Dotiſque antiquos tentant Regalis honores.
At ſi non odiis, nullàque laceſſere pugnà
Arguimur: ſi fama viri, nomènque genúſque
Ingnotum, noſtras nunquam peruenit ad aures:
Si mea Palladiis impendam tempora curis,
Publicáque amplificem reſonanti commoda voce:
Me-ne ſines impunè rapi? ſterilique decore,
Et priſcis ſpoliari opibus? faſcéſque iacere?
Immeritámque premi? & queſtus ſatiare profanos?
Nil noſtrum Regale genus? nihil inclyta quondam
Gloria, nil Recti tanget reſpectus, & Æqui?
Nil longum obſequium? nil vos miſerãda ſenectus?
Nil mihi magnorum directa inſignia Regum?

Me pauidam terrent hoſtis temeraria cœpta:
Et coniuratæ ſociatis viribus artes.
Adde quòd imbellis, clamoſæque inſcia rixæ
Innocuas acies, vmbratica prælia noui.
Inſpirare leues calamos, cantare ſub vmbrâ,
In tenui varias deſcribere puluere formas,
Fingere Rhetoricos flexus, tornare figuras,
Verbáque, & inſontis belli ſimulacra mouere.
Vnde forum, litéſque pati? fraudéſque malignas
Soluere, & hoſtiles ceruice repellere dextras?
Quà Pyrenæo de culmine Vaſco Garumna (ceps
Voluitur, atq; Ararim Rhodanus quà gurgite præ-
Cunctantem rapit, & bifido petit æquora cornu:
Quà iacet extremi Morinûm gens vltima mundi,
Quaq; Aremoricæ Oceanũ premit vmbo Britannũ:
Iam pridem nobis ſeries longiſſima Regum
Ire, redire viros dederat, queis publica curru
Sarcina credatur conducto, & idonea in arctis
Sufficerent rebus ſtudioſæ impendia pubi,
Atque iter aſſiduum certâ ſub lege reuolùant.
Inuidere mali (quid enim non tentat auarus?)
Aggreßique, nefas! ſacros contingere cenſus,
Callida per varias poſuerunt retia lites,
Inſonteſque malis vexarunt artibus Artes.
Hoc decus antiquum nouitas! hæc iura teneret!
Integra quæ ſteterant per tot diſcrimina rerum,
Per tot inoffenſos ſæcli reuolubilis orbes,
Bellorúmque æſtus: quæ non ciuilis Erinnys

Hauſit, regna licet toties exanguia ſuxit.
Non ſæuæ hoſtiles: non diræ Maura Pyrenes
Tempeſtas effuſa iugis: non Anglia noſtro
Addicta exitio, qui non crudelior hoſtis
Aluus immerſo penetrauit viſcera ferro.
Scilicet! hos tenues reditus ſanctiſſima Regum
Cura dedit: dedit aſſiduis alimenta Magiſtris,
Vt dominis tandem priuata in commoda cedant
Mancipibus: rapido magnam qui protinus vrbem
Et nitidi gemmis, ſeruorumque agmine cincti
Pernolitent curru: curſu quam nuper anhelo
Cænum inter, turbamque, leues euoluere norant.
Vtque vir, vtque vxor calidi rotet arma fritilli,
Vt noua marmoreis ſurgant prætoria cruſtis,
Et ſament poſitâ bene-olentia fercula mensâ.
Rideat intereà nudam frigere Mineruam,
Numinis indutus ſpoliis: currúque ſuperbus
Muſarum horridulos naſo ſuſpendat alumnos.
Non tulit vlteriùs triſtes bonus ire querelas
Gaſto, nec ferre inſontes aſperrima: Magno
Digna patre Errico ſoboles vim protinus omnem
Arcuit à Muſis: certamina ſæua diremit,
Compreſſitque æſtus animorum, & depulit hoſtem:
Manſuris oracla dedit munita ſigillis,
Et vetuit placidas deinceps pauitare Camœnas.
Mira fides! ſubitò deterſis nubibus æër
Enituit: Phœbus riſit puriſſimus axe:
Hectoreas latè meliori lumine terras

Induit, & mulia crispant tempora flammà.
Auræ spirarunt, & flores tempore verso
Fudit humus: sparsas inter nituere ruinas
Lilia mixta rosis: amaranthus & ôbria sese
Protulit, & festis ornant tempora sertis.
Postquam ad Palladios victrix Academia colles
Se retulit: fœlixque audas vox impulit aures,
Gymnadáque exultans bacchata est fama per omnẽ,
Lætitiâ fremuere animi, curæque solutæ
Mens natat, eruptæque hilares in gaudia sensus.
Protinus ire procul tristi, procul ire timores:
Truditur anxietas, securáque pectora regnant.
Ore sonant bona verba, sonat victoria; Gasto,
Et Gasto sermone redit: bellique togæque
Iactatur specimen: prolémque huicvsque precãtur,
Nomen & ominibus cumulant. tibi mille triumphi,
Mille trophæa tibi eueniant, & Scaldis, Ibérque
Et Padus, & totis tibi cedat fluctibus Ister.
Di tibi dent faciles annos: componere sæua
Prælia, Nestoreámque æuo superare senectam.
Talia dum celebrant votis, altaria cingit
Pompa frequens, rutiláque ardent delubra coronâ.
Dextra tibi fumat, Genitrix, tibi, Nate, sinistra:
Concipit ille preces, facit hic pia sacra Sacerdos.
Cœlestésque animæ, queis sancto Palladis artes
Corde sedent, quos antra mouẽt, & Apollinis ignes,
Implicuere sacrâ viridantia tempora lauro.
Pulsantur citharæ: doctus sonat vndique collis

Google

Borbonidē, & magnæ non parua iuuamina dextræ,
Atque alterna canunt victrices atria Muſas.
Cœtibus in mediis Phœbeo concitus æſtro
Aſſurgit vates, debacchatúſque furore
Incerto, ſic fata canit. Cui dira paratis
O ſuperi? quantas video trans culmina clades!
Quàm mihi, quàm longo reſonãt tormenta fragore!
Quantus & exundat glomerato turbine fumus!
Fulmine deiectas arces: turrita iacere
Mœnia conſpicio, & ſtagnantes cædibus agros.
Agmina verſa ruunt: aciéſque animoſa frementi
Concutit Heſperiam motu: gemit alta Pyrene,
Sanguinéúſque fluit Sicoris, fumantis Iberi
Ripa rubet: Maurus pallet formidine Bætis,
Herculeæque graui impulſu tremuere columnæ.
Quò, Superi, Heſperios contunditis vndiq; faſtus!
Hinc mare, quod populos extrà, quódq; alluit intrà,
Diuexáique rates, atque agmina naufraga ſorbet.
Hinc famulus fert vincla Sabis: placidúſq; iacẽtes
Demittit Leo Belga iubas: manſueſcere tandem
Edidicit, Fancæque humilis dare colla catenæ.
Excuſſere iugum tandem Cantabria, & ambæ
Sicaniæ: lætis attollit Lilia muris
Parthenope. liber Ticinus iam gurgite toto
Celta fluit, tumidáſque rotat iactantior vndas.
Quis vir hic eſt, qui dura manu tot bella, tot hoſtes
Conficit? Alcidæque premens ingentia facta
Victor obit terras? Diuûm certiſſima proles.

Quantùm humeris extat! quantum decus enitet ore!
Agminis instar habet: varias huic prospera palmas
Fata parant: rursúsque vocant nouа bella, sed illum
Pacis amor retinet melior, sanctúsque cruentas
Temperat ipse manus, furialiáque arma recondit,
Fœlicésque regit patrio moderamine terras.
Parte aliâ Arctoo Iuuenem sæuire sub axe
Ostendunt fata, & Germana incurrere regna.
Non Rheni tardatur aquis: non aggere multo,
Qui syluam, & cœlo munita cacumina tollit.
Ecce furens sine more ruit, primúsque cohortem
Erigit in rupes, hostiliáque agmina rumpit:
Iam pedes, & campo incursat modò sessor aperto,
Iámque hic sanguineis, iamque illic perfurit armis.
Cædit Vindelicas acies, & Norica castra,
Et versã Austriadûm Volucrẽ properantiùs vrget.
Hìc vbi Vangiones Tribocis confinia iungunt,
Et varia imperiis ponit discrimina Rhenus:
Cerno recensentem victrices ordine turmas:
Gloriáque hinc niueâ, hinc rubrâ Victoria pennâ
Adsistunt lateri: solitóque sonantior implet
Centũ Fama tubas, Vogesus quibus attremit ingẽs,
Abnobáq; Hercyniúsq; Deæ vaga murmura saltus
Multiplicant, fractósque remittit Iura fragores.
Maiestate ingens, effultúsque aggere ripæ
Virtuti meritos pulcher partitur honores.
Stant cuneis diuisæ acies, & præmia plausu
Excipiunt iterum atque iterum. lux ignea ferri

Incendit campos latè, solémque lacessit,
Errantique leues vibrantur imagine fluctus.
Maste, ô Indigetum soboles, tibi nominis omen
Innumeras spondet palmas: Cerisolia vinces
Prælia, & Anguieni priscum decus, alta Parentis
Consilia, & magnos proauorum æquabis honores.
Talibus implebat fatis pendentia turbæ
Pectora bacchatus Vates: obscuráque veris
Non sine more tegens, ignotâ ambage canebat.
O decus, & vidui spes ô fidissima Regni,
Quas soluet tibi pro meritis Academia grates?
Erigis hanc, fessámque leuas, & rursus, vt alter
Carolus, instituis, primæuáque robora præstas.
Sic vbi turbo malus, fœdique nitentia nimbi
Germina presserunt: puro si fortè resulsit
Æthra polo, pulsis longè si nubibus astra
Clara micãt, redit omnis honos, & amœna resurgit,
Informéque ornat melior sua gloria virgas.
Prole redundantem, & florentem rebus opimis
Hanc fouere alij Reges: coluere potentem
Et Proceres: magno sed iam defuncta periclo
Per te surgit ouans per te iuuenilibus annis
Redditur, & rugas ponit renouatæ senïles,
Læta patrocinio ingenti: ridétque latratus
Inuidiæ, & soliti assultus iam despicit hostis.
Sic tua te virtus, sic te tua munera præstant
Maiorémque atauis, meliorémq; omnibus vnum.
Ergo memor tibi vocis opes, tibi pectora veri

Addicit fœcunda: hinc iam tu noſter Apollo,
Tu Parnaſſus eris, ſcribendique omnibus auctor,
Quà patet ars fandi: Rhetor iam plurimus aptat
Artifices laudis numeros: te carmine Vates
Plurimus orditur, totóque Helicone ſuperbit,
Victuróque tuas molitur carmine palmas.
Non Mecœnatem plures cecinere Poëtæ:
Non ipſum Auguſtum: nec tantà inclaruit arte
Franciſcus, Græcas noſtris qui iunxit Athenas,
Te quantà arte tui tollent ad ſydera Vates.
Hos inter tua facta audax ingentia dicam:
Dicã ego, queìs trepidã primùm firmaueris Aulam
Conſiliis: vacuas poſtquam Ludoïcus habenas
Depoſuit, nimiúmque, eheu! feſtinus olympo,
Deſtituit viduam Matrem, cunáſque gementes,
Et regna inſanis circùm trepidantia bellis.
Dicam quàm largo lacrymarum flumine magnos
Sparſiſti Fratris cineres: quàm pectore charo
Tu foueas natos: donec maturior ætas
Exemplis edocta tuis, curáque fideli
Ingentis tractanda ferat moderamina Regni.
Mox ego ſucceſſu, & maiori fortior œſtro
Aggrediar, quo Marte truces contundere Belgas
Contigit, & latis Grauelingam aperire ruinis:
Argumentum ingens: tot propugnacula circùm
Fulmineà ſubuerſa manu: ſolidata paluſtri
Caſtra loco: exhauſtos immensà vligine campos,
Et corriuatas ſociatis amnibus vndas.

Sed patere immenſis Vatem proluderè cœptis
His breuibus tabulis: pleno dum pectore ſurgat
Totus Apollo mihi, & dignos te ſuſcitet æſtus.

AD SERENISSIMAM PRINCIPEM ALOYSAM GONZAGAM NIVERNIORVM ET RETELII Ducem, dum ad Potentiſſimum Auguſtiſſimúmq; Polonorum Regem Vladiſlaum IV. coniugem è Gallia ſolenniter ducitur

PROPEMPTICON.

DECANTATVS Hymen Francas impleuerat vrbes,
Sarmatáque exceptos iterauerat Iſtula plauſus.
Iámque ibat coniux Arctoo Aloïſa Marito:
Caſta Venus, Iunóque decens, atq; agmine pulchro
Purpureæ Charites, niueóque inſignis amictu
Cinxerat auratos Nymphæ Concordia currus:
Æthere cùm ſubitò Pax eſt ſpeculata nitenti,
Et nuptæ in roſeos defixit lumina vultus.
Lætior Europen ſupra dein ora reducens,
Æquoráque & ventos, triſtique frementia bello
Regna ſerenauit, dextrà parcente flagellum
Bellona incuſſit: Maiors emollijt iras,
Nec doluit rapidos moderantiùs ïſſe iugales.

Tum ſic orſa loqui. Mactè, ô Regina, beato
Coniugio, Diuûmque bonis: tibi pronuba venit
Gloria; fœlicéſque feret Victoria palmas,
Tardabitque tuos ſpolijs hoſtilibus axes,
Cùm te magnanimi excipient regna ampla Mariti.
Ingredere Auſpicibus Superis: lætiſſima tellus
Obſequio deuota tuo, quà gurgite Ponti,
Et quà Sarmaticà longè circunſonat vndâ,
Te totâ expectat votis ardentibus Arctos.
Aurea Hyperboreis naſcuntur ſæcula terris,
Dum melior Cynoſura venis, & ſidere fauſto
Diſcutis Arctoæ triſtes caliginis vmbras.
Iam Scythiæ refugis numeroſa examina caſtris
Aduentus fugère tuos: de finibus vltrò
Ambiguis Moſchus cedit, cupidéque vetuſta
Pacta nouat: Francique memor gens Thracia fati
Suſpectátque faces, curarúmque vritur æſtu.
Cedet Venda tibi: famæque prioris honores.
Cognatæ pietas Blancæ, & prudentia rerum
Parta tibi, ſummo feret altum nomen Olympo.
Tempus erit, tua cùm ſoboles virtute Parentem,
Et Matrem formâ referens, ingentibus auſis
Bella geret: pulchróque imitamine laudis Auitæ
Eruet enſe nouos ritus: Oenotria reddet
Sacra ſuis, Turcáſque metu compeſcet ouantes.
Illam ego cum Hectoreis inuicto fœdere regnis
Coniungam, ſocias vrbes, populóſque propinquos
Auſpice me, quantis attollet gloria factis!

Tunc vis dira cadet: Christi genus otia ducet.
Hesperiæ hinc iam non tollent fastigia Turres
Altiùs: & Volucris pauitantes deprimet alas,
Quæ dudum gaudet sæuos miscere tumultus.
Omnis Seditio, & belli ciuilis Erinnys
Ingruet Odrysijs, adigétque in barbara ferrum
Viscera, quo versis gens tunditur Itala fatis.
En Lndouix, diuûm sanguis (cui cura Parentis
Syncerum instillat Patriæ pietatis amorem:
Cui Patrui virtus duris exercita bellis
Ingentes addit stimulos) modò, fortior annis
Cùm fuerit, Gallos Eoum educet in orbem,
Regnaque Majorum fato meliore nouabit.
Hinc Danaas vrbes, Solymæque gementia sæuo
Templa iugo eripiet: vastam tum versus ad vrbem
Regna superba manu euertet, populosque volentes
Adiunget, frangétque suis iam viribus hostem,
Et Regnum Euphrati, famámq; æquabit Olympo.
Inde sagittiferas agitans in prælia turmas
Sarmata, pensabit clades, atque incitus armis
Qualiter hyberno torrens præruptus ab arcu,
Hostiles populabit agros, Lunatáque franget
Agmina: Pannonijs addet solatia terris,
Et Geticas vinclis seruilibus eximet vrbes.
Non Ister tardabit aquis, non rupibus Æmus,
Thrëicijs latè figet tentoria campis,
Byzantísque altas circumdabit ignibus arces,
Et Scythicam exscindet socio cum robore gentem.

Interea

Interea atroces animos lenire memento.
Per te Germanus belli dediſcat amorem:
Otia amet, pacémque velit: robúrque ſuperſtes
Augeat, atque animos meliora in bella reſeruet.
Par Annæ ſtudium, ſimiléſque in pectore curæ.
Illa, licet Gallos foueat victricibus armis,
Contundátque hoſtes, & ab omni gente trophæa
Parta ferat, tamen aſſiduâ me voce laceſſit,
Sæpius & noſtris ſupplex aduoluitur aris.
Iámque polo referam greſſus, terráſque reuiſam.
Ferrea conſumpta eſt, meliórque reuoluitur ætas.
Sancta Fides, morúmq; procul Clementia regnant,
Quà victrice manu rerum molitur habenas
Fœmina, iam ſexus melior: fortéſque coërcet
Imperio populos: quà Sueuica murmurat vnda:
Quà primo fluit amne Padus: quà Teuto Viſurgis:
Celtáque lauriferis lætatur Sequana ripis.
Hæc effata, iterum vultus conuertit in Arcton,
Deſignátque viam, atque arcano numine firmat,
Quà Rhenum atq; Iſtrum propiùs confinia iungunt.
Germani ſubitò poſuere ferocia corda,
Conticuère tubæ: fulmenque exuta cruentum,
Lætitiam innocuo teſtatur machina bombo.
I fœlix Princeps, fatóque incumbe vocanti.
Non gentem, aut acies, gelidúmve horreſce Booten.
Conſpectà te bella cadent: diſtrictáque condent
Tela manus. ſubitò enati veſtigia flores
Excipient, interque niues violæque roſæque,

Mixtáque odoratis fruticabunt lilia campis.
An Ladiſlao tibi fas diffidere amanti?
Te moneat virtúſque Viri, longéque petitum
Coniugium, quantas agitet ſub pectore flammas.
Per quas ille preces Francæ ſibi Palladis emit
Oblectantem animum? dum ægrè dimitit amores
Ipſa ſuos: quà iam accelerat connubia pompa!
Quas oſtentat opes? tali non agmine Diuâ
Matre ſatus, Soceri impleuit tecta alta Latini,
Nec tanto ambiait regnum dotale paratu.
Pactolúmque Hermúmque, & picti flumina Gangis
Sarmatiam ditaſſe putes: Tethynque rubentem
Arctoa illuſtres vomuiſſe in littora gemmas.
Quàm varius decor ornat equos! quæ gratia curruſ!
Aurum vileſcit ſpumis: & colla, iubæque,
Frænáque purpureis radiant accenſa pyropis.
Par equiti cultus: criſtato in vertice fundit
Lucem adamas: murex humeris Sidonius ardet,
Et varios ſpargit gemmatus acinacis ignes.
Te gentis num tangit honos? quamquam ora decorus
Terror habet, fortéſque ſedent in vultibus iræ,
Eſt tamen alta quies animo, iucundáque morum
Temperies, & non humani neſcia cultûs.
Non ſceptrum tibi, non generis, nec gloria formæ
Altiùs attollant animos: quæ regula mores
Rexerat antè tuos, maneat. concede marito:
Vtque premunt vites implexis nexibus vlmos,

Sic tu blanditijs animum complexa ſequacem,
Stringe diu, & nutri dulces in pectore flammas.
Sic vxor, ſic mater eris, ſic pignore multo
Gallica Sarmaticis ſociabis lilia regnis.

PHILOTAS EX QVINTO CVRTIO.

IMPERIVM claudi Ægæo generoſa Philippi
Indignata freto ſoboles, inuaſerat orbem,
Qà Nilus, Tigriſque fluunt: quà Caucaſus alto
Occurrens cælo Eoas incedit in oras,
Regnáque captiuis luſtrarat Medica Suſis.
At dum Bactra petit, Borealiáque arua fatigat,
Drangarumque premit poſitis confinia caſtris:
Illic externo Princeps ſecurus ab hoſte
Frangitur in luxus, moreſque libidine turpat
Barbaricâ: Diuûm vetitos affectat honores,
Atque animos Macetûm faſtu veſanus acerbat.
Ergo turba coit, cæcóque inuadere ferro
Inſidioſa parat: iuratæ tempora cædis
Iam propiora inſtant: meruit ſed vindice fato
Viuere Alexander. maleſano pectore miles
Proditor ipſe ſui eſt, ſceleratáque cœpta retexit.
Hìc languere amor, & titubare antiqua Philotæ
Viſa fides, dum nota premit, nec credita deferi

Indicia. impulerit-ne furor, regnique libido;
Ambiguum: virtúſque viri, moréſque ſuperbi;
Et facta, & maior iamdudum fama parentis
Suaſere, & Regem ſuſpecta ſilentia terrent.
Ingrauat hæc atrox Craterus (námque æmula pungit
Gratia) congeminátque metum: nactúſque nocendi
Tempora, molitúrque æſtus, & crimen acerbat,
Regalémque animum vltrices accendit in iras.
Haud mora, correpto Iuueni tormenta parantur:
Sæuitiæ emplaſtrum iudex tamen vrna mouetur.
Hoſti cura datur: non ferrum, aut lamina candens,
Non hiſtrix, reducéſque rotæ, non plumbea ceſſant
Verbera: crate iacet diſtrictum corpus in altà,
Eductique artus appenſo pondere creſcunt,
Atque hominem mora lenta trahit: luxata fatiſcunt
Membra locis, penitúſque imas infuſa medullas
Pix vrit, facinúſque coacto extorquet ab ore.
Quid moror? è mediis educunt agmina caſtris,
Qui modò deliciæ fuerat, modò Regis amores,
Et tumulo extantem ſaxorum grandine tundunt.

EMINENTISSIMO

CARDINALI MAZARINO,

ECCLESIÆ PRINCIPI.

LVgere tandem deſine, Gallia,
Cælum querelis parce laceſſere:
Iam pone lugubres amictus,
Atque animos hilares reſume.
Te fata nuper perculerant malis,
Cùm dira clades cladibus aggerant,
Regémque & Armandum nefando
Sæua nimis rapuêre ferro.
At ecce pondus ſucciduum ſubit,
Lapſúſque rerum IVLIVS occupat,
Molémque firmauit labentem,
Nec grauior premit hunc ruina.
Inſana quid iam plaudis, Iberia?
Fruſtrà reſurgit fracta ſuperbia:
Sperátque fortunam priorem,
Et faciles remeare Dinos.
Inſubrem, Iberum, Pannona, Noricum,
Belgámque caſtris coge patentibus,
Hic tela in autores retundet,
Conſiliſque acies fugabit.

Dum GASTO, miſcet fortia prælia,
Priſcáſque prædas hoſtibus eripit,
Fratrémque reddit per trophæa,
Francigenúmque decus tuetur:
Hic mente totum Richelium exprimit,
Aulámque fido præſidio tegit:
Auertit inſtantes prorellas,
Fundit & inſidias latentes.
O Roma, mundi præcipuum decus,
Vno rependis ciue tot agmina,
Quæ ſæpe te ſeruant, & arces
Excidio eripuêre ſacras.

ILLVSTRISSIMI VIRI CAROLI MATIGNONII TVMVLVS.

STirpe, toro fœlix: virtute, & honoribus ingens
Carolus, extremâ ſorte peremptus obît.
Huic Genitor, magnis Heros Heroïbus ortus;
Qui dominâ rexit Gallica caſtra manu.
Illuſtrem Aurelio tulit vxor ſanguine prolem,
Francorum Reges quæ memorabat Auos.
Has ornauit opes: nã, cũ pater Hæreſin armis
Tunderet, atque arces, gens Aquitana, tuas,
Quæ caſtra, & quãtas acies! quot mœnia vertit!

Quàm vario palmas victor ab hoſte tulit!
Hinc merces ingens: arx plurima credita curæ:
Et collum gemini gloria Torquis obit.
Neuſtriadûm mox cura data eſt, & fortia frena:
Quà latrat extremis vnda Britanna fretis.
Hic & dilectus populis; dilectus & Aulæ,
Inuictus vitio, Religionis amans,
Luſtra egit bis dena valens: & publica tantùm
Obſequia, ac pietas corripuêre diem.
Nam dum ſolennes aditus, pompámque frequentat,
Quà Cadomum præter Longauleus init:
Inter lætitiæ fremitus, plauſúſque ſuorum
Summa pio properat fata labore ſenex.
Continuò verſam videas ad triſtia gentem:
Pullus habet ciues, templaque maſta color.
Quæ mage ſors fœlix? ſed & hûc quoq; ſuſtulit aſtris:
Aut age, dic tutam quæ det in aſtra viam?

ILLVSTRISSIMO VIRO
PETRO SEGVIER
FRANCIÆ CANCELLARIO
SOTERIA.

EST Pater, eſt Opifex rerũ, & mortalia curat:
Humanóque ſinit flecti ſua pectora luctu.
En rata vota pij tulimus: pulſóque pauore

Gallia dilectum sentit spirare Ministrum.
Viuit io, viuit trepidanti redditus Aulæ
Seguerius: Regnique arcem complexus, vt antè,
Pondera molitur rerum: bellique Togæque
Inuictas agitat certo moderamine curas.
Heu! quantus vastam nuper metus excit Vrbem!
Quàm subitis afflata simul terroribus Aula est!
Cùm cita fama tulit morbo jacuisse repenti
Seguerium, & tanto pendere negotia casu.
Icta Themis, postquàm vidit mala nubila somni,
Torpore adstrictos artus, ægróque meantem
Ore animam, atque atrà mersos aspergine sensus,
Palluit, & cælo se reddidit ocyùs alto
Multa gemens; manánsq; oculis, & squallidà cultu
Adstitit ante Patris solium. mœstissimus ordo
Gallorum Indigetum Diuæ latus ambit vtrúmque,
Adiuuat & lacrimis questũ atq; hæc verba precãtis.
Spes hominum, rerúmque salus, quæ tristia Natæ
Damna paras? cæcis-ne tuos ludibria fatis
Proiicis? ac Superùm iam non tua cura Nepotes?
Dum iura, & mores miscet vis impia belli:
Dum Celtis Belga, & sæuis circunsonat armis
Germanisque ferox, & vasto robore Iberus:
Et pacem exosus, bellum mouet omnibus oris:
Dum trahit Europam male-sana licentia ferri;
Me-ne meo, & populos & Regni impuberis Aulam
Seguerio spoliare sedet? quo cardine deinde
Se moueant leges, compostáque legibus arma?

Hic virtutis honos? sic te mea gloria tangit?
Sic Annæ pietas? hæc Iusto præmia reddis?
Hæc feret Erricus, Carolique ingentia dona?
Atque inuictus amor Lodoïci, eoáque bella,
Et tua Idumæis toties Crux reddita templis?
Cur me iterum terras, orbémque habitare iubebas,
Si tibi nec morum, ac sanctæ stat gratia vitæ?
Quæ me autem & Gallos fecerunt crimina sontes?
Aut modò dilectis cur tantùm iraſceris armis?
Quid memorem luctus? quid acerbo funere raptos
Borbonidas, gentísque Patres? extinctáq; mundi
Lumina? quid crebras repetito vulnere mortes?
En jacet afflicti super his spes maxima Regni,
Præda parata neci, gelidísq; nouissima membris
Fata trahit. decoris-ne piget, sortísque beatæ,
Omnipotens, Francæque obstat tibi gloria famæ:
Hìc decus antiqui ritus; hic certa Parentis
Præsidia Ausonij, demißáque Chrismata cœlo.
Tot cunæ Indigetum: tot templa micantia flãmis:
Atque sacra, atque aræ tam multo thure calentes.
Hæc animũ inflectant, properatáq; fata retardent.
Da, Pater, hoc vidui Columen consistere Regni,
Dum ponant furiæ hostiles: da pacis Honorem,
Longé vltra belli placidè decurrere metas.
Sic Themis: at Themidis genitor sic cõtra reponit.
Solue metus, ô Nata: licet. reuocare parabam
Haud immaturum cælo, meritísque micantem
Seguerium, & Francis ingens decus addere Diuis

At fruere. is multos à me tibi cedit in annos.
Do, quod vis. ferat ille tuos ſublimis honores,
Longæuúſque orbam Lodoici effulciat Aulam.
Soſpite fas illo eſt componi fœdere bella:
Surgere pacem Orbi: fas otia ſurgere Gallis.
Erigit ille decus morum, bellique ruinas.
Fœlices Natos! fortunatamque Parentem!
Et fortunatas hoc Legum Vindice gentes!
Tecum vnà Pietas, animis concordibus amba,
Regi apparebit ſolio: cingétque ſedentem
Ardua Majeſtas: populos Reuerentia ſceptro
Summittet, coniunget Amor: Virtutibus Artes
Commiſtas verſo ditabit Copia cornu:
Inſonteſq; aderunt Plauſus. procul horrida Mõſtra
Diffugient: & Luxus edax, auidæque Rapinæ,
Ambitióque, & Faſtus atrox: Contemptus, Egeſtas,
Et recoquens virus tacito ſub corde Simultas.
I, tege, Nata, Virum, & præſentibus eripe fatis.
Vix ea. iam terras Virgo feſtina reuiſit,
Lætior: & notas ſubiit, vetus hoſpita, ſedes.
Pæones hic trepidãt nequicquã aut plurima tetant.
Aſt, vbi vim ignotam præſens Deus addidit herbis,
Prõtinus exurgit membris vigor, actus ab alto,
Diſceditque tenax humor: liberque meatu
Spiritus intus obit: ſomni denſiſſima nubes
Soluitur, ac pleno ſe inſtaurat robore corpus.
Criſpantur ſubitò flammis maioribus aſtra,
Hectoreáſque fouent meliori lumine terras.

MITHRADATES EX TACITO.

VNDE cruentatis maculantur postibus vrbes
Armeniæ? & lõgos alterno murmure plãctus
Ingeminant? quæ fata virũm? cur purpura cæde
Sparsa madet? stricto quid anhelat feruida ferro
Tortorum rabies? magnum spirare videtur
Funus, & horrendâ iam se satiare ruinâ.
Armeniâ postquã exceptus Rhadamistus in Aulâ
Corrupit Patrui famulos, & fraude superbum
Ad solium sibi struxit iter: tum victor ouãsque
Plaudit, & ad patriõs properat remeare penates.
Haud mora, præcipites numeroso raptat Iberos
Agmine, & aërij transcendens culmina Tauri,
Caucasicasque niues, latos descendit in agros
Armeniæ. Qualis tumido cum vortice torrens
Hybernis pastus niuibus, per prona sonanti
Arua ruit fremitu, radicibus eruta totis
Robora præcipitat, segetémque superbus honore
Spumat, & obiectas gaudet prouoluere moles.
Iámque Mithradatem primo certamine campis
Excluſit, tutis & se defendere muris,
Ac tenui cogit vitæ spem ponere vallo.
Contrã insultat atrox, obsessáque mœnia victor
Vsque premit: modò conclusis incendia vibrat
Artifici protrusa globo, mox aggere furtim

At fruere. is multos à me tibi cedit in annos.
Do, quod vis. ferat ille tuos ſublimis honores,
Longauíſque orbam Lodoici effulciat Aulam.
Soſpite fas illo eſt componi fœdere bella:
Surgere pacem Orbi: fas otia ſurgere Gallis.
Erigit ille decus morum, bellique ruinas.
Fœlices Natos! fortunatamque Parentem!
Et fortunatas hoc Legum Vindice gentes!
Tecum vnà Pietas, animis concordibus amba,
Regi apparebit ſolio: cingétque ſedentem
Ardua Majeſtas: populos Reuerentia ſceptro
Summittet, coniunget Amor: Virtutibus Artes
Commiſtas verſo ditabit Copia cornu:
Inſontéſq; aderunt Plauſus. procul horrida Mõſtra
Diffugient: & Luxus ediax, auidæque Rapinæ,
Ambitióque, & Faſtus atrox: Contentus, Egeſtas,
Et recoquens virus tacito ſub corde Simultas.
I, tege, Nata, Virum, & præſentibus eripe fatis.
Vix ea. iam terras Virgo feſtina reuiſit,
Lætior: & notas ſubiit, vetus hoſpita, ſedes.
Pæones hic trepidãt nequicquã aut plurima tetant.
Aſt, vbi vim ignotam præſens Deus addidit herbis,
Protinus exurgit membris vigor, actus ab alto,
Diſceditque tenax humor: liberque meatu
Spiritus intus obit: ſomni denſiſſima nubes
Soluitur, ac pleno ſe inſtaurat robore corpus.
Criſpantur ſubitò flammis maioribus aſtra,
Hectoreáſque fouent meliori lumine terras.

MITHRADATES EX TACITO.

VNDE cruentatis maculantur postibus vrbes,
Armeniæ? & lõgos alterno murmure plãctus
Ingeminant? quæ fata virũm? cur purpura cæde
Sparsa madet? stricto quid anhelat feruida ferro
Tortorum rabies? magnum spirare videtur
Funus, & horrendà iam se satiare ruinà.
Armeniâ postquã exceptus Rhadamistus in Aulà
Corrupit Patrui famulos, & fraude superbum
Ad solium sibi strauit iter: tum victor ouansque
Plaudit, & ad patriõs properat remeare penates.
Haud mora, præcipites numeroso raptat Iberos
Agmine, & aërij transcendens culmina Tauri,
Caucasĕasque niues, latos descendit in agros
Armeniæ. Qualis tumido cum vortice torrens
Hybernis pastus niuibus, per prona sonanti
Arua ruit fremitu, radicibus cruta totis
Robora præcipitat, segetúmque superbus honore
Spumat, & obiectus gaudet prouoluere moles.
Iamque Mithradatem primo certamine cãmpis
Excluſit, tutis & se defendere muris,
Ac tenui cogit vitæ spem ponere vallo.
Contrã insultat atrox, obsessáque mœnia victor
Vsque premit: modò concluſis incendia vibrat
Artifici protrusa globo, mox aggere furtim

Suffoſſo, pugnat tutos irrumpere muros.
Aſt omnis labor effuſus, cùm Pollio prauam
Fraudis opem ſpondet; prò crimen! Pollio Regem
Vendit, & accepto Latium decus inficit auro.
Ergo Mithradates Romani militis aſtu
Illuſus, ſe ſe fallaci dedidit hoſti,
Fœdus init, redimitque dato ſua funera regno.
Sed cum facturus patrum de more Sacerdos
Aſtitit, amborúmque aſtricto pollice Regum,
Sanguinéque elicito ſperat coniungere mentes,
Turba Mithradatem violato fœdere ſternit,
Et collum vinclis onerat, conuicia verbis
Addit, & infando ſeruat ludibria Regi.
Vix gemuiſſe licet, vix queſtu dira leuare
Fata datur, charis vix oſcula figere natis:
Continuò vinclis trahitur prolèſque parénſque,
Et turpi abripitur fato: nam culcitra magno
Pondere præcludens animam: totóſque meatus
Spirandi, miſeræ præſtinxit lampada vitæ.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER TERTIVS.

REGI.

LVTETIAM

REVERTENTI

GRATVLATIO.

ECCE *redit Ludouix: effuſi occurrite, Ciues!*
Túque, caput Regni, & noſtrarũ gloria rerũ,
Lutetia, aërias iam tolle auguſtiùs arces:
Lætáque præſentes gremio complectere Diuos.
Vox omnis bona verba ſonet: venit Anna, Parẽſq;
Regiſq; & Populi. procul hinc Dolor, Ira, Simultas,
Atque Metus; tetrique fremens exercitus orci
Ceſſit io: & ſtygiis æternùm redditus vmbris
Hoc cælũ, & Francas profugo leuat agmine terras.
Illuxit iam certa fides, ſecuráque regnant
Gaudia: inabruptis ſtringuntur pectora nodis.
Rerum auidos hoſtes inſana erexit Erinnys,
Dum nuper canit ore metus, maturáque Gallis
Exitia; obiectátque moras, & fœdera turbat,

Oſtenditque nouis nutantia numina rebus.
At Superùm manifeſtus amor. vis nulla tenorem
Bellorum inflectit. maioribus ire per hoſtes
Conceſſum auſpiciis. tibi iam, tibi Gallia vires
Acceſsere nouæ: venis ſtat ſanguis, & omni
Mole tumens, fortes aptas ad bella lacertos.
Fata tibi indulgent, Ludouix: tibi ſoluit Iberus
Oſtia: dat galeis Iſter victricibus vndas:
Protegis Auſoniam: pontus tibi ſeruit vtérque:
Belga iacet: iunctis te ambit Germania caſtris,
Victorémque omni ſtipat Graiuus ab Arcto.
Quinetiam ipſe, ſui iam proditor, adiuuat hoſtis:
Dum ſua conuerſis petit intima viſcera telis,
Ac ſæuo lacerat ſubiectas milite gentes.
Eſt ſuper his tranquilla domus, tutiq; Penates.
Te populi tutatur amor: Rectúmque Fidéſque
Apparent ſolio. maleſana licentia ferri
Iura timet: regit arma Themis, legéſque ſeuerus
Ambit bonos. premit autorem fraus impia, & arua
Pax habitat, ſpoliiſque ornant hoſtilibus vrbes
Templa tholóſq; Deùm: & dudum lætiſſima cernit
Gallia victrices inter te adoleſcere lauros.
Macte bonis, Princeps. nulli plus fata dederunt.
Indigetem primis Lodoïcum agitauit in annis
Seditione furens Aula, & ciuilis Enyo:
Párque tuum afflauit propiùs fortuna Parentem.
Te læti ſine nube dies, & proſpera rerum
Conditio illuſtrant: Ligeriſq; & Sequana certant

Obſequiis: tibi totus Arar, tibi Vaſco Garumna:
Quæq; tuas pulſat longè Thetis vltima terras,
Quæque Eoa ſonat, cupiant impendere fluctus.
Te tremuere hoſtes: latè tuus occupat orbem
Ensis, & occidui titubantia pondera mundi,
Fortunæque vices cauto moderamine firmas.
Ac, licet impubes, præſtas æqualia rebus
Conſilia, afflictas belli ſub turbine gentes
Ingeniis, Pacémque vrges, & conſulis armis.
Perge, age. ſic Carolus Francũ decus extulit aſtris,
Indomitumque Iſtro æquauit: Sueuumq; rebellem,
Cenaſque Auſoniósque pari frænauit habenà.
Sic meruit Ludouix ſanctæ præconia fămæ,
Quem Matris cura effinxit: Pietáſque medullis
Hauſta tulit, populique bonum ſenſère clientes.

FRATERNA PIETAS.

CARMEN.

Ex Bertio Geograp. Lib. 3.

FRATERNÆ *inſuetos canimus Pietatis honores,*
Et magnum virtutis opus: cùm victima Nereo.
Sponte datus frater fratris ſibi fata poposcit.
Non hic, Phœbe, choros, nec ſueta laceſſimꝰ antra,
Ite caballini iam frigida numina fontis

Pierides: maius poscunt mea carmina numen.
Huc ades, ô scelerum vindex, rectorque tremendi
Fulminis: ætherei ô adsis Clementia Patris,
Sueta pios tegere, & pœnis agitare nocentes.
Hispaleas longè post terga reliquerat arces
Puppis, & Eoas cursum properabat ad oras:
Carbasa cum mediò volitare pitentia ponto
Natura Atlantis prospexit absisque recessu.
Quippe hic Regales posuit Dea maxima sedes,
Ingenio gaudens loci, assiduóque suorum
Inuitu se pascit opum: tacitaque sub aula
Sola sedens, rerum causas examine librat.
Hæc secum dequesta fremit. Nunquam ne rapaces
Fas nobis arcere manus? nunquam ne quiescet
Gens satis bellare meu? quæ dira profanas
Flamma vrit mentes, lucrique intensa libido?
Non potui infœlix, vesanam diuite plebem
Continuisse sinu patruæ: licet ardua cingant
Hinc iuga Pyrenes, illinc circumfina longo
Circuitu insames includant æquora terras.
Contempsit natale solum, patriæque relinquens
Littora, præscriptas ausa est transcendere metas.
En ratibus dubij per mille pericula ponti
Ignotas venatur opes (mala semina Marti,
Quæque ferunt, alimenta malis) & sole sub omni
Erras prædatrix, & auaras audet vbique
Porrexisse manus: motisque per omnia velis
Ignotas remis penetrare audacibus vndas.

Qua

Quæ gentes? aut quæ prædonibus inuia tellus?
Mox Iaponas luſtrare iuuat: mox vltima Sinæ
Littora, odoratáſque redit populata Molucas.
Mox ſubit horrentes Canadæi fluminis oras,
Braſſiliæ modò vaſtat agros: modò diripit vrbes,
Auſtraléſque plagas. ſpoliata Peruuia luget
Exhauſtas auri iam defeciſſe fodinas.
Vincula captiuo mœrens fert Paraña fluctu,
Conqueritúrque ſuo iam non radiare metallo.
Quid vaſtis terras ſecernere profuit vndis?
Quid regna abiunxiſſe mari? quid inania proſunt
Flamina? quid tumidis Neptunũ armaſſe procellis
Iuuit? eunt tutis terrarum crimina velis.
Culcauere maris furias, medióſque per æſtus
Securam tenuere viam: quin Nerea dudum
Inſontem, fecere reum: patet æquor in vſus
Infandos, diráſque tulit per terga rapinas:
Ex quo iura freti prædo temerauit Iaſon,
Et terræ atque vndæ poſitum diſcrimen ademit,
Cùm retulit lætam Phrixæo vellere puppem,
Elusitque vagos dubiæ Symplegados ictus.
Iam peiora agitat, ſcrutatúſque inuia ponit
Bæticus (heu facies optato concolor auro
Teſtatur fontem!) extremóque à cardine mundi
Quærit odoratas alio ſub cardine merces,
Ardentéſque gulæ tædas, luxúſque profani.
At, credo, arcanos inconceſſóſque receſſus,
Et mundi medium vaga gens penetrabit ad axem:

Et ferro populata sinus, mea viscera pandet,
Deprendetque aliis procul abdita sydera terris,
Nudabitque, nefas! miserae penetralia matris,
Et patiar? Superi quondam potuere minores
Exigere optatas inimico à sanguine poenas,
Et ferro vlcisci facinus. Mari lucibus orbis
Expleuisse potest odia, atque à stirpe recisis
Gentibus infandos posse essatiare furores.
Et potuit Tytan alienis perdere telis
Pubem Ithacam, medioque ream demergere ponto.
Ast ego Magna parens Diuûm, rerûmq; creatrix,
Quae ceruice Deos, & vasti pondera mundi
Sustineo, stellisque suos labentibus orbes
Confitiuo, flebile sque moras: cuique omnia viuunt,
Ac pereunt: rigidum cui subdunt fata tenorem,
Vincar ab infami populo? me audacia caepta,
Me me agitat pudor, & violati numinis ira
Turbatam quatit. anne diu patiemur inulta
Insultare magis, nostroque illudere honori
Amplius, & titulis metas ridere superbis?
Non ita, stat meritò fontes inuolucre fluctu,
Aut saxo allisisse viros. turba impia, vires
Experiere meas: variis sequar vsque flagellis,
Hostibus aut prodam naues, aut vindice fluctu
Hauriet immitis transcriptos ira colonos.

Has vbi detonuit successo pectore voces,
Immensam rerum contento robore mouit
Molem humeris: nutat dubia compagine mundus,

Pulſaque concuſſo trepidarunt ſydera cœlo.
Cuncta elementa deæ iuſto ingemuere dolori:
Neptunúſque iræ aſſenſit, raptóque tridenti
Torſit ab vndoſo minitantia murmura regno.
It ratis intereà, pandénſque tumentia vento
Vela, vagos facili metitur gurgite fluctus.
Iam Maderæ abſcondit præcelſa cacumina mõtis,
Et fortunatas, ſecuro tramite, terras.
Decreſcunt refugo Atlantis faſtigia viſu:
Aërios viridis longum procul æquor opacat
Ageſimbæ apices, fugiúntque in nubila ſyluæ.
Iámque adeò alterius verſis ſuſpexerat vmbris
Cardinis elatos apices: luctatáque remis
Immanem Libyæ cuneum, feruentia iuxtà
Æthiopum pauidis ſulcabat cærula velis.
Námque hìc difficiles aditus, faucéſq; malignas
Natura armauit ſcopulis: freta conſita crebris
Rupibus horreſcunt: dedignatúrque teneri
Caſtigata maris rabies, obiectáque pulſat
Claúſtra ferox, tentátq; graues ſibi ſoluere frænos.
Abrupta Euboïci ſcopulis illiſa Capharei
Euripi miniùs vnda furit: leuiórque tumultus
Phrixæum alternas pelagus: minor æquoris vrget
Seditio Hẽrculeas extremo ſole columnas.
Inde procelloſas tranſmittit nauita ſyrtes
Cautiùs, & timidæ ſubducit vela carinæ,
Remigióque rates agitat: dubiúſque ſalutis
Turbida metitur moderato cærula curſu.

Iam nutans pinus maleſtdum intrauerat æquor,
Turba pauet: largo manant ſudore miniſtri,
Artémque expediunt, celsà dum puppe Magiſter
Aſſidet, & noti flectit moderamina claui.
Sollicito dubias explorat lumine rupes,
Quas fugiat. rectò modò currit prora tenore,
Mox obliquat iter: cautes modò radit iniquas,
Et mox incerto venientes tramite fallit.
Et iam ſaxa ratus fugiſſe latentia Rector
Imperat attolli malum, tortóſque rudentes
Laxari iuxta antennas: remóſque remitti
Ocyus, & plenis expandi carbaſa ventis.
Expauit diros monitus exterrita plebes,
Totáque contraxit ſubito præcordia motu,
Venturi præſaga mali: (nam inſurgere fluctus
Et ventos nubeſque videt) tollitque ſupinas
Ad cælum tremefacta manus, nutúq; Magiſtrum
Supplice reſpiciens, lacrymas effudit inanes,
Et vocum attollit confuſos ore tumultus.
Parcite, Cælicolæ, periturę parcite turbæ,
Túque, Gubernator, celerem moderantibus alnum
Dirige: præcipiti ſubducere lintea vento
Oramus, iubeas: hoc nos demergere ponto
Speraſtis aut profugam ſcopulis impingere vitam?
Tum verò dolor exarſit, faſtúmque ferocem
Iuſti irritarunt queſtus. diſrumpitur æſtu
Irarum: ſietit arrectus: vulgúſque tacere
Significátque iubétque manu, vanóſque timores

Increpat, & tumidis addit conuicia verbis.
Me-ne ſalis dubios æſtus, fallàxque profundum
Ignorare putas? ſaxorum me-ne tremendos
Occurſus? an, conſilij plebs indiga, noſtræ
Arti diffidis? variis quam ſæpe procellis
Exploraui hyems: cœli cui ſydera parent,
Nimborúmque notæ, & vaſti diſcrimina ponti.
Dux animus nobis: noſtros prudentia curſus,
Non fortuna regit: Boreæque Notique furores
Eludo, atque omnes hauſit mens prouida caſus.
Quod ſi te ſubeant commiſſæ tædia vitæ,
Scande gubernaclum & noſtro ſuccede labori.
Hic affectato iactat dum talia faſtu,
Ecce procella rapax fluctum contorſit in ora,
Incautúmque ferit: lacerique aplúſtria malò
Fracta rapit, ſubitáque tegit caligine cœlum.
Continuò fragor inſequitur, repetitáque ruptis
Nubibus horrificant accenſos fulgura flactus,
Et nimbis permixta cadunt. tremit axis vtérque
Impulſúque labat. credas è ſede reuelli
Fulcra poli, & mundo veteres inſtare tenebras.
Grando, ignis, fulmẽq; ruunt: mare, ſydera, cælũ,
Et tota in puppim armatur Natura nocentem.
Diriguere animi, torpent viſúſque manúſque:
Oblitúſque ſui, malo demittere vela
Nauita non meminit, flexà non arbore ventis
Eripuiſſe ſui arbitrium: nec inire rudentes,
Nec munire latus. ſtat munere quiſque relicto

Attonitus (iacet ars nuper iactata) ſibique
Aut trifidas inſtare faces, aut murice acuto
Præcipitem expectat iamiámque incurrere proram.
Fallacem extemplo ruperunt alta quietem
Æquora, turbatóque fremunt certantia cœlo:
Pleiadáſque, Hyadáſque, & fœtū Oriona nimbis,
Oleniiſque bibunt vaſtos de cornibus amnes.
Horrorem ingeminant Euri, aduersiſque ruentes
Frontibus, in varias lacerant caua nubila partes,
Inque vicē exagitant per longa volumina pontum
Victores, dubiúmque alterno turbine raptant,
Et modò concordes ſuſpenſum ad ſydera tollunt.
Spumantes inter ſcopulos retrahitque rotátque
Seditio vndantes intorto vortice fluctus,
Latrantéſque impellit agens: exæſtuat vnda.
Sæuit hyems magis atque magis: flatúque ſonoro
Nauē agitat, varióq; hinc pulſu concutit atq; hinc
Nutantem: proram intorquet, puppimque reducit,
Spumeáque illiſo geminum latus increpat æſtu,
Et furit, & rabidâ aſſiliens circūmtonat irâ.
Præcipitem mox turbo rapit. ſonuere rigentis
Incurſu ſcopuli roſtra obuia: rupibus altis
Hæſit adacta ratis, ventóque trahente pependit.
Altè ſuccutitur plebes, & multa ſub imos
Præcipitat reuoluta lacus, atque aëre pendens
Subiectas lapſu grauiori diuidit vndas.
Non tot per ſyluas Autumni frigore primo
Arbore labuntur frondes: nec ſtipite moto

Curuatâ paſtor tot fundit ab ilice glandes.
Mox alij ſuper atque alij, alternante ruinâ,
Seſe vrgent: & dum vacui per cærula ponti
Surgere ad ætherias erepti luminis auras,
Qui primi cecidere, putant, & vincere fluctus,
Cœlóque oſtentare caput, ruit obuia moles
Deciduorum hominum, ſociósque exire parantes
Præuenit occurſu, ſecúmque inuoluit in vndis.
Ille manu hærebat, medius cœlique ſaliſque,
Arduus, & pronâ exanimis pendebat ab alno.
Hic labens charum complectebatur amicum,
Arctius at lapſus ſtringit, nexúque tenaci
Veſtibus arreptis hæret, comitémque retentat
Funeris. ambo ruunt: vno duo corpora caſu
Traxerunt ſimilem, fato ludente, ruinam.
Sic vlmus longæua premit connubia, vitî
Latè miſta comas, caſúque inuita tumentes
Vuas, dilectúmque nemus terit, arua cruentus
Cum matura rapit Boreas, & bina colono
Damna ferens, rapto collem deformat honore.
Haud ſecus impliciti labuntur, & alterinhærens
Raptantis lateri, procumbentémque ſecutus
In vultus vultum, pectúſque in pectora calcat.
Tot triſtes caſus, & triſtia funera luctu
Mens meminiſſe horret! miſeros mors vna fatigat
Mille modis! multi rectâ ſubiere profundum,
Inque aliam ex aliâ iuſſi tranſire carinam,
Continuò tranant pelagus, Stygiáſque paludes.

Nonnulli valido ſummos luctamine fluctus
Incurſant, caſúſque diu remorantur acerbos,
Et vaſto ſpargunt fluitantia funera ponto.
Continuò venti poſuere, & ſtrata quierunt
Æquora, diſcuſſaque nitet caligine cælum.
Detumuere vndæ, merſæque exiſtere rupes
Incipiunt: cladis latè tum apparet imago.
Námque licet feſſis turbæ pars magna lacertis
Naufraga voluatur aliquido demerſa ſepulchro,
Pars tamen extat aquis, ſociiſque ſibique ſuperſtes
Lentis luctatur fatis. hic horrida diri
Conſpecta eſt lethi facies: ceu bellua ponti
Vindictæ in partem veniat. nam ſæua natantes
Inſequitur morſu, laxóque minatur hiatu.
Terrrita funeſtos redeunti poplite rictus
Turba fugit, iactátque vadis languentia membra:
Et fatis obſeſſa, manu certamina miſcet:
Atque auidis tentat ferro concurrere Cancris:
Chelarum medios ſed forcipe prenſa per artus,
Ora per & nares eliſo viſcera ventre
Cum ſanie eiectat: multóque foramine corpus
Sanguineas recipit perfoſſis artubus vndas.
Ad rupes alij tendunt, & remige dextrâ
Emenſi fluctus, ſcopulis humentibus hærent,
Et certa expectant redituro funera ponto.
Altiùs hinc cladis faciem, mortéſque ſuorum
Intuiti incuſant ſeſe, peſtémque frementes
Lucri execrantur, patriæ tum dulcis imago

Ante oculos errat: tædet liquisse parentum
Amplexus. mergunt lacrymarum flumine vultus,
Et tristi tales effundunt voce querelas.
O Deus! ô scelerum vindex æquissime, iustis
Suppliciis sontes agitas: rea turba merentes
Poscimur in pœnas: cur patria spreuimus arua?
Cur non contenti stetimus natalibus oris?
Ah miseros in cæca rapit ludibria, lucri
Dirus amor! cur assiduâ maria omnia classe
Scrutamur? sedes aust penetrare negatas?
Quò ferimur? cæcás-ne iuuat volitare per vndas,
Addicti hospitio pelagi? laribúsque relictis
Incolere æternas hyemes? & fœdere verso
Posthabuisse humana seris consortia phocis?
Quid pacem populis, ignotóque otia mundo
Eripimus? dum alio positas sub cardine gentes,
Atque alium nobis ignotum quærimus orbem,
Forsan sub pedibus patria est: nostrámq; prementes
Hesperiam aduersis, sulcamus cærula, plantis.
Fata obstant, mundique vetant cognoscere metas
Mortales oculos: plenas en exige pœnas
Tu quisquis superùm commercia nostra perosus.
Fortè vehebatur puppis maioris in aluo,
Cimba minor, laceris quam sors non inuida membris
Securam pelagi, fidâ statione locarat.
Hanc multæ rapuere manus, & viribus æquis
Demisere mari: magno tum insiliere tumultu
Præcipites: tremulam, remis agitantibus, alnum

Deducunt, ſtrictóque aditus mucrone tuentur.
Mira fides! valido fugientem robore nauem
Attrectant nantes, palmiſque tenacibus oras
Vndique prenſantes, multo luctamine circum
Seſe agitant, dubiæque incerto pondere puppis
Inclinant latera, & tentant intrudere corpus.
Aſt aliy contrà occurrunt, & pectore pectus
Propulſant: & dum vetito de robore fruſtrà
Pugnauere diu herentes auellere palmas,
Irati ſolido frangunt cauа tempora remo,
Subque altos voluunt redeuntia corpora fluctus.
Quinetiam elato mediоs ſecat enſe lacertos
Dira cohors: rabiem non ora precantia frangunt.
Pendula linquentes hoſtili brachia proræ
A palmis cecidere viri, manuimque reſecto
Remigio orbati, ſummo ſuper æquore trunci
Hand poſſunt extare diu; ſed merſa vorandæ
Pondera, diduſto diſcedunt cærula ponto,
Et mox ſternuntur reuocatis fluctibus vndæ.
Nec dum ſulcarent tantùm maris, incita quantùm
Prora quater decies motis tranſcurrere tonſis
Eualeat: populo cum iam peritura recepto
Cymba labat, decimæ aſſultum nec ſuſtinet vndæ.
Defigit pauor attonitos: pendere faſentur
Paucorum dubiam multorum à morte ſalutem.
Quid faciant? qua vi fugiant inſtantia fata?
Ergo ruunt diris quæ corpora deſtinat vndis
Arbiter, & patulo Cancris ſorbentur hiatu.

Hìc gemini fratres fœcundæ gloria matris
Fortè aderant: eadem variis quos ſydera fatis
Aſpiciunt, verſátque graui necis alea luctâ.
Quippe libido Ducis vouet hunc, pelagóq; ſuperbis
Imperiis vrget demitti. iámque Satelles
Corripit, & medias librat miſſurus in vndas.
Horruit ille nefas, & præceps ſede relictâ
Exiluit: totos ſaltu ſimul increpat vno
Penè foros, charique amplexus pectora fratris
Aſtringítque orátque moras, oculóque precanti
Reſpicit alternos nautas, iuſtóque dolori
Vt laxata via eſt, poſſeſſus numine multo
Fundit ab ore preces, & lethi poſcit honorem.
O ſocij, penitùs ſi nondum è pectore veſtro
Exceſſit pietatis amor, ne temnite ſanctas
Germani pro fratre preces: non deprecor æquum
Arbitrium, diros in me conuertite caſus:
Viuat, io, frater, patriæ ſpes vna ſenectæ,
Et noſtræ ſpes vna domûs: multùm vtilis ille eſt,
Et variâ virtus inſignem reddidit arte.
Me decoris nudum, atque omnis virtutis egentem
Proiicite in fluctus: ſæuo ferar hoſtia ponto.
Talia cernenti ſubitus coquit alta Magiſtro
Corda dolor, frangítque animos: impulſa repentè
Detumuit rabies, & fracta relanguit ira.
Qualiter immani leo cùm pecus vrget hiatu
In præceps, auidúſque furor iam ſanguine largo
Incaluit: fortè erectâ ſi cuſpide paſtor

Conſtitit aduerſus, ſubitò perit irritus ardor,
Cum fremitu cecidere tubæ, demiſſáque verrit
Cauda ſolũ, & turpes aufert fuga ſanguine rictus.
Tum verò variis aſſenſibus anxia turba
Diſtrahitur: laudant animos, blandiſq; precantem
Caſtigant verbis, totis nunc vultibus hærent
Attoniti, dubijſque trahunt ſuſpiria votis.
Quod tibi quæremus lethi, miſerande, propinqui
Effugium? nimio properas ad funera voto
Ah puer infœlix! præcox heu! crudáque virtus
Suadet, & hortatrix animoſi gloria lethi.
Nec verò ſtimulis animo leuioribus alter
Angitur, obtutu perſtat defixus in vno,
Iam vocis, iam mentis inops: fratrémq; precantem
Increpat, atque ardens ſibi debita funera poſſit.
Tunc bellum mors acre ciet, funeſtáque mentes
Spes agitat, ſanctáſq; flagrans dolor vrget in iras.
Et rixas odiúmque putes: certamine pulchro
Contendunt, ſua iura probant, me-me alea fati,
Me ducit pietatis honor. pia iurgia nautas
Impulerant, ſed fata premunt: datur hoſtia ponto
Iunior, alteriúſque vices tulit alter iniquas.
Intercà ſummo cœli deſcendit ab axe
Spectatrix pugnæ Pietas, rapidóque volatu
Præcipitat celeres elementa per omnia curſus,
Et recto lapſu fluctus deſcendit ad imos,
Doridáque, & natas verbis compellat amicis.
Chara cohors, trepidæ nunc nunc ſuccurre ſorori,

Heu decus ambiguo noſtrum diſcrimine pendet!
Solue metum, & patrio numen noſtrum aſſere cœlo.
Ne mihi, ne veſtri expiret ſub gurgite ponti
Deuotum hoc pectus: mihi veſtra potentia proſit,
Naufraga nec virtus rabidis ſit pabula monſtris.
Dixerat, vndarum curſu iam ſumma tenebant
Præcipites Nymphæ: atq; alto caput æquore tollũt,
Intenduntq; hinc inde oculos: iuuenem ecce ſupremis
Fluctibus extantẽ cernunt procul. huc chorus omnis
Direxit celeres curſus: à pectore fluctus
Scinditur, atque humeros, nodo redeunte, flagellat.
Nec minus exciti curſu Tritones anhelo
Accelerant: feſtã iuuenem cinxere coronã,
Mirantúrque agiles motus: ſocióque natatu
Stipauere hilares. nanti hic præludere geſtit,
Pectoréque aduerſo venientes frangere fluctus.
Suppoſito interdum leuat ille cadentia dorſo.
Membra ferens, donec conſumptus in ora recurrat
Spiritus, atque nouas reuocet ſub pectora vires.
Laſciuis miſtæ monſtris impunè Sorores
Accedunt ducúntque manus, & poplite tenſo
Hortantur longos toto dare robore tractus.
Ille meat, ſequiturque Deas, & pectore fluctus
Arrecto domat, ac validis freta verſa lacertis
Diuidit. extremis alludunt æquora plantis,
Et caua poſt humeros tremulũ fodit orbita pontum.
Qualis cùm ſummo ſublimis in æquore Triton
Eminet, & caudæ ſulcat vada ſalſa flagello,

Aut qualis charæ cùm lætus ad oſcula matris
Conſpicuus famulo properat Delphine Palæmon.
Iam propiùs facies, propiúſque accedere viſa
Nota venit, pelagi iam tractum emenſa patentem
Ponè ſubit, palmiſque ratem propioribus vrget.
Vectorum ſtupuere cohors, curſúque repreſſo
Porrexere manus: frater de fluctibus imis
Tollitur, & tandem fraternis redditur vlnis.

NON FICTA FABVLA,

quâ ea, quæ Pariſijs geſta ſunt ſub menſis Auguſti finem anni 1647. adumbrantur.

IVPITER audierat turbari murmure terras,
Et vetera humanum bella mouere genus.
Ergo nouis, inquit, ſemper bacchabitur auſis?
Excuſſóque flagrat ſoluere fræna jugo?
Nec Diuûm vllus amor, nec fas, nec iura coërcent?
Sed genus indomitum funera ſola regunt?
Vix ea, iámque graues molitur fulminis ictus,
Et totum în pœnas cogit, & arma Iouem.
Protinus Interpres, cui ſunt mortalia curæ:
Quique Deùm alternas ítque reditque domos,
Accidit ante Patris ſolium: lacrymiſque tumentem
Lenit, & exiguas impetrat ore moras.
Arma pater poſuit: ſumpſit talaria natus:
Summa tenet genitor, natus at ima petit.

Quáque volat, ventos vultu depellit, & imbres:
Ducitur & niueo tramite pacis pacis honos.
Aggreditur cœtus hominum, turbáſque frementes;
Diuináque animos temperat arte truces.
Iámq; hebet, & fractus paulatim concidit æſtus;
Iam rigida emollit corda quietis amor.
At fremit, inſultánſque auidos expandit hiatus
Eumenis, & multo ſibilat angue ferox.
Numinis inceſſum ſignauit lumine toruo,
Et contrà excuſſit pectora fœta malis.
Tum ſeſe inſinuat rapidi in præcordia vulgi:
Feruidáque immenſis concitat ora minis.
Nil mihi conceſſum eſt? fas nullà in ſede morari?
Vndique me ſegnem ſors miſeranda premat!
Iupiter aſtra negat: terris etiam improbus arcet!
Regnare edomito ſolus in orbe parat!
Quinetiam eiectæ iuuat inſultare Megæræ,
Tiſiphonæ ſtygias eripuiſſe faces.
Quò Diuûm conceſſus honos, ſi gratia viles
Deſtituit? longis deprimimúrque malis?
Stat rerum turbare fidem: ſtat numine pulſo
Aſſerere armatâ regna vetuſta manu.
Dixit, & immiſſo lymphat fera corda furore,
Impiáque innumeras vrget ad arma manus.
Continuò inſanis reſonat clamoribus æther:
Saxorum excuſſâ grandine terra gemit.
Mille vnũ vndatim inuadũt: mille agmina frendent
Dira immortalem ſternere cæde Deum.

Mira fides! ludit veſanos aëre ſeptus:
Quæritur: atque inter millia multus adeſt.
Turba furit, circúmque redit, tenebráſque fatigat:
Nil labor, aut fremitus, nil furor ipſe iuuat.
Ille quidem patrio poſſit ſe reddere cœlo:
Maluit ille tamen poſcere ad arma Deos:
Iámque Gradiuus adeſt, & tela Typhoëa portat:
Immensóque reos corda pauore quatit.
Eumenis ipſa tremit, glomeratáque turba recedit,
Magnorúmque timet robora magna Deûm.
Exilit è nebulà, rutiláque in luce refulſit:
Pérque ignes medios, armáque apertus abit.
Vix ſtetit ante Iouem, coëunt iam nubila cœlo:
Luctificus trifido iam tonat igne polus.
Quantùm animis ardent Superi! quà Iupiter ira!
Quàm rapidà inuadit tela vibranda manu!
Ardentem extimulat Iuno, præque omnibus vrget!
Oppoſuit nullas plurima turba preces.
Vnus Atlantiades Genitorem pronus adorat:
Et redit ad lacrymas, ac pia verba refert.
Parce, hominum Diuûmq; ſalus: miſerere tuorum!
Ignea ſuſpensâ comprime tela manu.
Mox careant terræ, careant cultoribus aræ,
Si merito abſumat funere pœna reos.
An tantas tibi vile genus, Pater optime, flammas
Excitat? aut magnum eſt funera tanta decus?
Te moueant latis erecta altaria terris:
Tot moueant templis addita dona tuis.

Ira

Ira rotat miſeros: nec agit mens libera partes:
  Da ſpatium accenſis, iam ſacra thura ferent.
Flectitur ille quidem, nondum tamē arma remittit:
  Nec dum compoſitos pax habet alta Deos:
Cùm iam deſertis Medioxima Numina terris
  Cæleſtes pulſant conglomerata fores.
Et procùl, ô Superi, rerúmque ſuprema Poteſtas,
  Ne vos præcipites cogat ad arma dolor.
Heu! malè gẽs hominũ inſurgit, malè veſtra laceſſit
  Numina, perpetuis gens agitata malis!
At ſi tela volant, vbinam clementia, quæ vos
  Irarum expertes, Cælicoláſque probet?
Ille quidem rapiat mortalia pectora feruor:
  Et fluctu inſano turbidus error agat.
Quippe ortus homines maculãt, moribũdáq; mẽbra:
  Terrenóque ſatu noxia peſtis habet.
Ac rerum, proh triſte malum! ſors voluit in imo:
  Ponderáque alta grauant, vrit & vſque dolor.
Cælum illos diris hinc ſæpius aſperat aſtris:
  Inde premit variis terra fretúmque malis.
Aret ager, vineta ruunt, natat æquore tellus:
  Peſte greges pereunt, peſte tenella domus.
At vos, qui ſanctum exigitis fœliciter æuum:
  Nectare quos dio paſcit amica Charis:
Quos Muſæ ſuper aſtra hilarãt, & pulcher Apollo,
  Dum lætos agitat feſta chorea pedes:
Quos delubra beant, aureis rutilantia donis,
  Atque impoſta ſacris victima multa focis:

Vos faciles decet, ac veniæ deces esse paratos:
Hinc quippe, hinc vobis quæritur omnis honos.
Parcere cognatæ fas est iam parcere genti:
Fas gerere in miserum corda benigna genus.
Talibus orabant, mixtisque orantibus, urget
Mercurius Patrem, iustaque vota iuuat.
Tanta Iouem exarmat pietas; placatáque ponit
Iuno animis, & veniã Numina cuncta probans.
Protinus arrisit cœlum: pluit aureus imber:
Lætáque pax homines alligat, atque Deos.

LVOVICVS A-DEO-DATVS
Major factus.

OVÆ *Procerum & populi longo pia pectora voto*
Toleerat, & grauibus leuat Annæ pectora curis,
Ecce dies tandem illuxit: sperataque soluit
Gaudia. Rectorem orditur, curasque viriles
Arbiter ipse sui Ludouix: & auita magistrã
Molitur iam sceptra manu. noua sæcula surgunt,
Ac meliora nitent dilectis sydera terris.
Nil rerum ancipites lapsus, restuensque potestas
Suspectæ-ve hyemes: nil iam ciuilia bella,
Aut ofor iam pacis Iber te, Gallia, terrent.
Stat rerum desixus apex, totoque potitus

Rex apice, vnanimi ſub fœdere comprimet æſtus,
Ciuiles pellens nebulas: fortiſque Senatu,
Conſilióque potens hoſtilia proteret arma.
Spem duri altricem faſtûs, & inania vota
Protinus Hiſpano excutiet, ferrúmque reuellet,
Nec iam bella ſinet cognatum haurire cruorem.
Cernis vt Aſtrææ in ſolio ſpectabilis ardet
Syderis in morem! vt Superis ſtipantibus implet
Atria Purpurei Cœtûs, & iura deorum
Vindicat! vt ferri rabies! vt truditur omnis
Impia vis ſcelerum! Sedis latus ambit vtrúmque
Iuſtitia & Pietas: quarum altera proſpicit aris:
Altera legitimâ librat mortalia lance.
Auxit Honos frontis ſpeciem: formæque nitenti
Majeſtas infuſa ſedet; Reuerentia latè
Subſternit populos: &, quæ cum Principe creuit,
Gloria complexum oſtentat: dum tempora circum
Vſque nouas nectit Iuueni Victoria lauros.
Creſcit amor populis, rapiunt animoſa phalanges
Obſequia. hunc prono veneratur Sequana fluctu
Quà patet, & Celtas ſinuoſo gurgite lambit
Firmiùs inſiſtentem axes: longóque volutus
Anfractu Ligeris, celerat iactantior vndas;
Lætitiáque fremens ſociatos excitat amnes,
Gauiſóſque iubet ſimili decurrere motu.
Alta Gebennarum pulſantur culmina plauſu.
Reſponſat Vogeſus, Rhodanúſq; Araríſq; reſultat,
Pyrenéngue Alpéſque inter vaga fertur imago.

Et sæpe aduersas Ludouix iteratur in arces.
Securi exultant Salyes. prior ira Garumnæ
Excidit, exhilarat cum fontibus ostia fœlix
Nuncius, & fixos animis iubet ire timores.
Quid memorè ardentes vbicunq; ad prælia turmas,
Quæq; Mosam & Rhenũ cohibet: quæ Belgica latè
Rura premũt: vel quæ Hesperiis Insubribus insũt,
Aut pridem immixtos Cattis tutantur Alanos.
Continuò in membris Regni concordibus ibit
Mens eadem: cognata sibi sub fœdere virtus
Conciliata cades, nec deinde erumpet in arma.
Omnibus æquus erit Ludouix. sibi sãguine iũctos
Curarum in partem admittet: nec pelles ab Aula
Legibus insignes patriæ, & pietate verendos,
Vt famuli viles, alteni dedecus orbis,
Vt mimi infames, prædatorésque popelli
Omnibus illudant. Francos refouebit egentes:
Damna coërcebit communia, nec sinet vltrà
Grassari, inque breues paucorum cedere luxus.
Ipse eris, ipse tuis, Ludouix, succẽsibus autor,
Maternis qui nuper eras. Cùm fœdera terris
Mutauit Genior: cùm te, Fratremque reliquit
Infantes, Regnúmque fremens circùm vndiq; bellis,
Et Matrem insuetam rerum: lacerósque manipios,
Ac pridem absumpto vacuata Ærraria censu:
Inuasere metus animos, ne turbida rerum
Arderet Nouitas: Aulæ ne viscera putris,
Vt quondam, inficeret sanies: vel auara libido,

Ambitiò-ve furens: vel fraude armata Simultas
Debilius frænum traherent: intráque Tumultus,
Atque extrà furerent erecti animoſiùs hoſtes.
Quid tamen ereptum eſt? quæ vis inimica timorem
Intulit? aut fines tranſit? aut impulit vrbes?
Te propter, ſolitum Regni fortuna tenorem
Seruauit: noſtriſque hæſit victoria caſtris.
Vicimus, & magnis iacuerunt ſtragibus hoſtes.
Arduenni rubuere lacus, validiſque Moſellam
Arcibus, & fractũ, te, vinximus, Auſpice Rhenũ.
Danubio Padus, atque Pado coniunctus Iberus
Sanguineis Francas ſenſerunt fluctibus iras.
Piratam expulimus pelago: Belgáſque rapaces
Portubus exuimus, pontique extruſimus vndis.
Iam patet Arctois Germanum nauibus æquor,
Et noſtro ſecura meant commercia mundo.
Has inter licuit, Ludouix, te adoleſcere palmas:
Dira ſed inuidit lætis Rhamnuſia rebus.
Cuius amor, prò triſte nefas! clareſcere damnis:
Victorem turbare odiis, confundere diris
Cædibus, & proprias in viſcera vertere dextras.
Vidimus vndantem turbis ciuilibus Vrbem,
Diſtrictos rutilare enſes: aduersáque caſtris
Caſtra: Palatinas incurrere Patribus iras,
Ac turpes ſub nocte fugas: obſtructáque telis
Flumina: præcluſam multis cum millibus vrbem:
Sanguine fumantes agros, & tradita flammis
Oppida, ſtupratáſque nurus: delubra profanas,

Passa manus, dirámq; famē: & sub mœnibus ijsdē
Immensam pendere vno discrimine gentem.
Hæc fata, hos tristes exhausit Gallia luctus.
At vis fracta mali, atque iterum pax aurea fulsit.
Non vltrà sæuire datum est: non surgere rursum
Ardentes animorum æstus, ciuiliáque arma.
Illa fuit, fuit illa tuæ virtutis imago,
Sancte Ducum: tantique venit tibi gloria facti.
Hic est Gasto, tuæ, Ludouix, tutela iuuenta.
Hic, ille est Autor pacis: cui cura frementes
Conciliare tibi populos: cui Gallia debet
Hoc quodcúnq; oti nacta est. quem Cimbrica tellus
Celtarum, quem liber Atax, atque alta Garumnæ
Ripa colit. Tarnes illi, Duranius illi
Grates lætus agit, totóque Druentia cursu,
Pacatas quòd voluit aquas: ac tutus ab armis
Nil hostile timet. Quotiès distorta furentum
Consilia in melius flexit? quot iniqua vocatis
Facta excusauit Patribus? molémque labantem
Sustulit, ac cæcos rexit ratione tumultus?
Sic te, quà licuit, Ludouix, puerilibus annis,
Sic Regni seruauit opes: bellique furores
Inter, & immanes strepitus, ad fortius ætium,
Securum tibi strauit iter. non ambitus ardens
Heroëm tetigit, nec habendi plura cupido:
Vindictæ non dulce malum. num munere creuit
Te puero? castrisne suos, vel fascibus auxit?
Quæ dona extorsit Matri? quas muniit arces,
Vnde metus trepidæ inferret? quæ pectora cultu,

Venaléſque manus, pretiis licitantibus, emit?
Viuendi lex æqua fuit: quæ rexerat antè
Temperies animum, & placidos clementia mores,
Incorrupta manet. quàm ſæpe remiſſa poteſtas,
Contemptúmque decus famæ, ne prælia rixæ
Fœda inſtaurarent! multorum perfida facta
Pertulit, inſanos multorum pertulit æſtus.
Luctatúſque Aulæ vitiis, populique furori
Iuncta tibi optato pacis dedit omnia nexu.
O nimiùm fœlix! cui per miracula naſci
Contigit, & paribus cui fas iuueneſcere factis.
Iam tempeſtatum victor, caput exeris altum.
Quòd regis ipſe tuos propriæ rationis ab aſtro,
Imperij iam certa fides. non diffluet aurum,
Nec clauum errantem metues, ſpeciéque latentes
Obſequij inſidias. pulchrò diſcrimine amicus
Tecum librabit curas, & pondera rerum:
Pulſus adulator. tecum, cui publica curæ
Commoda: cui priuata, procul. non fœnus in vrbe,
Non Manceps impunè furet; neque noſter in agris
Sæuiùs armato miles graſſabitur hoſte.
Illa fatigatæ plebis manantia pridem
Vlcera ſiſtentur. ſtabit crux certa rebelli,
At merces & honos placido. ſua præmia virtus
Inueniet, pœnáſque ſcelus. Te vinciet omni
Pax alma Europæ: aut Turcas frænabis ouantes,
Si te bella iuuant: populiſque æquiſsima reddes
Iura tuis, ſanctúmque trahes fœliciter æuum.

AD CLARISSIMVM VIRVM IACOBVM DV PVY de morte fratris consolatio.

ET meritò, quis enim, Puteane, inimitia cesset
Fata queri? aut lacrimas possit cohibere ruetes?
Ille decus patriæ, & morum cerussimus index,
Ille avi veteris specimen: bonus arbiter æqui,
Atque altus virtutis apex: magnóque parente
Laude prior: Musarum oculus, pietatis, & Minervæ,
Lux tibi, & à puero vitæ incunda voluptas,
Optima pars fratris fraterprò crimina parcæ!
Occidis, & trisli abrupit tot vincula morte,
Quæ dudum innxere animos. Cui credere curas
Fas erit, aut animi deinceps aperire recessus?
Heu! quibus alloquijs rerum fastidia, & æstus
Concoquere, ac trisles extremi tardinis annos!
Cuncta simul perennt. nam quæ solatia restant!
Exhaustis mors una domum. te vulnere primo
Confici, atque vnà eripiens, rapit omnia, fratrem,
Cogit & in luctu reliquam te egitare senectam.
Nec lugere veto: lacrimis sed confero planctus,
Solue comam infelix vates, tua tempora circum
Taxus eat: quæsu libeas satiare dolorem.
Quæ iam, quæ superest vera probitatis imago?
Iunge tuos gemitus quisquis sacra nostra frequentas

Ausonios Graiósque choros: seu carmine mulces
Hesperias, Rhenúmq; trucem, furialiáque arma
Effræni Tamesis: patriam seu suspicis Arcton,
Sithoniásque niues habitas: laribus-ve relictis
Per pelagi extrema, & gelidos Aquilonis hiatus
Pallada lætus adis Geticam: ditésque triumphos,
Ac facili sequeris mansuetum ab Apolline martem.
Nã quæ non studia, atq; animos dolor iste lacessat!
At vos præcipuè, docto quos Gallia nutrit
Alma sinu, lamenta decent: date frena querelis,
Plangat Arar, tristésq; modos iã Sequana tollat,
Et latè in populos discors concurset imago.
Lugubrem impellat cantum Rigaltus, & vdas
Vrgeat instaurare vices: hinc Balzacus, illinc
Succinat Hallæus, tum cætera turba sequamur.
Congemat omnis ager. nemo hæc consortia, nemo
Fugerit, extinctus nisi quorum in pectore cessit
Et pudor, & virtutis honor. quò nos tamen æstus
Abripit? ah frustrà lassamus brachia planctu.
Occidit, & gelido iam marcida membra sepulcro.
Ignorant gemitus, animáusque receptus olympo
Emicat: atque iterum reuocatus carmine nunquam
Deuolet in terras. superùm sibi plaudit in arce
Ac tenebrarum expers, & sole micantior ipso,
Terrenâ nec mole grauis, vagus errat in orbes,
Syderibúsque insistit ouans, mistúsque beatis
Cœtibus, vsque Deo fruitur: mortalia longè
Despicit, atque hominum curas miseratur inanes.

Indiges ille tuos gemitus, mentémque iacentem
Erigat. obsequere, illustrésque resumito curas.

AD CLARISSIMVM VIRVM ÆGIDIVM MENAGIVM sua Poëmata publicè exponentem extemporalis dehortatio.

ERGO NE *nostrorũ, Menagi nitidissime, Vatũ*
Ciuiles inter furias, martémque cruentum
Vsque instas teneros in lumina mittere cantus?
An locus his, dum bella tonant? dum tristis Erinnys
Intrà extráque vrbem trucibus circunsonat armis?
Confligunt cognatæ acies: rerúmque potestas
Stat medio, stimulátque iras, quam protinus arma
Victoris cum Rege ferant. hi plurima turbant,
Illi iusta negant. sancti non vota Senatûs,
Non gemitus populi retinent. stat iudice ferro
Vincere. victricem bellis collidere gentem,
Et Franco Hispanos perfundere sanguine manes.
Non meminere graues regnorum horrescere casus:
Turba coit, sequitúrque Duces: distractáque fœdà
Commaculat iam cæde manus. furit impius armis,
Ignibus & stupris, fratrúmq; haurire cruorem
Miles amat, victúsque manu dimittitur hostis.
Oblectent-ne ioci? cantúsque ingrata voluptas,
Cùm furor, arma, fames, mortísque pericula terrẽt?

Te decet instantes patriæ lugere ruinas,
Exemplóque iuuare alios: impellere mentes:
Obiurgare nefas commune: monere nocentes:
Regni execrari furiam, quæ parcit Ibero,
Victricique Aulæ insultans, populisque beatis
Cũcta trahit; totámque animis se inspirat, & alto
Verbere torquet agens, lymphatáq; pectora versat,
Præcipitésque trahit miserâ vertigine ciues.
Fata inimica premunt: fit Gallia triste bidental:
Tu, quo non melior mulcere ferocia corda,
Quo populi nullus, dominæ nec amicior Aulæ,
Hæc tacitus tuleris? iuuet ah! iuuet omnia questu,
Questu Aulã implere, & validis clamoribus Vrbẽ,
Excutere arma manu, & pulsum reuocare pudorẽ:
Audebit iam turba sequi. vox plurima forsan
Proderit, & luctus, animorum marmora soluent.
Expectare, nefas, dum dira negotia casus
Parturiant, vel quos scenâ reboante Tragœdus
Personet: aut clades referant, quas arte magistrà
Quásq; tubâ æternos celebrat Capelanus in annos.
Iam rubuit Ligeris: iam decolor vnda Garumnæ
Sæpe suas multo fœdauit sanguine ripas.
Successit, propiúsque malum est: atq; intima rodit
Viscera. Sequanico vibrant incendia fluctu:
En procul ardet ager, Luparæ qui sustinet arces,
Nec pudet heu! natos patrum vastare penates.
Iam longè insonuit strages audita ruinæ:
Indoluere Getæ: percussa exhorruit Arctos;

Vos faciles decet, ac veniæ decet esse paratos:
Hinc quippe, hinc vobis quæritur omnis honos,
Parcere cognatæ fas est iam parcere genti:
Fas gerere in miserum corda benigna genus.
Talibus orabant, mixtúsque orantibus, vrget
Mercurius Patrem, iustáque vota iuuat.
Tanta Iouem exarmat pietas; placatáque ponit
Iuno animũ, & veniã Numina cuncta probant.
Protinus arrisit cœlum: pluit aureus imber:
Lætáque pax homines alligat, atque Deos.

LVOVICVS A-DEO-DATVS
Major factus.

QVÆ Procerum & populi longo pia pectora voto
Torserat, & grauibus leuat Annæ pectora curis,
Ecce dies tandem illuxit: speratáque soluit
Gaudia. Rectorem orditur, curásque viriles
Arbiter ipse sui Ludouix: & auita magistrà
Molitur iam sceptra manu. noua sæcula surgunt,
Ac meliora nitent dilectis sydera terris.
Nil rerum ancipites lapsus, refluénsque potestas
Suspectæ-ve hyemes: nil iam ciuilia bella,
Aut ofor iam pacis Iber te, Gallia, terrent.
Stat rerum defixus apex, totóque potitus

Rex apice, vnanimi ſub fœdere comprimet æſtus,
Ciuiles pellens nebulas: fortiſque Senatu,
Conſilióque potens hoſtilia proteret arma.
Spem duri altricem faſtûs, & inania vota
Protinus Hiſpano excutiet, ferrúmque reuellet,
Nec iam bella ſinet cognatum haurire cruorem.
Cernis vt Aſtrææ in ſolio ſpectabilis ardet
Syderis in morem! vt Superis ſtipantibus implet
Atria Purpurei Cœtûs, & iura deorum
Vindicat! vt ferri rabies! vt truditur omnis
Impia vis ſcelerum! Sedis latus ambit vtrúmque
Iuſtitia & Pietas: quarum altera proſpicit aris:
Altera legitimâ librat mortalia lance.
Auxit Honos frontis ſpeciem: formæque nitenti
Majeſtas infuſa ſedet, Reuerentia latè
Subſternit populos: &, quæ cum Principe creuit,
Gloria complexum oſtentat: dum tempora circum
Vſque nouas nectit Iuueni Victoria lauros.
Creſcit amor populis, rapiunt animoſa phalanges
Obſequia. hunc prono veneratur Sequana fluctu
Quà patet, & Celtas ſinuoſo gurgite lambit
Firmiùs inſiſtentem axes: longóque volutus
Anfractu Ligeris, celerat iactantior vndas;
Lætitiáque fremens ſociatos excitat amnes,
Gauiſóſque iubet ſimili decurrere motu.
Alta Gebennarum pulſantur culmina plauſu.
Reſponſat Vogeſus, Rhodanúſq; Arariſq; reſultat,
Pyrenenque Alpéſque inter vaga fertur imago,

Et sæpe aduersas Ludouix iteratur in arces.
Securi exultant Salyes, prior ira Garumnæ
Excidit, exhilarat cum fontibus ossa fœlix
Nuncius, & fixos animis iubet ire timores.
Quid memorē ardentes vbicunq; ad prælia turmas,
Quæq; Mosam & Rhenū cohibēt: quæ Belgica late
Rura premūt: vel quæ Hesperiis Insubribus insitæ,
Aut pridem immixtos Cattis tutantur Alanos.
Continuò in membris Regni concordibus ibit
Mens eadem: cognata sibi sub fœdere virtus
Conciliata eades, nec deinde erumpet in arma.
Omnibus æquus erit Ludouix, sibi sanguine iunctos
Curarum in partem admittet: nec pellet ab Aula
Legibus insignes patriæ, & pietate verendos,
Vt famuli viles, alieni dedecus orbis,
Vt mimi infames, prædatoréque popelli
Omnibus illudant. Francos refouebit egentes:
Damna coercebit communia, nec sinet vltrà
Grassari, inque breues paucorum cedere luxus.
Ipse eris, ipse tuis, Ludouix, successibus autor,
Maternis qui nuper eras. Cùm fœdera terris
Mutauit Genior: cùm te, Fratremque reliquit
Infantes, Regnúmque fremens circùm vndiq; bellis,
Et Matrem insuetam rerum: lacerósque manipios,
Ac pridem absumpto vacuata Ærraria censu:
Innuasere metus animos, ne turbida rerum
Arderet Noustras: Aulæ ne viscera patris,
Vt quondam, inficeret sanies: vel anara libido,

Ambitiò-ve furens: vel frande armata Simultas
Debilius frænum traherent: intraque Tumultus,
Atque extrà furerent erecti animoſiùs hoſtes.
Quid tamen ereptum eſt? quæ vis inimica timorem
Intulit? aut fines transit? aut impulit vrbes?
Te propter, ſolitum Regni fortuna tenorem
Seruauit: noſtriſque hæſit victoria caſtris.
Vicimus, & magnis iacuerunt ſtragibus hoſtes.
Arduenni rubuere lacus, validiſque Moſellam
Arcibus, & fractũ, te, vinximus, Auſpice Rhenũ.
Danubio Padus, atque Pado coniunctus Iberus
Sanguineis Francas ſenſerunt fluctibus iras.
Piratam expulimus pelago: Belgáſque rapaces
Portubus exuimus, pontique extruſimus vndis.
Iam patet Arctois Germanum nauibus æquor,
Et noſtro ſecura meant commercia mundo.
Has inter licuit, Ludouix, te adoleſcere palmas:
Dira ſed inuidit lætis Rhamnuſia rebus:
Cuius amor, prò triſte nefas! clareſcere damnis:
Victorem turbare odiis, confundere diris
Cædibus, & proprias in viſcera vertere dextras.
Vidimus vndantem turbis ciuilibus Vrbem,
Diſtrictos rutilare enſes: aduersáque caſtris
Caſtra: Palatinas incurrere Patribus iras,
Ac turpes ſub nocte fugas: obſtructáque telis
Flumina: præcluſam multis cum millibus vrbem:
Sanguine fumantes agros, & tradita flammis
Oppida, ſtupratáſque nurus: delubra profanas

Passe manus, diramq; famē: & sub mœnibus ipsis
Immensam pendere vno discrimine gentem.
Hæc fata, hos tristes exhaustæ Gallia luctus,
At vis fracta mali, atque iterum pax aurea fulsit.
Non vltrà sæuire datum est: non surgere rursum
Ardentes animorum æstus, cruentaque arma.
Illa fuit, fuit illa tuæ virtutis imago,
Sanctæ Ducum: tantique venis tibi gloria facti.
Hic est Gandeo, tuæ, Ludouice, tutela iuuentæ.
Hic, ille est Autor pacis: cui cura frementes
Conciliare tibi populos: cui Gallia debet
Hoc quodcunq; otij nacta est. quem Cimbrica tellus
Celtarum, quem liber Atax, atque alta Garumnæ
Ripa colit: Tarnes illi, Duranius illi
Crates lætus agit, totoque Druentia cursu,
Pacatas quod voluit aquas: ac cultus ab armis
Nil hostile timet. Quoties distorta furentum
Consilia in melius flexit? quot iniqua vocatis
Facta excusauit Patribus? molemque labantem
Sustulit, ac cæcos rexit ratione tumultus?
Sic te, quà licuit, Ludouice, puerilibus annis,
Sic Regni seruauit opes, bellique furores
Inter, & immanes ſpreptus, ad fortius ætum,
Securum tibi struxit iter, non ambitus ardens
Heroëm tetigit, nec habendi plura cupido:
Vindicta non dulce malum. nunc manere creuit.
Te puero! castris ne suos, vel fascibus auxit?
Quæ dona extorsit Matris? quæ munia arcet?
Vnde metus trepidæ inferret? quæ pectora culpa

Venaléſque manus, pretiis licitantibus, emit?
Viuendi lex æqua fuit: quæ rexerat antè
Temperies animum, & placidos clementia mores,
Incorrupta manet. quàm ſæpe remiſſa poteſtas,
Contemptúmque decus famæ, ne prælia rixæ
Fœda inſtaurarent! multorum perfida facta
Pertulit, inſanos multorum pertulit æſtus.
Luctatúſque Aulæ vitiis, populique furori
Iuncta tibi optato pacis dedit omnia nexu.
O nimiùm fœlix! cui per miracula naſci
Contigit, & paribus cui fas iuueneſcere factis.
Iam tempeſtatum victor, caput exeris altum.
Quòd regis ipſe tuos propriæ rationis ab aſtro,
Imperij iam certa fides. non diffluet aurum,
Nec clauum errantem metues, ſpeciéque latentes
Obſequij inſidias. pulchrò diſcrimine amicus
Tecum librabit curas, & pondera rerum:
Pulſus adulator. tecum, cui publica curæ
Commoda: cui priuata, procul. non fænus in vrbe,
Non Manceps impunè furet; neque noſter in agris
Sæuiùs armato miles graſſabitur hoſte.
Illa fatigatæ plebis manantia pridem
Vlcera ſiſtentur. ſtabit crux certa rebellis,
At merces & honos placido. ſua præmia virtus
Inueniet, pœnáſque ſcelus. Te vinciet omni
Pax alma Europæ: aut Turcas frænabis ouantes,
Si te bella iuuant: populiſque æquißima reddes
Iura tuis, ſanctúmque trahes fœliciter æuum.

AD CLARISSIMVM VIRVM IACOBVM DV PVY de morte fratris consolatio.

ET *meritò. quis enim, Puteane, immitia cesset*
Fata queri: aut lacrimas possit cohibere ruetes?
Ille decus patriæ, & morum certissimus index,
Ille avi veteris specimen: bonus arbiter æqui,
Atque altus virtutis apex: magnóque parente
Laude prior: Musarum oculus, pectúsq; Mineruæ,
Lux tibi, & à puero vitæ iucunda voluptas,
Optima pars fratris frater prò crimina parcæ!
Occidit, & tristi abrupit tot vincula morte,
Quæ dudum iunxere animos. Cui credere curas
Fas erit, aut animi deinceps aperire recessus?
Heu! quibus alloquijs rerum fastidia, & æstus
Concoquere, ac tristes extremi cardinis annos!
Cuncta simul pereunt. nam quæ solatia restant!
Exhausit mors vna domum. te vulnere primo
Conficit, atque vnũ eripiens, rapit omnia, fratrem,
Cogit & in luctu reliquam te agitare senectam.
Nec lugere veto: lacrimis sed confero planctus,
Solue comam infœlix vates, tua tempora circum
Taxus eat: questu libeat satiare dolorem.
Quæ iam, quæ superest veræ probitatis imago?
Iunge tuos gemitus quisquis sacra nostra frequẽtas

Ausonios Gratiosque choros: seu carmine mulces
Hesperias, Rhenumq, trucem, furialiaque arma
Efferni Tamesis: patriam seu suspicis Arcton,
Sithoniasque nives habitas: laribusve relictis
Per pelagi extrema, & gelidos Aquilonis hiatus
Palladа lætus adis Geticam: dulcique triumphos,
Ac facilis sequeris manuetum ab Apolline martem.
Nã quæ non studia, atq; animos dolor iste laceſſat!
At vos præcipue, docto quos Gallia nutrit
Alma sinu, lamenta decent: date frena querelis,
Plangat Arar, triſteſq, modos ut Sequana tollat,
Et latè in populos discors concurſet imago.
Lugubrem impellat cantum Rigaltus, & vdas
Vigeat inſtaurare vices: hinc Bulzacius, illinc
Succinat Halleus, tum cætera turba ſequatur.
Congemat omnis ager, nemo hac conſortia, nemo
Fugerit, extinctus niſi quorum in pectore cæſſit
Et pudor, & virtutis honor. quò nos tamen æſtus
Abripit! ah fruſtrà laſſamus brachia planctu.
Occidit, & gelido iam marcida membra ſepulcro;
Ignorant gemitus, animúſque receptus olympo
Emicat: atque iterum renouatus carmine nunquam
Deuoles in terras, ſuperùm ſibi plaudit in aree
Ac tenebrarum expers, & ſole micantior ipſo,
Terrenâ nec mole grauis, vagus errat in orbes,
Syderibuſque inſiſtit ouans, miſtuſque beatis
Cœtibus, vſque Deo fruitur: mortalia longè
Deſpicit, atque hominum curas miſeratur inanes.

An fas non placito, Puteane, insistere fletu?
Immo, ait, anxietas me vestra, dolórque quietum
Sollicitat, turbántque graues bona gaudia luctus.
Te-ne repentino, fratrum dulcissime, casu
Nostri oppresserunt abitus? scis ipse, sepulcro
Debita præda sumus. vix læuo nascimur ortu,
Vix natura hebetes miseris circundedit artus:
Cùm fœtum informem iam vellicat inuida morsu,
Inque dies vrget spatiis breuioribus æuum.
An quemquam exemit pietas? an gloria vitæ,
Egregiúsque labor? lex omnibus æqua Thuanum,
(Fas cognata loqui) eripuit: licet alite famà
Latè orbi inuectus, studio & virtutibus ingens
Hectoridùm egregios in sæcula conderet actus.
Nō honos vllus Auū: Non te, Pater optime, recti
Cultus amor, nec certa fides: non iusta tenellæ,
Vota domùs, coniux-ve insons à funere texit.
Ante diem, & vitæ medio de limite raptum
Inter amicorum planctus, lessósque frequentes
Extulimus, propriisq; animam transmisimus astris.
Ne fata incuses, iusti mihi terminus æui
Contigit. ad querulæ fastigia prona senectæ
Substitimus, placidósque dies hæc sancta coronant
Gaudia. quò recidunt toties iactata piorum
Dogmata, si quatiat sensus insania rerum?
Angeris, & viduos quereris tibi currere soles,
Cui ratio dux est, animúsque excultus honesto
Sufficit ipse sibi, cinctum se malit amicis,

At caruiſſe poteſt. ſe oblectat, & vtitur vno:
Imperiumque ſui retinet, mittitque, quod extrà eſt
Egregià inſtabiles animi premit arte tumultus.
Nec patitur ſolidà rationem è ſede moueri.
Vulgus amat molles gemitus, ſequitúrq; dolorem.
Mox idem exundat, cùm ſpes & gaudia rurſum
Se referunt. caſu ſed tu ſublimior omni
Effuge flucti-vagis rerum ſeruire procellis.
Quæ fuit antè, tuum firmet conſtantia pectus.
Fortè quidem maior nunquam concordia fratres
Iunxerat, aut meliùs fratrum pia pectora numen.
Lætus at in præſens animus, ſolérſque fruendi
Temperies, caſus patiendo infringit acerbos.
Non deſiderijs ſinit extabeſcere mentes,
Aut vano trepidare metu. ſtat pectore ſemper
Læta quies, ſarcitque nouo-diſpendia fructu.
Quid doleas, ſi munus obit natura, vicéſque,
Auctori famulata ſuo? Tibi ſcilicet ille
Rerum ordo cedat, verſúſque inſeruiat orbis!
Quid doleas? proprium ne perit, ſi reddere fas eſt
Depoſitum? chorus ille ſubit, Sophiæq; Senatùs,
Quem colis, & ſancto anguſtat tua limina cœtu,
Mille vnum reparant. ſortem circunſpice, in altà
Luce habitas, lux illa tuos defendere mores
Te iubet. obſeruant alij, quæ pectora præſtes,
Quid mens pulſa ſonet. ſolito ne cede labori,
Sed iuuet egregià rerum in ſtatione morari.
Non ſecus increpitet, Puteane, ex æthere lapſus

Indiges ille tuos gemitus, mentémque iacentem
Erigat. obſequere, illuſtréſque reſumito curas.

AD CLARISSIMVM VIRVM ÆGIDIVM MENAGIVM ſua Poëmata publicè exponentem extemporalis dehortatio.

ERGO NE *noſtrorũ, Menagi nitidiſſime, Vatũ*
Ciuiles inter furias, martémque cruentum
Vſque inſtas teneros in lumina mittere cantus?
An locus his, dum bella tonant? dum triſtis Erinnys
Intrà extráque vrbem trucibus circunſonat armis?
Confligunt cognatæ acies: rerúmque poteſtas
Stat medio, ſtimulátque iras, quam protinus arma
Victoris cum Rege ferant. hi plurima turbant,
Illi iuſta negant. ſancti non vota Senatûs,
Non gemitus populi retinent. ſtat iudice ferro
Vincere. victricem bellis collidere gentem,
Et Franco Hiſpanos perfundere ſanguine manes.
Non meminere graues regnorum horreſcere caſus:
Turba coit, ſequitúrque Duces: diſtractáque fœdâ
Commaculat iam cæde manus. furit impius armis,
Ignibus & ſtupris, fratrúmq; haurire cruorem
Miles amat, victúſque manu dimittitur hoſtis.
Oblectent-ne ioci? cantúſque ingrata voluptas,
Cùm furor, arma, fames, mortiſque pericula terrẽt?

Te decet instantes patriæ lugere ruinas,
Exemplóque iuuare alios: impellere mentes:
Obiurgare nefas commune: monere nocentes:
Regni execrari furiam, quæ parcit Ibero,
Victricique Aulæ insultans, populisque beatis
Cũcta trahit; totámque animis se inspirat, & alto
Verbere torquet agens, lymphatáq; pectora versat,
Præcipitésque trahit miserâ vertigine ciues.
Fata inimica premunt: fit Gallia triste bidental:
Tu, quo non melior mulcere ferocia corda,
Quo populi nullus, dominæ nec amicior Aulæ,
Hæc tacitus tuleris? iuuet ah! iuuet omnia questu,
Questu Aulã implere, & validis clamoribus Vrbẽ,
Excutere arma manu, & pulsum reuocare pudorẽ:
Audebit iam turba sequi. vox plurima forsan
Proderit, & luctus, animorum marmora soluent.
Expectare, nefas, dum dira negotia casus
Parturiant, vel quos scenâ reboante Tragœdus
Personet: aut clades referant, quas arte magistrâ
Quáſq; tubâ æternos celebrat Capelanus in annos.
Iam rubuit Ligeris: iam decolor vnda Garumnæ
Sæpe suas multo fœdauit sanguine ripas.
Successit, propiúsque malum est: atq; intima rodit
Viscera. Sequanico vibrant incendia fluctu:
En procul ardet ager, Luparæ qui sustinet arces,
Nec pudet heu! natos patrum vastare penates.
Iam longè insonuit strages audita ruinæ:
Indoluere Getæ: percussa exhorruit Arctos;

Ipse hostis miseratus adest, si credere dignum est,
Et nostra ingentes accunt discrimina curas.
O si mille mihi cedant in fulmina voces,
Mille ora, & totidem linguæ, quaterem omnia quassu,
Armorum obruerem strepitus, ac ferrea tandem
Pectora mollirem. sed me rapit impetus, & vim
Musæ Deiique negant, & nil nisi vota supersunt.
Quinetiam mens victa malo est, & imagine tetra
Sternitur, ac solitus Musarum exsarsit humor.
Vis tibi, vis animo est: te fortius incitat æstrum,
Aude aliquid. mox, vt nostris decesserit oris
Triste nefas: vt messe Ceres, vinoque Lyæus
Improba sarcirinis secui dispendia belli,
Lætaque pax Francis diffuderit otia terris,
Mollius ibit opus. tunc omnia te ora loquentur,
Nullaque non recinent argutos oppida lusus.

SATYRA.

RIngeris. *& meritò, quis enim ferat amplius Vrbem?*
Iam nullus sceleris modus est, pudor omnis, & omnis
Pulsa fides: ex quo Celtæ peregrina sequuntur,
Maiorum obliti, fraus atra, audaxque rapina
Inuasere. palam imperijs grassata libido est.
Spes voti ambigua est: quid morsum inten-
dis hiantem?

Non dentem infringam? bilis præcordia rumpit,
Dum mitratus Otho Paulum sermonibus æquat,
Et crepat inflatis diuina oracula buccis.
Cùm tamen impurus, feruénsque libidinis æstu
Virgineos figat sacrà in testudine vultus.
Dùm Pulpo Heluidium simulat, Bareámque
Petaurus,
Ambo licet pedibus referant vestigia varis,
Ac Regem dudum prodant, populúmque Patrésque
Vt liceat de more graues delingere prædas.
Dum iubet vxorem Mattus, natámque Birauda
Sternere purpureis diuendita corpora mœchis.
Quid memorem immensum fœnus? versura Catoni
Iampridem visa est cædes: Lamberius illam
Numen habet, sacrísque colit: legémque Duillj
Improbat. Helcitelem fœcunda pecunia pascit,
Assiduósque parit fœtus. nil tangit auorum
Gloria, nil studium martis. tibi nullæ coluntur
Prædia, Fiscorapi. census vrbs plurima pendit,
Ac iubet euectas portoria soluere merces.
Quòd famam, & rerum tenet Argentarius arcem,
Vendidit octonas, quas Sequana subluit, ædes
Anginus, dubijs & credidit omnia mensis.
Ergo cùm geminas nuper discordia partes
Distraheret, quaterétque Vrbem ciuilis Enyo,
Sæpe viro infirmum soluerunt classica ventrem,
Deformique genas sparserunt flumine vultus.
Rellario in denas nummûm duo millia luces,

*Terna Midæ, ſed quina Maroni Æraria debent.
In commune bonus nemo eſt. vt tendit hiantes
Quiſque ſuos implere ſinus! vt certat hirudo
Depaſci exuccos ciues! ſtat finibus hoſtis,
Et ferro flammiſque premit: ſed ſæuior intus
Peſtis habet, populóſque vrit. Saturnia picæ
Sæcla tamen iactant. aurum præfulgurat aris,
Templorúmque micant apices. hinc ſcilicet ingens
Armorum decus eſt: ſuperiſque volentibus, hærent
Fœdera, quæ tanto conſtant tibi Gallia, ſumptu.
Hinc larga annona eſt: hinc iuris & Arbiter æquus,
Caſtus & ordo Togæ: ſanctiq; per omne tribunal
Pragmatici, & noſtris antiqua modeſtia caſtris.
An fas iratis attollere culmina Diuis,
Si grauiùs peccare paras? Te nempe ſacerdos
Furtorum in pœnas iuſſit decidere partem.
Accendat dextram nati, læuámque parentis
Cereus: Italicis niteant aſarota figuris:
Mœnia votiuæ exæquent obducta tabellæ:
Indigenis ſurgant delubra ingentia Diuis:
Eia, miſer, tenui mercede paciſcere cœlos,
Vtere terrenis. nondum ſua Cantaber Heros
Templa videt: Franciſcus habet iã plurima, quãuis
Ille Aulas ſtudio, & Tarpeias fulciat arces.
Nonne latrocinio ſuperi, pretio-ve parantur?
Auro non emitur cœlum; ſed moribus aureis.
At Matrona potens nugas deblatterat ore
Spumanti, ſurdámque ſenis ſuſpirat ad aurem;*

Colloquio-

Colloquiòque Dei fruitur. da creſcere nummis:
Da cultu retinere meos: non improba vulgi
Vis mihi delicias turbet: fac, alea pulcrè
Cedat: vt ora mihi niteãt. dehinc munere dextram
Implet, & erectis addit donaria clauſtris.
Ingerit & pannos Ligures. micat aureus ambo:
Sternunt vela gradus, quæ Medus texit Hydaſpes:
Atque ſacrà gentis radiant inſignia veſte.
Lætæ quidem ſpecies. ſcrutare ſed intima, & audè
Inſpicere. apparent turpi tectoria fuco.
Non mutant animos. námque inde vocatur adulter,
Ad crotalum torquere latus. tum ludio prodit,
Irritátque moras veneris. flagrat ilicet illa,
Nec plauſum expectat. dubiâ in caligine gannit,
Proditur & riſu. aut gremio leuis inſidet, & ſe
Suſtinet, ac totis ardet perfuſa medullis.
Nulla domûs cura eſt: molles amat vſque choreas,
Cantúſque obſcœnos: Iuuenúmque inſerta coronæ
Laſciuos riſus vincit petulante cachinno:
Seu volitet curru, quâ multo regia verſu
Vlmus aquas vmbrat Sequanæ: vel obambulet hortis
Nuda ſinu, aut ſcenis cùm intẽtà patrantibus hæret.
Quid bonus intereà coniux? præcepta faceſſit:
Accelerat dominæ thalamos. laquearia lucent,
Textilibúſque recens dependet bellua formis,
Ac vetus excutitur. nec enim deponat eodem
Pignora multa toro. partus aulæa merentur

Vſq; noua, vt quadrans anni. miſer ah! miſer, apte
Si dare cunctetur. præſens illudit adulter,
Illa iuuat, dubiæque vibrant conuicia linguæ.
Ipſe tamen didicit venienti aſſurgere: & vltro
De more affatus cedit, dulcéſque ſuſurros,
Quos Phryges intexti, quos tantùm lectulus audit,
Nec fas extractos in multam rumpere noctem.
Mox tædet, gyróque diu nec currit eodem.
Delicias nouat, atque epulis indulget opimis:
Aut doctum vocat, vt blæſo balbutiat ore
Pauca Italè, Sophiæ-ve aliquid, quod ſydera monſtrent,
Terrarum-ve ſitus. vel Epiſtola plurima curſat,
Vel formam in tenebris reparat: ſomnóq; ſepultam
Non niſi ſub medium properans ſol excitat axem.
  Sæpius at pulſis reſonant tecta ampla fritillis,
Hanc circum coiere, frequens quos alea mutat,
Decoctor, mimus, ganeo, paraſitus, adulter,
Nupta, innupta, ſenex, miléſque ſimúlq; Togatus,
Et, quos inguen alit, Balathronum plurima turba.
Hinc plenos haurire ſinus. deponere deinde
Gemmas, auratos currus, ternóſque iugales,
Mox aulæa, abacos, proauitáq; prædia, & altas,
Quas habitant, ædes, vno committere iactu,
Nec gemere. infœlix non parcit fœmina collo.
Indica diripitur torques, & gloria dextræ,
Atque adamantæus ſorti tranſcribitur orbis.
Sæpe etiam luſit nudis ingloria mammis,

Et capite inculto. tum, vix benè parca pudoris,
Purpureæ cùm iam se prima crepuscula lucis
Ostendunt, totam curru stridente per Vrbem
Præcipitans, redit insano dilecta marito.
Ipsa auersa cubat, tanquam mœstissima damnis;
Aucupe blanditias animo, ac solatia quærit,
Callida, & expresso dolet oblectamina fletu.
Ille moræ impatiẽs, lacrymantẽ amplexus, inhæret,
Solatúrque ægram. quid eges? maiora supersunt,
In fundo nummus non tinniit vltimus imo.
Centum misit Atax, addictáque Santonis ora:
Plura Liger. totus nostro iam Lædus in ære est,
Et gens Arctois quæ se deduxit ab oris.
Cur dolor, & vanæ rodant tibi pectora curæ?
Quò quæruntur opes, si non quærenda voluptas?
Perge frui. haud peperit modicos industria census.
Pridem arcæ sexcenta premunt: tã certa Tabernæ
Pontis, & euectæ pelles, ganeæque lutúmque,
Tot referunt portus, tot ligna, redemptio fœni,
Et lotium. fluuio & portis venit omnibus aurum.
At caluit Fiscus, cessatque inferre Duumuir,
Assiduis mihi sunt vrgenda negotia curis.
Protinus ille vias omnes festinus oberrat.
Primùm adit Ædiles: hinc proxima flumina radit,
Ac Regem æratum: & verso temone vagatur,
Læta vbi se Venus oblectat Regione palustri.
Præterit & Scalam: longáque ambage recurrens,
Itque reditque, nouis quà sese mœnibus auxit

Vrbs ingens, pulsisque erexit tecta cloacis
Aurea. mox aulam Virbj leuis intrat, & altâ
Atria multus obit. tum denique tædia passus
Obsidet, explorátque aditus, raditque trementi
Vngue fores: donec disclusum tempore seruus
Exigit, & seris dat olentia prandia mensis.
Hoc Vrbis fatum est, ea sunt fastidia: verùm
Diripit immisso cunctantia milite rura
Andibus intentat flammas: dominatur in oris
Rhemorum: premit Aurelios: te, Matrona, regno
Occupat, expoliat Senonas, dominique Satelles
Quæstor iussa facit: depactúsque æra meretur,
Dum iugulat populos, dum vendit aratra, bouésq;
Qui saturant Aulam. si parcat, protinus alter
Præsto est, officiúmque explet: segnisque iubetur
Cogere sarcinulas. moderatur iura Redemptor,
Ac Themin arbitrio inflectit! Quò discere leges,
Nate, aiebat Abax? studia ocyus ista misellis
Desere. iampridem Parnassi in rupe Camænæ
Algent. Marcilius, Græcâ licet ebrius arte,
Et Latiâ, haud proprio duxit sibi funera sumptu.
Aridus ecce suâ pallet cum Pallade Terpus,
Ac damnat calamos. quis habet sua tecta Senator?
Sæpe tegit domus vna duos: ac sufficit vna
Rheda tribus. iam quinque palatia Medricus emit:
Deproperat sextum: quino tremit area curru.
Quàm sæpe egregio celebrat conuinia cultu!
Quot numerat seruos! nemo est iucundior Aulæ,

Terna Palatinis meruit ſtipendia caſtris:
Credita gaza viro eſt. ſed nec de ſanguine cretus
Patricio: ad menſam ſedit pater, & decoxit:
Collybus hunc aluit. quòd nouerit omnia Gemmæ
Dogmata, turbatas doctus ſubducere ſummas,
Summa tenet. faciles ſunt hæ diſcentibus artes:
His nec opes, nec honos, veneris nec munera deſunt,
Si tamen obfirmet generoſum audacia pectus,
Nec famæ te cura coquat, vulgi-ue frementis
Commoueare minis. hæc ſit tibi linea vitæ,
Vna tenenda via eſt, hoc itur ad ardua calle.
Quid virtus iam, nate, iuuat? venalia cuncta!
Sacra, Magiſtratus, operæ, ſanctæque Curules:
Cunctáque agit ſæuo dominata Pecunia nutu!
Hæc fugit præcepta puer, memoríque recondit
Pectore: priuatos hæc ducit regula mores,
Fœdáque ſerpſerunt latis contagia damnis.
Quid ſanum expectes? vitæ penetralia putrent,
Nec ſyncerus agit morboſos ſpiritus artus.
Legibus inſultant: pugnant pro legibus omnes!
Pronus in exitium prospero ruit impete currus;
Nec ſpes vlla leuat. quis enim ſuffiaminet axes?
Qui iuuat, ipſe necat: qui curat, & ipſe venenis
Inficit, afflatúque inſpirat funera morbis.
Iámque homines tibi ſubſidio, iam numina deſunt.
Ex quo falſa nouo pietas adoperta galero
Nacta fidem eſt: ſtultáſque oculo trahit illice gentes,
Sancta profanati ſoluuntur vincula ritûs.

Ex quo mellitis ausa est sermonibus Aulas
Ducere, perfacilésque vias mentitur olympi.
Et legum fræna exoluit, morésque seueros,
Quem puduit fas atque nefas confundere? & ausu
Sacrilego Latijs commercia nectere vittis?
Quem puduit bellare suis? prò tristia sæcla!
Contemerare toros? surgentem occidere fœtum?
Grassarique dolis? superaddere fœnore fœnus?
Comprimere annonam? surdo molimine mortes
Instruere? ac dubijs sua pacta resoluere dictis?
Hinc priuata fides iampridem, vt publica, fluxit.
Vendit iura Themis, vendit responsa Sacerdos.
Quærit opes, fastidit oues, ac multus in Aulâ
Vertitur, & fastum reditúsque Antistes anhelat.
Agmen agit, variisque subit gens versa cucullis.
Sacra colunt, crimènque fouent. cucumella patenti
Ore hiat in templis, naulum ingere, castior agno,
Pœnarúmque immunis abis. ne pectore cedant,
Indurant frontem, elidúntque è corde pudorem.
Ipse Deùm interpres, quem laurea sancta coronat,
Seditione trahit caulam, & se prodit, vt aras
Congerat. ipse Deùm reditus licitatur, & artes
Impius vsque nouat, Romanã & subruit arcem.
Quid iam plura querar? quë sura lutosa decorat,
Et vincta inducit nudis talaria plantis,
Otia nulla recens didicit permittere nummis.
Duráque dum tenebris ieiunia fingit in altis,
Macra venenatis dapibus sese hydra saginat,

Plurimáque infecto detraxit ſydera cœlo.
Hinc libet ignotos pelagi tranſmittere tractus,
Inter & immanes Hirocos, Huronás-ue vagari,
Atque altas habitare niues. Sed crimina noſtra
Huc velis delata ferunt. gentéſque repoſtæ
Caſtoreas noſtro permutant munere pelles.

AD AMPLISSIMVM CLARISSIMVMQVE VIRVM HIERONYMVM BIGNON

Regi à Conſiliis & in Senatu Pariſienſis Priorem Aduocatum Catholicum.

Epiſtola præcedentis ſatyræ dedicatoria.

QVòd de Satyrâ iam cogitem, qui plurimos viros cùm belli tum pacis artibus præſtantés hactenus ſine vllius offenſione commendaui, non eſt, Vir Ampliſſime, cur admireris. Poëſim quippe, vt pro tuâ ſummâ eruditione ac prudentiâ intelligis, oblectatio ſola non inuênit: ſed, vt ait Plato, diuinitus conceſſa eſt, vt hominum mores inſtituat, bonos, laudis præmio meliores efficiendo: prauos, reprehenſionis morſu ad veram rationis normam reuocando. Quandiu apud nos publicè & priuatim fides vtcúnque ſtetit: quãdiu aliqua iuris ratio in pleráſque tribunalibus, ac militaris diſciplinæ ſpecies in caſtris retenta eſt: quandiu Prouinciarum Ærariíque deprædatio non intolerabilis: Iuuentutis luxus & ignauia non ſupra modum

impudens, licentia mulierum, præsertim in hac vrbe Regiâ, vnde bona & mala longè latéque profluunt, non prorsus effrænata exciit: ambitus, auaritia, fœnus, alea, rerum omnium nundinatio, & immanis ille talium monstrorum comitatus maiores præcipuorum ordinum partes non omnino perditas habuit, quis non celebrandis potiùs non nullorum virtutibus, quàm proscindendis multorum vitiis animum appulisset, quòd æmulatio commodius remedium delicatis, quàm acris censura videatur? At, quia iam flagitia prævalent, & indies, quod syncerum superat, minuitur, etiam mihi, fortè quidem inconsulto, at certè minimè malo studio laboranti hæc asperiora excidérunt. Vix est, opinor, vt præsens rerum conditio, quæ belli dudum grassantis infœlix partus est, in melius flectatur, donec vis illius conciderit, ac virtutes, quas in Ludouico in dies lætiùs pubescentes cernimus, maturius robur acceperint. Me tamen ampliùs continere non potui, prudens in flammam manum injeci, & consarcinatam hanc vitiorum insectationem tibi, Vir Amplissime, virtutum acerrimo vindici, eó lubentiùs offero, quò te longiùs à reprehensione remotum esse sentis & omnes profitentur.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER QVARTVS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVIER

FRANCIÆ CANCELLARIO

AD COLLEGIVM

HARCVRIANVM

ACCEDENTI GRATVLATIO.

VNDE *repentinos sensere Harcuria motus*
Limina? purpureámq; vibrant rutilãtia lucẽ?
Quis nouus ille fragor? cui plaudit læta iuuentus?
Cui cantum orditur Phœbo cum præside Pallas,
Certatimque hilares trepidant occurrere Musæ?
Ecce redit iterum atque iterum venerabile nomen
Seguerij. iungo plausus, & pectoris æstum.
Salue Mens Patriæ: salue sanctissime Legum,
Ac sceleris Vindex: Lux alma impuberis Aulæ,

Ac viduæ Columen: per quem mea Gallia famã
Nacta decus, viréſque nouas, & fortibus aucta
Conſiliis, iam animis ſentit concordibus ire
Vnanimes populos: tot pridem fœdera ſeruat,
Tot Sociis ſeruile iugum diſcuſſit, & Arcton
Conciliat paci: ac geminæ ſibi clauſtra reuellit
Heſperiæ: Rheno victrix adiunxit Iberum,
Atque armis ſubnixa, nouiſque effulta trophæis
Edomitos ſupra populos ſe tollit Olympo.
Ergo humiles intrare domos dignaris! & ingens
Aſtrææ Solium, veterúmque Palatia Regum,
Quæ te facundis pandentem oracula dictis,
Magnarúmque ſtupent agitantem pondera rerum,
Non piget Harcuridum mutare penatibus arctis,
Hoſpitióque Deas ingenti ornare clientes!
Numina, quæ colui primis ætatis ab annis,
Queis linguas hominum, & ſanctos effingere mores,
Et laudem æternis fas eſt committere ſæclis,
Eia, decet, veſtri iam ſe omnis gloria cantûs
Explicet. hic Vir, hic eſt, caſto qui pectore veſtros
Quondam hauſit, Sophiæq; ſatus: quē ſuſtulit alma
Cum Pietate Fides; quem animi nullo impete, nullis
Seditione trahi docuit: non credere natum
Se ſibi, ſed vigili ſudare in publica curà;
Infeſtiſque vacare odiis: contemnere linguæ
Crimina, nec ſontem vlciſci: defendere ciuem,
Complectique inopes, nimiam vim frangere legum
Haſtarúmque minas. hic eſt, quē culmen Honorū,

Fortunæque fides, iurisque suprema potestas
Non sacit insano turgentem pectora fastu.
Quem non inuidiæ, non abstulit impetus iræ,
Non luxu vis fregit opum, testigit-ve voluptas:
Cui mens humanis nunquam tremit acta procellis,
Sed certa statione sedet: sibi vindicat ipsam,
Arbitriumque sui retinet, facilique seueros
Tranquillat mores aditu: grauitate Tribunal
Munit, & admissa rursum bonitate serenat.
Talem Cecropidæ sanctum videre Solonem,
Cum sera per iustas mollirit pectora leges,
Duxit & in socias communia fœdera vitæ.
Talem Romulidæ geminum stupuere Catonem,
Seu belli curæ insarent, seu ciuicus ardor,
Ac dubitas anceps traheret discordia partes.
O si compositis agitaueris otia bellis,
Gallia, priuatos nec publica commoda census
Absumant: si prisca Themis sibi frœna resumat,
O te felicem tali sub Vindice legum!
Crimina vincta gement, missæ virtutibus Artes
Celsæ ibunt, surget veteris nitor aureus ævi.
Tunc syncera Fides, & Pax secura ligabit
Concordes animos, procul insidiosa Simultas,
Et Timor, & rabidæ procul hinc Petulantia linguæ:
Vis & Auaritia immanis, luxuque fluentes
Delitiæ, morsuque furens sine fine Rapina,
Atque assueta inopum vastis pinguescere damnis.
Quos coluit sibi quisque, sibi metet ipse nouales:

Quos colet, ipſe ſibi decerpet ab arbore fructus.
Nec iam longa mora eſt (votis Rhamnuſia ſiqua
Læua fauet) Francos ditabit Copia cornu.
Vos quoquè fœlices, chariſſima numina, Muſæ,
Eriget altus honos: ac læta per otia gentis
Facta attolletis cælo, Natúmque Patrémque
Annæque illuſtres curas: tot parta trophæa,
Tam latè auſpiciis captas puerilibus vrbes,
Armis Borbonidûm recluſas æquoris vndas,
Segueriique fidem ſeros mittetis in annos.
Intereà, qui Pœoniæ celeberrimus Artis
Omnibus Autor ades, Columen tutare Camœnis
Seguerium: per te ſecura ſtet Ancora Regni,
Et rebus Spes vna tuis. non ſentiat æui
Pondera: da ſenior iuuenes reuireſcat in annos,
Et quem conſilio, ſenio quoque Neſtora vincat.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
POMPONIVM
DE BELLIEVRE
Senatus Pariſienſis Principem.

QVòd nuper à me carmina poſtulaueris, Præſes Illuſtriſſime, id quidem mihi honorificum eſſe duxi: cùm tua poſtulatio piam ex meis vigiliis prodire poſſe ſi-

gnificaret, quod illa humanissimâ eruditione Tuâ non prorsus indignum videatur. Mihi verò cogitanti quam scribendi materiam assumerem, vix vlla protinus ad gustum occurrebat. Nam licet illa virtus, quâ Magistratum amplissimum exornas: licet illa vis animi, quæ tanto rerum pondere, quod sustines, Te maiorem facit: acris cura in iis repurgandis, quæ Senatûs dignitatem aliquandiu maculârunt: singularis industria in coadunandis voluntatibus, quas discordia secessu distractas non ita pridem commiserat: integritas in iure dicundo: in expediendis litibus diligentia: illa denique castissima vitæ cùm publicæ tum priuatæ gloria: quâ meritò commendaris, meum animum ad se pertraherent: hoc tamen vnum obstitit, ne, si iam ad illa bona, quæ Te Maiorum illustrium vestigiis insistentem dudum ostendunt, ac mores & facta Tui vtriusque Aui Cancellarij maturè præuertentem ad primam illam Regni stationem aliquando efferent, commemoranda accederem, id tuæ modestiæ grauius accideret, ac mihi non ram certi cuiusdam consilij quàm oblatæ adulationis speciem obtendere videretur. Neque verò præsens Gallicæ rei conditio Poëtæ Regio quidpiam opportunum objiciebat. Quis

Vſq; noua, vt quadrans anni. miſer ah! miſer, apti
Si dare cunctetur. præſens illudit adulter,
Illa iuuat, dubiæque vibrant conuicia linguæ.
Ipſe tamen didicit venienti aſſurgere: & vltro
De more affatus cedit, dulcéſque ſuſurros,
Quos Phryges intexti, quos tantùm lectulus audit,
Nec fas extractos in multam rumpere noctem.
Mox tædet, gyróque diu nec currit eodem.
Delicias nouat, atque epulis indulget opimis:
Aut doctum vocat, vt blæſo balbutiat ore
Pauca Italè, Sophiæ-ve aliquid, quod ſydera monſtrent,
Terrarum-ve ſitus. vel Epiſtola plurima curſat,
Vel formam in tenebris reparat: ſomnóq; ſepultam
Non niſi ſub medium properans ſol excitat axem.
Sæpius at pulſis reſonant tecta ampla fritillis,
Hanc circum coiere, frequens quos alea mutat,
Decoctor, mimus, ganeo, paraſitus, adulter,
Nupta, innupta, ſenex, miléſque ſimúlq; Togatus,
Et, quos inguen alit, Balathronum plurima turba.
Hinc plenos haurire ſinus. deponere deinde
Gemmas, auratos currus, ternóſque iugales,
Mox aulæa, abacos, proauitáq; prædia, & altas,
Quas habitant, ædes, vno committere iactu,
Nec gemere. infœlix non parcit fœmina collo.
Indica diripitur torques, & gloria dextræ,
Atque adamantæus ſorti tranſcribitur orbis.
Sæpe etiam luſit nudis ingloria mammis,

Et capite inculto. tum, vix benè parca pudoris,
Purpureæ cùm iam se prima crepuscula lucis
Ostendunt, totam curru stridente per Vrbem
Præcipitans, redit insano dilecta marito.
Ipsa auersa cubat, tanquam mœstissima damnis,
Aucupe blanditias animo, ac solatia quærit,
Callida, & expresso dolet oblectamina fletu.
Ille moræ impatiẽs, lacrymantẽ amplexus, inhæret,
Solatúrque ægram. quid eges? maiora supersunt,
In fundo nummus non tinniit vltimus imo.
Centum misit Atax, addictáque Santonis ora:
Plura Liger. totus nostro iam Lædus in ære est,
Et gens Arctois quæ se deduxit ab oris.
Cur dolor, & vanæ rodant tibi pectora curæ?
Quò quæruntur opes, si non quærenda voluptas?
Perge frui. haud peperit modicos industria census.
Pridem arcæ sexcenta premunt: tã certa Tabernæ
Pontis, & euectæ pelles, ganeæque lutúmque,
Tot referunt portus, tot ligna, redemptio fœni,
Et lotium. fluuio & portis venit omnibus aurum.
At caluit Fiscus, cessatque inferre Duumuir,
Assiduis mihi sunt vrgenda negotia curis.
Protinus ille vias omnes festinus oberrat.
Primùm adit Ædiles: hinc proxima flumina radit,
Ac Regem æratum: & verso temone vagatur,
Læta vbi se Venus oblectat Regione palustri.
Præterit & Scalam: longáque ambage recurrens,
Itque reditque, nouis quà sese mœnibus auxit

Vrbs ingens, pulsisque erexit tecta cloacis
Aurea. mox aulam Virbj leuis intrat, & altâ
Atria multus obit. tum denique tædia passus
Obsidet, explorátque aditus, raditque trementi
Vngue fores: donec disclusum tempore seruus
Exigit, & seris dat olentia prandia mensis.
Hoc Vrbis fatum est, ea sunt fastidia: verùm
Diripit immisso cunctantia milite rura
Andibus intentat flammas: dominatur in oris
Rhemorum; premit Aurelios: te, Matrona, regno
Occupat, expoliat Senonas, dominique Satelles
Quæstor iussa facit: depactúsque æra meretur,
Dum iugulat populos, dum vendit aratra, bouésq;
Qui saturant Aulam. si parcat, protinus alter
Præsto est, officiúmque explet: segnisque iubetur
Cogere sarcinulas. moderatur iura Redemptor,
Ac Themin arbitrio inflectit! Quò discere leges,
Nate, aiebat Abax? studia ocyus ista misellis
Desere. iampridem Parnassi in rupe Camœnæ
Algent. Marcilius, Græcâ licet ebrius arte,
Et Latiâ, haud proprio duxit sibi funera sumptu.
Aridus ecce suâ pallet cum Pallade Terpus,
Ac damnat calamos. quis habet sua tecta Senator?
Sæpe tegit domus vna duos: ac sufficit vna
Rheda tribus. iam quinque palatia Medricus emit:
Deproperat sextum: quino tremit area curru.
Quàm sæpe egregio celebrat conuiuia cultu!
Quot numerat seruos! nemo est iucundior Aulæ,

Terna Palatinis meruit stipendia castris:
Credita gaza viro est, sed nec de sanguine cretus
Patricio: ad mensam sedit pater, & decoxit:
Collybus hunc aluit, quod nouerit omnia Gemmæ
Dogmata, turbatas doctus subducere summas,
Summa tenet. faciles sunt hæ discentibus artes:
His nec opes, nec honos, veneris necmunera desunt,
Si tamen obfirmet generosum audacia pectus,
Nec famæ tecura coquat, vulgi-ue frementis
Commoueare minis, hæc sit tibi linea vitæ,
Vna tenenda via est, hoc itur ad arduu calle.
Quid virtus iam, nate, inuat? venalia cuncta!
Sacra, Magistratus, operæ, sanctæque Curules:
Cunctaque agit sæuo dominata Pecunia nutu!
Hæc fugit præcepta puer, memorique recondit
Pectore: priuatos hæc ducit regula mores,
Fœdaque serpserunt latis contagia damnis.
Quid sanum expectes? vitæ penetralia putrent,
Nec syncerus agit morbosos spiritus artus.
Legibus insultant: pugnant pro legibus omnes!
Pronus in exitium propero ruit impete currus;
Nec spes vlla leuat, quis enim sufflaminet axes?
Qui iuuat, ipse necat: qui curat, & ipse venenis
Inficit, afflatúque inspirat funera morbis.
Iamque homines tibi subsidio, iam numina desunt.
Ex-quo falsa nouo pietas adoperta galero
Nactaa fidem est: stultasque oculo trahit illice gentes,
Sanctia profanati soluuntur vincula ritus.

Ex quo mellitis ausa est sermonibus Aulas
Ducere, perfacilésque vias mentitur olympi.
Et legum fræna exoluit, morésque seueros,
Quem puduit fas atque nefas confundere? & ausu
Sacrilego Latijs commercia nectere vittis?
Quem puduit bellare suis? prò tristia sæcla!
Contemerare toros? surgentem occidere fœtum?
Grassarique dolis? superaddere fœnore fœnus?
Comprimere annonam? surdo molimine mortes
Instruere? ac dubijs sua pacta resoluere dictis?
Hinc priuata fides iampridem, vt publica, fluxit.
Vendit iura Themis, vendit responsa Sacerdos.
Quærit opes, fastidit oues, ac multus in Aulà
Vertitur, & fastum reditúsque Antistes anhelat.
Agmen agit, variisque subit gens versa cucullis.
Sacra colunt, criménque fouent. cucumella patenti
Ore hiat in templis, naulum ingere, castior agno,
Pœnarúmque immunis abis. ne pectore cedant,
Indurant frontem, elidúntque è corde pudorem.
Ipse Deûm interpres, quem laurea sancta coronat,
Seditione trahit caulam, & se prodit, vt aras
Congerat, ipse Deûm reditus licitatur, & artes
Impius vsque nouat, Romanã & subruit arcem.
Quid iam plura querar? quë sura lutosa decorat,
Et vincta inducit nudis talaria plantis,
Otia nulla recens didicit permittere nummis.
Duráque dum tenebris ieiunia fingit in altis,
Macra venenatis dapibus sese hydra saginat,

Plurimáque infecto detraxit ſydera cœlo.
Hinc libet ignotos pelagi tranſmittere tractus,
Inter & immanes Hirocos, Huronás-ue vagari,
Atque altas habitare niues. Sed crimina noſtra
Huc velis delata ferunt. gentéſque repoſtæ
Caſtoreas noſtro permutant munere pelles.

AD AMPLISSIMVM CLARISSIMVMQVE VIRVM HIERONYMVM BIGNON

Regi à Conſiliis & in Senatu Pariſienſis Priorem Aduocatum Catholicum.

Epiſtola præcedentis Satyræ dedicatoria.

QVòd de Satyrâ iam cogitem, qui plurimos viros cùm belli tum pacis artibus præſtantes hactenus ſine vllius offenſione commendaui, non eſt, Vir Ampliſſime, cur admireris. Peëſim quippe, vt pro tuâ ſummâ eruditione ac prudentiâ intelligis, oblectatio ſola non inuênit: ſed, vt ait Plato, diuinitus conceſſa eſt, vt hominum mores inſtituat, bonos, laudis præmio meliores efficiendo: prauos, reprehenſionis morſu ad veram rationis normam reuocando. Quandiu apud nos publicè & priuatim fides vtcúnque ſtetit: quãdiu aliqua iuris ratio in pleríſque tribunalibus, ac militaris diſciplinæ ſpecies in caſtris retenta eſt: quandiu Prouinciarum Ærariíque deprædatio non intolerabilis: Iuuentutis luxus & ignauia non ſupra modum

impudens, licentia mulierum, præsertim in hac vrbe Regiâ, vnde bona & mala longè latèque profluunt, non prorsus effrænata extitit: ambitus, auaritia, fœnus, alea, rerum omnium nundinatio, & immanis ille talium monstrorum comitatus maiores præcipuorum ordinum partes non omnino perditas habuit, quis non celebrandis potiùs non nullorum virtutibus, quàm proscindendis multorum vitiis animum appulisset, quòd æmulatio commodius remedium delicatis, quàm acris censura videatur? At, quia iam flagitia prævalent, & indies, quod syncerum superexat, minuitur, etiam mihi, fortè quidem inconsulto, at certè minimè malo studio laboranti hæc asperiora exciderunt. Vix est, opinor, vt præsens rerum conditio, quæ belli dudum grassantis infœlix partus est, in melius flectatur, donec vis illius conciderit, ac virtutes, quas in Ludouico in dies lætiùs pubescentes cernimus, maturius robur acceperint. Me tamen ampliùs continere non potui, prudens in flammam manum injeci, & confarcinatam hanc vitiorum insectationem tibi, Vir Amplissime, virtutum acerrimo vindici, eò lubentiùs offero, quò te longiùs à reprehensione remotum esse sentis & omnes profitentur.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER QVARTVS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVIER

FRANCIÆ CANCELLARIO

AD COLLEGIVM HARCVRIANVM

ACCEDENTI GRATVLATIO.

VNDE *repentinos sensere Harcuria motus*
Limina? purpureamq; vibrant rutilatia lucē?
Quis nouus ille fragor? cui plaudit læta iuuentus?
Cui cantum ordirur Phœbo cum præside Pallas,
Certatimque hilares trepidant occurrere Musæ?
Ecce redit iterum atque iterum venerabile nomen
Seguerij. iungo plausus, & pectoris æstum.
Salue Mens Patriæ: salue sanctissime Legum,
Ac sceleris Vindex: Lux alma impuberis Aulæ,

Ac viduæ Columen: per quem mea Gallia famæ
Nacta decus, viresque nouas, & fortibus aucta
Consiliis, iam animis sentis concordibus ire
Vnanimes populos: tot pridem fœdera seruat,
Tot Socios seruile iugum discussit, & Arctos
Conciliat paci: ac geminæ sibi claustra reuellit
Hesperiæ: Rheno victrix adiunxis Iberum,
Atque armis subnixa, nouisque effulta trophæis
Edomitos supra populos se tollit Olympo.
Ergo humiles intrare domos dignaris! & ingens
Astrææ Solium, veterimque Palatia Regum,
Quæ te fœcundis pandentem oracula dictis,
Magnarumque stupent agitantem pondera rerum,
Non piget Harcuridum mutare penatibus arctis,
Hospitioque Deas ingenti ornare clientes!
Numina, quæ colui primis ætatis ab annis,
Queis linguas hominum, & sanctos effingere mores,
Et laudem æternis fas est committere sæclis,
Eia, decet, vestri iam se omnis gloria cantûs
Explicet. hic Vir, hic est, casto qui pectore vestros
Quondam hausit, Sophiæqs satus: quê sustulit almæ
Cum Pietate Fides: quem animi nullo impete, nullâ
Seditione trahi docuit: non credere natum
Se sibi, sed vigili sudare in publica curâ;
Infestisque vacare odiis: contemnere linguæ
Crimina, nec sontem vlcisci: defendere ciuem,
Complectique inopes, nimiam vim frangere legum
Asperitatemque minas. hic est, quê culmen Honoris,

Fortunæque fides, iurisque suprema potestas
Non facit insano turgentem pectora fastu.
Quem non insidiæ, non absoluti impetus iræ,
Non luxu vis fregit opum, tetigit-ve voluptas:
Cui mens humanis nunquam tremit acta procellis,
Sed certa statione sedet: sibi vindicat ipsam,
Arbitriumque sui retinet, facilique seueros
Tranquillas mores aditu: oranitate Tribunal
Munit, & admissa rursum bonitate serenat.
Talem Cecropidæ sanctum videre Solonem,
Cùm fera per iustas mollirit pectora leges,
Duxit & in socias communia fœdera vitæ.
Talem Romuleæ geminum stupuere Catonem,
Seu belli curæ insisterent, seu ciuicus ardor,
Ac dubias anceps traheret discordia partes.
O si compositis agitaueris otia bellis,
Gallia, primatos nec publica commoda census
Absumant: si prisca Themis sibi fræna resumat,
O te felicem tali sub Vindice legum!
Crimina vincta gement; missæ virtutibus Artes
Celsæ ibunt, surget veteris nitor aureus ævi.
Tunc syncera Fides, & Pax secura ligabit
Concordes animos, procul insidiosa Simultas,
Et Timor, & rabidæ procul hinc Petulitia linguæ:
Vis & Auaritia immanis, luxuque fluentes
Deliciæ, morsque furens sine fine Rapina,
Atque assueta inopum vastis pinguescere damnis,
Quos coluit sibi quisque, sibi metet ipse nouales:

Quos colet, ipſe ſibi decerpet ab arbore fructus.
Nec iam longa mora eſt (votis Rhamnuſia ſi quà
Læua fauet) Francos ditabit Copia cornu.
Vos quoque fœlices, chariſſima numina, Muſæ,
Eriget altus honos: ac læta per otia gentis
Facta attolletis cælo, Natúmque Patrémque
Annæque illuſtres curas: tot parta trophæa,
Tam latè auſpiciis captas puerilibus vrbes,
Armis Borbonidûm recluſas æquoris vndas,
Seguerijque fidem ſeros mittetis in annos.
Intereà, qui Pœoniæ celeberrimus Artis
Omnibus Autor ades, Columen tutare Camœnis
Seguerium: per te ſecura ſtet Ancora Regni,
Et rebus Spes vna tuis. non ſentiat æui
Pondera: da ſenior iuuenes reuireſcat in annos,
Et quem conſilio, ſenio quoque Neſtora vincat.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
POMPONIVM
DE BELLIEVRE
Senatus Pariſienſis Principem.

QVòd nuper à me carmina poſtulaueris, Præſes Illuſtriſſime, id quidem mihi perhonorificum eſſe duxi: cùm tua poſtulatio quidpiam ex meis vigiliis prodire poſſe ſi-

gnificaret, quod illa humaniſſimâ eruditione Tuâ non prorſus indignum videatur. Mihi verò cogitanti quam ſcribendi materiam aſſumerem, vix vlla protinus ad guſtum occurrebat. Nam licet illa virtus, quâ Magiſtratum ampliſſimum exornas: licet illa vis animi, quæ tanto rerum pondere, quod ſuſtines, Te maiorem facit: acris cura in iis repurgandis, quæ Senatûs dignitatem aliquandiu macularunt: ſingularis induſtria in coadunandis voluntatibus, quas diſcordia ſeceſſu diſtractas non ita pridem commiſerat: integritas in iure dicundo: in expediendis litibus diligentia: illa denique caſtiſſima vitæ cùm publicæ tum priuatæ gloria: quâ meritò commendaris, meum animum ad ſe pertrahebant: hoc tamen vnum obſtitit, ne, ſi iam ad illa bona, quæ Te Maiorum illuſtrium veſtigiis inſiſtentem dudum oſtendunt, ac mores & facta Tui vtriúſque Aui Cancellarij maturè præuertentem ad primam illam Regni ſtationem aliquando efferent, commemoranda accederem, id tuæ modeſtiæ grauius accideret, ac mihi non tam certi cuiuſdam conſilij quàm oblatæ adulationis ſpeciem obtendere videretur. Neque verò præſens Gallicæ rei conditio Poëtæ Regio quidpiam opportunum objiciebat. Quis

Vsq; nouæ, vt quadrans anni. miser ah! miser, apte
Si dare cunctetur. præsens illudit adulter,
Illa inuat, dubitæque vibrant conuicia linguæ.
Ipse tamen didicit venienti assurgere: & vltro
De more affatus cedit, dulceſque ſuſurros,
Quos Phryges intexti, quos tantum lectulus audit,
Nec ſua extractos in multam rumpere noctem.
Mox iædet, gyrôque diu nec currit eodem.
Delicias nouat, atque epulis indulget opimis:
Aut doctum vocat, vt blæſo ballutiat ore
Panca Italè, Sophiæ-ve aliquid, quod ſydera monſtrent,
Terrarum ve ſitus. vel Epiſtola plurima curſat,
Vel formam in tenebris reparat: ſomnóq; ſepultam
Non niſi ſub medium properans ſol excitat axem.
Sæpius at pulſis reſonant tecta ampla fritillis,
Hanc circum coiere, frequens quos alea mutat,
Decoctor, mimus, ganeo, paraſitus, aduler,
Nupta, innupta, ſenex, miſeſque ſimúlq; Togatus,
Et, quos ingluen alit, Balathronum plurima turba.
Hinc plenos haurire ſinus, deponere deinde
Gemmas, auratos currus, ternóſque iugales,
Mox aulæa, abacos, prouatiaq; prædia, & altas,
Quas habitant, ædes, vno committere tactu,
Nec gemere. infelix non parcit fœmina collo.
Indica diripitur torques, & gloria dextræ,
Atque adamantæus ſorti tranſcribitur orbis.
Sæpe etiam luſit nudis ingloria mammis,

Et capite inculto. tum, vix benè parca pudoris,
Purpureæ cùm iam ſe prima crepuſcula lucis
Oſtendunt, totam curru ſtridente per Vrbem
Præcipitans, redit inſano dilecta marito.
Ipſa auerſa cubat, tanquam mœſtiſſima damnis:
Aucupe blanditias animo, ac ſolatia quærit,
Callida, & expreſſo dolet oblectamina fletu.
Ille moræ impatiẽs, lacrymantẽ amplexus, inhæret,
Solatúrque ægram. quid eges? maiora ſuperſunt,
In fundo nummus non tinniit vltimus imo.
Centum miſit Atax, addictáque Santonis ora
Plura Liger. totus noſtro iam Lædus in ære eſt,
Et gens Arctois quæ ſe deduxit ab oris.
Cur dolor, & vanæ rodant tibi pectora curæ?
Quò quæruntur opes, ſi non quærenda voluptas?
Perge frui. haud peperit modicos induſtria cenſus.
Pridem arcæ ſexcenta premunt: tã certa Tabernæ
Pontis, & euectæ pelles, ganeæque lutúmque,
Tot referunt portus, tot ligna, redemptio fœni,
Et lotium. fluuio & portis venit omnibus aurum.
At caluit Fiſcus, ceſſatque inferre Duumuir,
Aſſiduis mihi ſunt vrgenda negotia curis.
Protinus ille vias omnes feſtinus oberrat.
Primùm adit Ædiles: hinc proxima flumiña radit,
Ac Regem æratum: & verſo temone vagatur,
Læta vbi ſe Venus oblectat Regione paluſtri.
Præterit & Scalam: longáque ambage recurrens,
Itque reditque, nouis quà ſeſe mœnibus auxit

Vrbs ingens, pulsiſque erexit tecta cloacis
Aurea. mox aulam Virbj leuis intrat, & altâ
Atria multus obit. tum denique tædia paſſus
Obſidet, exploràtque aditus, raditque tremente
Vngue fores: donec diſcluſum tempore ſeruus
Exigit, & ſeris dat olentia prandia menſis.
Hoc Vrbis fatum eſt, ea ſunt faſtidia: verùm
Diripit immiſſo cunctantia milite rura
Andibus intentat flammas: dominatur in oris
Rhemorum: premit Aurelios: te, Matrona, regno
Occupat, expoliat Senonas, dominique Satelles
Quæſtor iuſſa facit: depactúſque æra meretur,
Dum iugulat populos, dum vendit aratra, bouéſq;
Qui ſaturant Aulam. ſi parcat, protinus alter
Præſto eſt, officiúmque explet: ſegniſque iubetur
Cogere ſarcinulas. moderatur iura Redemptor,
Ac Themin arbitrio inflectit! Quò diſcere leges,
Nate, aiebat Abax? ſtudia ocyus iſta miſellis
Deſere. iampridem Parnaſſi in rupe Camœnæ
Algent. Marcilius, Græcâ licet ebrius arte,
Et Latiâ, haud proprio duxit ſibi funera ſumptu.
Aridus ecce ſuâ pallet cum Pallade Terpus,
Ac damnat calamos. quis habet ſua tecta Senator?
Sæpe tegit domus vna duos: ac ſufficit vna
Rheda tribus. iam quinque palatia Medricus emit:
Deproperat ſextum: quino tremit area curru.
Quàm ſæpe egregio celebrat conuiuia cultu!
Quot numerat ſeruos! nemo eſt iucundior Aulæ,

Terna Palatinis meruit ſtipendia caſtris:
Credita gaza viro eſt. ſed nec de ſanguine cretus
Patricio: ad menſam ſedit pater, & decoxit:
Collybus hunc aluit. quòd nouerit omnia Gemmæ
Dogmata, turbatas doctus ſubducere ſummas,
Summa tenet. faciles ſunt hæ diſcentibus artes:
His nec opes, nec honos, veneris nec munera deſunt,
Si tamen obfirmet generoſum audacia pectus,
Nec famæ te cura coquat, vulgi-ue frementis
Commoueare minis. hæc ſit tibi linea vitæ,
Vna tenenda via eſt, hoc itur ad ardua calle.
Quid virtus iam, nate, iuuat? venalia cuncta!
Sacra, Magiſtratus, operæ, ſanctæque Curules:
Cunctáque agit ſæuo dominata Pecunia nutu!
Hæc fugit præcepta puer, memorique recondit
Pectore: priuatos hæc ducit regula mores,
Fœdáque ſerpſerunt latis contagia damnis.
Quid ſanum expectes? vitæ penetralia putrent,
Nec ſyncerus agit morboſos ſpiritus artus.
Legibus inſultant: pugnant pro legibus omnes!
Pronus in exitium propero ruit impete currus;
Nec ſpes vlla leuat. quis enim ſufflaminet axes?
Qui iuuat, ipſe necat: qui curat, & ipſe venenis
Inficit, afflatúque inſpirat funera morbis.
Iámque homines tibi ſubſidio, iam numina deſunt.
Ex quo falſa nouo pietas adoperta galero
Nacta fidem eſt: ſtultáſque oculo trahit illice gentes,
Sancta profanati ſoluuntur vincula ritûs.

Plurimáque infecto detraxit ſydera cœlo.
Hinc libet ignotos pelagi tranſmittere tractus,
Inter & immanes Hirocos, Huronás-ue vagari,
Atque altas habitare niues. Sed crimina noſtra
Huc velis delata ferunt. gentéſque repoſtæ
Caſtoreas noſtro permutant munere pelles.

AD AMPLISSIMVM CLARISSIMVMQVE VIRVM HIERONYMVM BIGNON

Regi à Conſiliis & in Senatu Pariſienſis Priorem Aduocatum Catholicum.

Epiſtola præcedentis Satyræ dedicatoria.

QVòd de Satyrâ iam cogitem, qui plurimos viros cùm belli tum pacis artibus præſtantes hactenus ſine vllius offenſione commendaui, non eſt, Vir Ampliſſime, cur admireris. Poëſim quippe, vt pro tuâ ſummâ eruditione ac prudentiâ intelligis, oblectatio ſola non inuênit: ſed, vt ait Plato, diuinitus conceſſa eſt, vt hominum mores inſtituat, bonos, laudis præmio meliores efficiendo: prauos, reprehenſionis morſu ad veram rationis normam reuocando. Quandiu apud nos publicè & priuatim fides vtcúnque ſtetit: quãdiu aliqua iuris ratio in pleráſque tribunalibus, ac militaris diſciplinæ ſpecies in caſtris retenta eſt: quandiu Prouinciarum Ærariíque deprædatio non intolerabilis: Iuuentutis luxus & ignauia non ſupra modum

impudens, licentia mulierum, præsertim in hac vrbe Regiâ, vnde bona & mala longè latéque profluunt, non prorsus effrænata exitit: ambitus, auaritia, fœnus, alea, rerum omnium nundinatio, & immanis ille talium monstrorum comitatus maiores præcipuorum ordinum partes non omnino perditas habuit, quis non celebrandis potiùs non nullorum virtutibus, quàm proscindendis multorum vitiis animum appulisset, quòd æmulatio commodius remedium delicatis, quàm acris censura videatur? At, quia iam flagitia prævalent, & indies, quod syncerum superesset, minuitur, etiam mihi, fortè quidem inconsulto, at certè minimè malo studio laboranti hæc asperiora excidérunt. Vix est, opinor, vt præsens rerum conditio, quæ belli dudum grassantis infœlix partus est, in melius flectatur, donec vis illius conciderit, ac virtutes, quas in Ludouico in dies lætiùs pubescentes cernimus, maturius robur acceperint. Me tamen ampliùs continere non potui, prudens in flammam manum injeci, & consarcinatam hanc vitiorum infectationem tibi, Vir Amplissime, virtutum acerrimo vindici, eó lubentiùs offero, quò te longiùs à reprehensione remotum esse sentis & omnes profitentur.

PETRI HALLÆI

POEMATVM

LIBER QVARTVS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVIER

FRANCIÆ CANCELLARIO

AD COLLEGIVM HARCVRIANVM

ACCEDENTI GRATVLATIO.

VNDE repentinos sensere Harcuria motus
Limina? purpureâque vibrant rutilatia luce?
Quis nouus ille fragor? cui plaudit læta iuuentus?
Cui cantum orditur Phœbo cum præside Pallas,
Certatimque hilares trepidant occurrere Musæ?
Ecce redit iterum atque iterum venerabile nomen
Seguerij. iungo plausus, & pectoris æstum.
Salue Mens Patriæ: salue sanctissime Legum,
Ac sceleris Vindex: Lux alma impuberis Aulæ,

Ac viduæ Columen: per quem mea Gallia famæ
Nacta decus, viresque nouas, & fortibus audax
Consiliis, iam animis sentit concordibus ire
Vnanimes populos: tot pridem fœdera seruat,
Tot Socia seruile iugum discussit, & Arctos
Conciliat paci: ac geminæ sibi claustra reuellit
Hesperiæ: Rheno victrix adiunxit Iberum,
Atque armis subnixa, nouisque effulta trophæis
Edomitos supra populos se tollit Olympo.
Ergo humiles intrare domos dignaris! & ingens
Astrææ Solium, veterimque Palatia Regum,
Quæ te facundis pandentem oracula dictis,
Magnarumque stupent agitantem pondera rerum,
Non piget Harcuridum mutare penatibus arctis,
Hospitioque Deas ingenti ornare clientes!
Numina, quæ colui primis ætatis ab annis,
Queis linguas hominum, & sanctos effingere mores,
Et laudem æternis fas est committere fœlix,
Eia, decet, vestri iam se omnis gloria cantus
Explicet. hic Vir, hic est, casto qui pectore vestros
Quondam hausit, Sophiæq; satus: quê sustulit almæ
Cum Pietate Fides, quem animi nullo impete, nullis
Seditione trahi docuit: non credere natum
Se sibi, sed vigili sudare in publica curæ,
Infestisque vacare odiis: contemnere linguæ
Crimina, nec sontem vlcisci: defendere ciuem,
Complectique inopes, nimiam vim frangere legum
Hastarumque minas. hic est, quê culmen Honoris

Fortunæque fides, iurisque suprema potestas
Non facit insano turgentem pectora fastu.
Quem non inuidiæ, non abstulit impetus iræ,
Non luxu vis fregit opum, tetigit-ve voluptas:
Cui mens humanis nunquam tremit acta procellis,
Sed certà statione sedet: sibi vindicat ipsam,
Arbitriúmque sui retinet; facilique seueros
Tranquillat mores aditu: grauitate Tribunal
Munit, & admistà rursum bonitate serenat.
Talem Cecropidæ sanctum videre Solonem,
Cùm fera per iustas molliuit pectora leges,
Duxit & in sociæ communia fœdera vitæ.
Talem Romulidæ geminum stupuere Catonem,
Seu belli curæ instarent, seu ciuicus ardor,
Ac dubias anceps traheret discordia partes.
O si compositis agitaueris otia bellis,
Gallia, priuatos nec publica commoda census
Absumant: si prisca Themis sibi fræna resumat,
O te felicem tali sub Vindice legum!
Crimina vincta gement; mistæ virtutibus Artes
Celsæ ibunt, surget veteris nitor aureus æui.
Tunc syncera Fides, & Pax secura ligabit
Concordes animos. procul insidiosa Simultas,
Et Timor, & rabidæ procul hinc Petulãtia lingua:
Vis & Auaritia immanis, luxúque fluentes
Deliciæ, morsúque furens sine fine Rapina,
Atque assueta inopum vastis pinguescere damnis.
Quos coluit sibi quisque, sibi metet ipse nouales:

Quos colet, ipſe ſibi decerpet ab arbore fructus.
Nec iam longa mora eſt (votis Rhamnuſia ſi quâ
Læua fauet) Francos ditabit Copia cornu.
Vos quoquè fœlices, chariſſima numina, Muſæ,
Eriget altus honos: ac læta per otia gentis
Facta attolletis cælo, Natúmque Patrémque
Annæque illuſtres curas: tot parta trophæa,
Tam latè auſpiciis captas puerilibus vrbes,
Armis Borbonidûm recluſas æquoris vndas,
Segueriique fidem ſeros mittetis in annos.
Intereà, qui Pœoniæ celeberrimus Artis
Omnibus Autor ades, Columen tutare Camœnis
Seguerium: per te ſecura ſtet Ancora Regni,
Et rebus Spes vna tuis. non ſentiat æui
Pondera: da ſenior iuuenes reuireſcat in annos,
Et quem conſilio, ſenio quoque Neſtora vincat.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
POMPONIVM
DE BELLIEVRE
Senatus Pariſienſis Principem.

QVòd nuper à me carmina poſtulaueris, Præſes Illuſtriſſime, id quidem mihi perhonorificum eſſe duxi: cùm tua poſtulatio quidpiam ex meis vigiliis prodire poſſe ſi-

gnificaret, quod illa humaniſſimâ eruditione Tuâ non prorſus indignum videatur. Mihi verò cogitanti quam ſcribendi materiam aſſumerem, vix vlla protinus ad guſtum occurrebat. Nam licet illa virtus, quâ Magiſtratum ampliſſimum exornas: licet illa vis animi, quæ tanto rerum pondere, quod ſuſtines, Te maiorem facit: acris cura in iis repurgandis, quæ Senatûs dignitatem aliquandiu macularunt: ſingularis induſtria in coadunandis voluntatibus, quas diſcordia ſeceſſu diſtractas non ita pridem commiſerat: integritas in iure dicundo: in expediendis litibus diligentia: illa denique caſtiſſima vitæ cùm publicæ tum priuatæ gloria: quâ meritò commendaris, meum animum ad ſe pertraherent: hoc tamen vnum obſtitit, ne, ſi iam ad illa bona, quæ Te Maiorum illuſtrium veſtigiis inſiſtentem dudum oſtendunt, ac mores & facta Tui vtriuſque Aui Cancellarij maturè præuertentem ad primam illam Regni ſtationem aliquando efferent, commemoranda accederem, id tuæ modeſtiæ grauius accideret, ac mihi non tam certi cuiuſdam conſilij quàm oblatæ adulationis ſpeciem obtendere videretur. Neque verò præſens Gallicæ rei conditio Poëtæ Regio quidpiam opportunum objiciebat. Quis

enim è Patriæ cineribus quæpiam exire vatē,
& illum acerbos gementiū populorū luctus
canere patienter ferat? præsertim, cùm ad
id nulla cogat necessitas, non maximorum
Optimatium cura vel conditio desideret, nec
vlla inducat emolumenti expectatio. Carmi-
nis igitur materiam aliunde accersiui, egre-
gium quidem bellicæ virtutis facinus: quod
non Melitensibus tantùm saluti extitit, sed
etiam Christianæ Religionis Arci securitatem
conseruauit: & illud Tibi, Præses Illustriſſi-
me, eò libentiùs offero, quod, licet pluri-
mæ nationes gloriæ illius se participes fuisse
prædicent, Gallica tamen potiorem eius
partem pro suo iure, quod Te perpetuò fol-
licitum habet, sibi vindicare possit. Quòd si
quidpiā in eo celebrādo mihi fœliciter eccidit,
quod hoc meum munusculum aliquate-
nus commendet, id Tibi, Præses Illustriſſi-
me, qui scribendi mentem & vires inspira-
ueris, & summæ erga Te obseruantiæ meæ
facilè tribuo: Vale.

MELITA VICTRIX.

QVID *tantùm, Solymanne, furis? quò tu-*
minis ira,
Quò fati vis dira rapit? mollimine vasto

Inſtruis æratas claſſes: Thracénque Aſiámque
Præcipitas pelago: concurrunt agmina totis
Syrtibus: Ionium velis abſconditur æquor,
Vnda gemit, ventique ſinus curuare laborant:
Incumbis Melitæ excidio: Venerémque tremendo
Marte tibi ereptam repetis: mens æſtuat atrox
Inuiſam Siculo in fluctu diſpergere rupem.
Fata negant. ſubeunt ſuperi, lætique Tonantis
Auxilio, oſtentant famæ venientis honores,
Inſpirántque ſuis animos, & robora firmant.
Contrà autem Styge de mediâ manus atra Sororum
Ecce ruit, molita tuis fera fata cateruis,
Deuotáſque ſibi torno iam lumine damnat.
Perge modò, Tragicæ debes ludibria Scenæ.
Soluerat Ottomanus vario de littore claſſem,
Tractúſque Ionios Euro ſpirante ſecabat.
Iámque ipſi antè oculos Melitæ nebuloſa iacentis
Culmina ſurgebant, gyróque reducta minori
Vertebant habiles iam caſtra vndantia proras:
Cùm gemuit, charam ſubitò conuerſus ad arcem,
Baptiſtes: metuénſque ſuis inuadere ſummum
Hoc queſtu, hoc audet Solium. Noſtram-ne ſub hoſte
Infando, genitor, fas eſt extinguere gentem?
Ergo mei nondum miſeret, cinerúmque meorum?
Nil puer addictus planctu, nemorúmque tenebris?
Nil moueat duri te ſors aſperrima victûs!
Quid valles impleſſe iuuat clamoribus imas?
Quid nato ſtrauiſſe vias? ſpreuiſſe furores

Herodis, fœdòsque incestæ virginis ausus;
Si noster tibi vilis honor? si turbine rerum,
Frangimur, ac tristes subeat mea turba procellas?
An querar antiquas clades, Solymæáque templa
Barbaricà subuersa manu? totiésque retusas
Ah! frustrà Medorum acies? Phariósque Tyrannos?
Atque Arabas? toties Arctoi robora mundi?
Cùm Saladinus atrox iampridem exire vetusto
Iusserit Hospitio, dulcésque relinquere curas.
Ex illo quantis errorum voluimur vndis?
Primùm in Agenoreis tentoria fiximus aruis,
Mox Paphus excepit profugos, texitque latentes,
Ac sine sede vagos. tum fouit in vbere læto
Alma Rhodos. valido steterant iam mœnia vallo,
Tutáque seruabant armatæ cærula classes.
At mihi Turca ferox collectis viribus orbis
Institit, & vasto protriuit fulmine turres.
Nostrorum sic nulla venit data meta laborum!
Pérque nouos agimur casus! Errabat in omnes
Turba plagas, extorris, inops, atque omniũ egena.
Cùm tandem scopulis Melitæ consedit in altis.
Vix benè mollitas domuerunt vomere cautes,
Aggere vix tecti ciues: naualia nondum
Stant effossa manu, belli iámque ingruit horror.
Puppe volant inimicæ acies: ferrúmq; facésque
Intentant miseris. Thulen Austrum-ne petemus?
Anne flagellatas primis Aquilonibus oras?
Da sedem miseris. potuit sibi Marcus in vndis

Moliri

Moliri regnum Adriacis: tutáſque dediſti
Fundauiſſe viris violento in gurgite ſedes.
Phæacas Creteſ-ue loquar? tot littora & vrbes,
Æquoráque, & fœtas ſpoliis hoſtilibus arces?
Sit fas, ô genitor, ſcopulum retinere rigentem.
Hic nuper tibi charus Eques: metuenda fideli
Enſe manus: ſacræque crucis tutamen in armis:
Quod ſi deſpicimur, Romæ ſuccurre pauenti:
Sacrorum defende Patrem: Capitolia nutant,
Ac ſeptem incerto ſubſultant vertice colles.
Inuidiam riſit Superûm pater, oráque luctu
Turbida: tum iuuenem monet, ac ſolatia ſubdit.
Noli fata queri, clades & omitte vetuſtas.
Non ſine mente fluunt, ſed certà lege reguntur.
Nec dum finis adeſt. noua ſurgit imago malorum.
Iam Melitam aſpicies feruentem milite multo,
Puluereúmque volare ſolum: tremet inſula fundo,
Dum feret horrendas tormenta vomentia flammas.
Saxa globi igniti incendent. munimine latè
Nuda patebit humus. ſudabunt cæde nouales,
Inque altos ſurgent aggeſta cadauera montes.
Terrebunt extrema tuos. tamen vſque parentem,
Vſque aude ſperare bonum. Rapit hoſtis apertos
Intereà portus, ſæuámque orditur Erinnyn.
Námque vbi Coppierus ſcopulo ſpeculatus ab alto
Aduentare rates: & certà ſede receptas
Stare videt, contra egregium mouet obuius agmen;
Egreſſóſque ſacrà prohibet conſiſtere terrâ.

Deinde tamen cedit numero, dum claßis ouanti
Milite diuerſà infundit de parte phalanges,
Et longè incendit rutilantia littora ferro.
Traditur, ac celeri volat ordine teſſera certo;
Totáque præcipiti ſe concitat agmine tellus.
Circùm operi incumbunt, & propugnacula vallant.
Excurrunt campis equites, turmáſque ſub armis
Oſtentant, flammáque hoſtem crepitante morantur.
Barbara mox acies lunato incedere tractu
Viſa procul. brutos rumpunt caua fulmina bombos,
Diráque venturæ ſignant præludia pugnæ.
Fumea nox implet cælum: lux ignea terras:
Antra incuſſa tonant: conuellitur Inſula fundo,
Impulſæque ſuis nutant in ſedibus arces.
Audiuere lacus Siculi: preſſóque Charibdis
Territa ſubſiſtit rictu. cadit impetus vndæ,
Ac Scyllæ tacuere canes. fragor incutit Ætnam;
Hinc Lilybæum iterat, pulſáque Peloride rurſum
Dat reducem aduerſo ſonitum geminare Pachino.
Arte Valettæus belli molitus habenas
Cuique ſuum partitur opus: qui mœnia ſeruent,
Præcludántque aditus hoſti: quis commeet vndâ,
Ac pelagi obſeruet vigili ſtatione recurſus.
Quà Melite gelidas obliquè reſpicit Arctos,
Traxit inæquales enormi littore terras.
Crebri intercurrunt ſcopuli, pelagique receſſus,
Multiplicique iugo truduntur in æquora linguæ.
His ſuper attollit ſe plurima turris ad auras,

Hinc Michael, Hermes illinc vigil excubat arce
Quisque suà, & sacrà seruat munimina curâ.
Arcē Hermæ Turcæ inuadūt. non saxa morātur,
Fossarúmq; minæ: non flamma, aut plūbeus imber,
Nec pluuiæ tardant nitrosa grandine mortes.
Huc, illuc, quà spes, & quà furor incitat, instant,
Præcipitésque ruunt: varióque hortamine feruent
Et fossas implere, & in altum euadere murum.
In pugnà exertis ardet gens nuda lacertis,
Atque vltrò mortem, fatis confisa, lacessit.
Arte quoque ingemināt terrorem: pectora circum
Non lorica riget, rutilat non vertice cassis:
At capiti exuuiæ impositæ, pellésque ferarum
Terribilem objiciunt patefacto gutture rictum.
Hos leo cingit hians: crocodilus protegit illos,
Vel frontem horrificat tigris, vel pectora pardus.
Sic muros auidè subeunt, pinnásque reuellunt
Alter in alterius ceruicem elatus, & vrgent
Obstantes, densaque viros ciet impetus vndà.
Obsessi contrà occurrunt, ferróque coronant
Murorum omne caput: connisique acriùs audent
Et pugnare manu, & stridore explodere crebro
Tela facésque atras, ac torti pondera plumbi.
Detrudunt contis subeuntes, & subeuntes
Præcipitant alios, longóque volumine versant
Reptantes per saxa viros. fera sæuit Enyo,
Et largis vastos mors cædibus implet hiatus.
Altiùs extabat suprà fastigia muri

Machina velle feaens: geminoque volubilis axe
Fuposa in Scythicas conuerterat ora phalanges.
Hanc vbi flamma subit, immani turbine capti
Insonuit: latèque ruens densissima fundit
Funera, ferratosque globos, nexaque catenas.
Aria igni fumoque latent: cadit ordine longo
Byzantina manus: protritaque corpora saxis
Parvm hærent, parvm pelagi dedit impetus vndis;
Ac velut intortum siquando fulmen ab alto
Deuolat in syluas, longo populata tenore
Flamma ruit: labat omne nemus, picteq; trabes q;
Disiectaque cadunt passe alto limite pinus.
Subsistit Odrysius trepidis exercitus armis
Attonitusque pedem retulit. Solymea iuuentus
Torquet agens ignitum imbrem, cuneosque lorantes
Fulminat; scuolucri longè fodit agmina plumbo.
Iamque inclinatas acies metus impulit ingens,
Suadebatque fugam: cùm ductor feruidus ira
Aduolat, immanique premens clamore tumultus
Insultatque, vnaque ruit. quo fonda renoluit
Te fuga, miles, ait? captis iam flamus in hoste.
Ecce tibi, vallum patet vndique: fossaque planum
Strauit iter. 'capti ne pudet? quo concidit ardor?
Et turata tuo toties bona pacta Tyranno?
Ista fides virtusque tua est? tali ne paratis
Implere Europam famâ? turbámque latronum
Vlcisci? atque armis acceptum abolere puderem?
Ite, agite: infastam toties exfcindite pestem,

Ac Rhodon & Melitam ſimili proſternite caſu.
  Conuerſis animi redeunt: hauſtúſque medullis
Iam nouus ardor agit: grauioréſque excitat auſus.
Præcipites iterum ſubeunt, ſimul ænea muros
Tundit hyems: ſimul inſiliunt, humeriſque receptos
Inter ſe iungunt pluteos, muróque propinquant.
Saxa remoliri ferro, & faſtigia muri
Alta audent prenſare manu. non ora furentum
Imber atrox flectit, vibratáque tela feneſtris.
Hic fors, & virtus, & ſpes, luctúſque, metúſque
Gaudiáque, & cæcis mors circumfuſa tenebris.
Plurimus aggeſtis cumulatur ſtragibus agger,
Imponitque globos pugnantum deſuper arci.
Tum virtus inuicta cadit, defectáque toto
Sanguine, victorem vultus obuertit in hoſtem,
Ac recipit veniens aduerſo pectore ferrum.
  Turca omni de parte ſubit, muróſque vacantes
Occupat: ac turbæ ſuſpectans tela iacentis
Calcat & ipſe pauet ſuſpenſo pectore mortes.
Miratur ſibi deeſſe hoſtes, & cardine pugnæ
Extremo, fruſtrà tantum impendiſſe cruorem.
Mox vbi lymphatis captiuam incurſibus arcem
Luſtrauit ſcrutatus opes, cunctóſque receſſus,
Conuertit rabiem in gelidos, & acinace ſignat
Pectoráque & lumbos, ac lato tergora ſulco.
Hos maria accipiunt: ieiunis faucibus illos
Diripuere canes. ceu cùm Gætula per arua
Armenti reges ſtrauit fera turba luporum,

Partem haurit, partem vaſto diffringit hiatu;
Aut crudæ lambens incumbit vulnera prædæ.
O Melita, ô fidei domus inclyta, quo tua nunc ſunt
Fata loco! nutat vobis habitabile ſaxum,
O ſuperi: ferte auxilium, dilectáque tecta,
Relliquiáſque piæ iam fas defendere gentis.
Omnis Arabs, ſæuis omnis fera Thracia turmis,
Omnis ab æſtifero feruens Libys imminet axe,
Molitúrque graues ſacrata in templa ruinas.
Quanta heu! fortes animos confundit Erinnys!
Nam dum erecta videt pubes Michaëlis ab arce
Arcē Hermæ exſcindi, ac bacchantē proſpicit hoſtē,
Ingemit, ac triſtes caſus in mente volutat.
Rerum omnes pendent actus, & milite mæſto
Stat neglecta ſalus, omnis pugnæ excidit ardor.
Protinus alma Fides cœlo deſcendit ab alto,
Inuaditque animos, & pectora nota pererrat,
Inſpirátque ignes ſolitos: vis redditur ægris:
Arma volunt, primóſque cient ad prælia niſus.
Omnis ab exhauſtis effuſa penatibus ætas
Saxa tulit, veteréſque ruit munire ruinas.
Continuò dea conciliis ſe miſcet vtriſque
Multa docens, quà lege ſati: quæ iura tuentur:
Barbaricos ritus, Mahumetiſque impia ſacra
Ore ſonat vario, poſeſſáque pectora verſat.
At iam Turca coït, bellóque animatur ouanti,
Succeſſúque elatus adeſt: iam mente profundâ
Relliquias haurit tenues, ac deuorat arcem.

Insultat, Melitámq; crepat cecidisse sub armis,
Ottomanæque suprà consistere cornua lunæ.
Irrumpit Scythicum vastis clamoribus agmen,
Ac variis infert mistas terroribus iras.
Antè tamen tormenta tonant, & culmina muri
Dejiciunt, iterúmque ingens fragor æthera rumpit,
Et muros flammâ & trepidas circùm induit arces.
Caucaseis credas concurrere rupibus Æmum:
Aut Ossam & Rhodopen vasto confligere Olympo.
Pondera ab æquato flammis trudentibus alueo
Tortilibus per inane fremunt rutilantia sulcis.
Atque, vbi præscriptum conseruauere tenorem,
Continuò absumptis labuntur ab ignibus altè
In medias arces: euertúntque obuia quæque,
Cùm subitâ sese pestis conclusa ruinâ
Accensa exagitat: latéque erumpit in auras,
Funera mille vomens: seu turribus incidat altis,
In trepidas seu fortè ruat librata cohortes.
In pelago rutili longè vibrat ignis imago,
Elatásque faces imitantur marmoris vndæ.
Munimenta patent laceris hiscentia muris,
Nec iam stare moræ fossarum, aut terreus agger,
Nec lorica potest: iam propugnacula flammis
Suppositis euersa iacent, munimine turres
Disiecto, præbent adeundas hostibus arces.
Ergo ruunt confertæ acies, ac vincere certæ
Præcipitant: alacri transmittunt rudera saltu,
Celsáque defigunt murorum in culmine signa.

Sistuntur cuneis Melitensibus: impetus acer
Acriùs excipitur, surgitque miserrima cædes.
Hastæ hastis, galeæ galeis, atque ensibus enses
Collisi resonant, crebróque insibilat aër
Imbre fremens, vtrimque volat dum ferrea grando,
Sors vaga diuersis pugnas successibus æquat,
Vndantésque viros alterno turbine voluit.
Vt Scytha curuato sublatus gurgite pontus
Impetit obiectam insano stridore Carambim,
Cùm Boreas erexit agens: mox impete verso
Cimmerias regnante Noto confundit arenas,
Ac resides vndas stratæ Mæotidos vrget.
Fossam implēt galeæ: thorax vomit vndiq; rores
Sanguineos: hinc diuersi glomerantur ouatus,
Hinc gemitus: mistæque putri cum puluere vitæ.
Christicolæ nequeunt vltrà fulcire ruinas:
Impulsi trepidant, numeróque vndante premuntur,
Ac tremefacta salus summo in discrimine pendet.
Cùm subitò Michaël cœli delabitur axe,
Et Magni vultus simulans, ac verba Magistri,
Qui se Vasconicà egregium de gente ferebat,
Palantes reuocat, verbisque instaurat anhelos.
Compositósque regens præit, ac venerabile signum
Ostentatque Crucis dextrà, & vestigia torquet,
Quà dant purpuream vexilla hostilia lucem.
Continuò glomerata ruit duce turba reperto,
Viribus aucta nouis, faciles & concitat artus,
Rursum æquatæ acies, vasto certamine contrà

Incurrunt, celſóque ſuper furit aggere pugna.
Cõtinuántque neces, propiùsq; premũtur, & armis
Se magis vſque adigunt. veluti cùm limina circum
Æolias inter ſe hyemes luctamina frangunt,
Libratóſque anceps victoria ſuſtinet ictus.
Implicitos obnixa viros ſic comminus vrget
Pugna: nec hærentes aditu, pugnáque mouentur.
At tandem Scytha diſiecto ruit agmine præceps,
Signa reuulſa ferẽs, recipitque in caſtra phalanges.
Ignotóque metu exanimem fuga nauibus aufert.
Et Melitam, & vetitas non ampliùs attigit arces.
Iam ratibus tormenta ſedent, compoſtáque ponto
Caſtra natant. omniſque retro procedere claſſis
Cæperat, inſidias & adhuc, fraudémque timebãt
Chriſtiadæ ſuadente metu. nec tota videri
Deſierat Melite, cùm feruida ſæpe retorquens
Lumina Threïcius Ductor, remeare parabat:
Et ſecum infrendens. dic ô cui, Muſtapha, cedis?
Quò iam ſigna refers? ideóne inclaruit armis
Didita tam latè virtus? tantóſque labores
Pertulimus, quacúmque vagi tulit alea fati,
Cùm Phaſis Tigriſque ferox, cùm ſenſit Orontes,
Vt decus hoc ſcopulo heu! vt fama illiſa periret?
Ergo me Ottomanûm magno de ſanguine creta
Excipiet fugientem vxor? gremióque reponet?
Queîs, Princeps, oculis ingloria caſtra videbis?
Et laceras puppes, deſolatóſque maniplos.
Ergo longa feram armatæ ludibria turbæ?

En ego, cui tumidam ventoſa ſuperbia mentem,
Lætáque res modò tollebant: qui Cretas, & ipſam
Italiam, & captas Siculis regionibus vrbes,
Ac terras Gades vltrà, Herculeáſque columnas
Iactabam me poſſe breui calcare iacentes,
Cùm ſtarem ſuper arce ferox, ac vana iuberem
Nobilitare manu tanti primordia belli,
Me fuga præcipitat! Quæ tandem lancea pectus
Traiectum intrauit? iampridem effundere rupem
Atque æquare mari potui. Byzantia-ne hoſtis,
Mœnia corripuit? patriæ-ne pericula terrent?
Inuiſam nunc nunc conuerſo inuadere ferro
Quis prohibet? rurſúſq; ad littora vertere curſum?
Horreſcam-ne ipſos, veniant ſi ad prælia, diuos?
Incepta exequere, & pugnæ te redde priori.
Ibo, & caſtrorum relegens monimenta meorum
Arcibus aut captis victor tentoria figam,
Aut me, Rex, diſces generoſo occumbere letho.
Vt vidit liquidis Genius qui præſidet vndis,
Alternóſque agitat fluctus, ſe vertere proras,
Protinus ex imo concuſſit cærula fundo.
Conſenſere poli, tenebræque & fluctus & ira
Ventorum: tumuere ſinus, volat æquore claſſis,
Carpathióſque vltrà portatur turbine fluctus.

CLARISSIMO VIRO PETRO PADETIO, IN THEOLOGIA LICENtiato, Regio Philoſophiæ Profeſſori, & Harcuriani Collegij vigilantiſſimo munificentiſſimóque Prouiſori.

S. P.

NEMO eſt, modò non literas neſciat, optime Padeti, qui Iacobi Capreoli mortem non defleat. Viri integritas, eruditio non vulgaris, in excolendis ingeniis ſingularis induſtria, & in exornandis literis longus egregiuſque labor plurimorum animos meritò commouerunt. Nullius tamen pectus altiùs quàm tuum dolor ex acerbo illius interitu peruaſit. Hominem in lucem promoueras: & excultum à te Philoſophia, in qua doctiſſimis præluxit, ad exemplum eruditionis ſcholaſticæ extuleras: deinde cum eo ita vixiſti, vt omnia inter vos diſcrimina ſanctus & pluſquam fraternus amor ſuſtulerit: curas, ſtudia, fœtus etiam ingenij & famæ decus, quæ ſolent omne conſortium reſpuere, confuderit. Neque tantùm hæc-

priuata bona, ſed etiam Pariſienſis Academiæ certum præſidium, Philoſophiæ clariſſimum autorem, Harcuriani huius Collegij tui oculum & alteram animam in eo deſideras. Fuerunt aliquando, qui cineres amicorum in ſuo ſinu concluſos ad animi ſolatium circunferrent. Hæc inania quidem deſpicis: neque aliunde ſolatium quæris, quàm ex iucundâ recordatione ὅτι μετὰ τοῦ φίλου τὴν καλλίστην βιοτὴν ἐβίωσας. Ille tamẽ ſapientiæ tuę rigor omnem humanitatis ſenſum in te non extinxit. Hoc opuſculum, in quo viri clariſſimi memoriam pro meâ in eum pietate celebrare conatus ſum, non habet quidem vnde tuum animum afficiat: veriùs enim eiulatus inconditos quàm compoſitos queſtus audies: quædam tamen voluptas eſt alienas lacrimas cum ſuis admiſcere. Noui quid clariſſimi Capreoli memoria, quid affectus tui mereantur, quid vtriſque mea debeat obſeruantia: atque vtinam mihi tantum facundia dediſſet, quantum dolor & officij mei ratio depoſcebat. At illas verborum pompas & apparatus nec mei tenuitas ingenij concedit: nec fortè mortui fœlicitas poſtulat, nec tua modeſtia, Vir Clariſſime, magnoperè efflagitat. Has igitur, qualeſcunque ſint, inferias non oſtentationis pignus, ſed acerrimi doloris argu-

mentum pro tuâ humanitate, vt ſpero, boni conſules. Vale.

LESSVS

IN OBITVM VIRI CLARISSIMI

IACOBI CAPREOLI

PHILOSOPHORVM SVI

temporis celeberrimi, Regij Profeſſoris, & Collegij Harcuriani Gymnaſiarchæ meritiſſimi.

OCCIDERAT, feretróque ingens frigente iacebat
Capreolus. iámque inſtructum procedere funus
Cœperat: inuerſóſque ferens Academia faſces
Ibat, & atratâ lugebat ſordida pompâ.
E cœlo cùm lapſa, ſuos mortalibus ægris
Numina coniungunt gemitus permixtáq; longis
Agminibus lacrimáſq; cient, planctúſq; frequentãt.
Libertas, Pudor, atque Fides: & libera fucis
Flet Pietas. rigat ipſa genas, cunctáſq; Sorores
Turbida deiecto vincit Conſtantia vultu.
It Sophia incultis miſerum! lacerata capillis;
Deformata genas, poſitáque ingloria mitrâ
Integrat heu! triſtes lugubri carmine leſſos.

Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ;
Ille, diu addictum ſtudiis qui duxerat agmen,
Præfuerátque vigil curâ, & caſtiſſimus aris
Muſarum: rexitque choros, phœbúmq; minorem:
Inſtituitque rudes animos, & limite certo
Deſcripſit mores hominum, ritúſque Deorum,
Obruta in immenſam ſenſit ſua lumina noctem.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Qui caput extulerat cœlo, dum mente profunda
Quod rerum eſt, quod & antè fuit, ſcrutatur; & hauſtu
Ætherio paſtus non nota oracula pandit.
Cœlorúmque orbes animo peruaſit, & altis
Naturam teneris in apertas protulit auras,
Heu! iacet, oppreſſòque æternùm obmutuit ore.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Clara viri teneris vt mens mihi fulſit ab annis,
Et fœcunda acies, & conſcia pectora veri,
Erueram patriæ latebris, vt Palladis arcem,
Et lucem rerum incoleret, mea cura Sorores
Excierat. Muſæ ac Pietas certamine pulcro
Ora informarant pueri; moréſque ſeueros
Indiderant, variáſque artes. mors abſtulit omnes.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Tum matura viri virtus maiora popoſcit:
Maiores orſa eſt curas. quàm multa citato
Corripuit ſtudio! quantos ſe merſit in æſtus,
Padetij de fonte bibens! vix plura Platoni

Debet Ariſtoteles: vix Socratis hauſit ab ore
Plura Plato. clauſit vaſto ſub pectore quicquid
Septenâ quondam iactauit Græcia famâ.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ;
Ille Theophraſti numeroſa examina traxit,
Et linguæ præſtabat opes. Mileſia vicit
Pectora, Chryſippique aciem, & ſurgentis aceru
Defixit cumulos. non pauit fruge Cleanthes
Vberiore ſuos: Samiæ non aula ſenecta.
Ille ſupercilium infregit, ſæuúmque Lycei
Imperium. noſtro eſt libertas reddita campo.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Immanes mihi nox infuderat atra tenebras.
Marcueram heu! fœdis pridẽ circundata monſtris,
Reddidit ille mihi excuſſà caligine ſolem.
Barbaries iacuit: rerum procul anxius Error,
Seruiléſque Metus animis fugere: receſſit
Vana Superſtitio. metus eſt ne monſtra reſurgant;
Et rurſum extincto dominentur vindice peſtes.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Gallia, quæ forti famam tibi milite quæris,
Quæque imples ſanctas caſto ſeſſore curules,
Quæ tibi, quæ tantos ſedent ſolatia luctus!
Occidit heu! geminæ facundus Palladis autor.
Docta quis ora foro? Themidi quis deinde Miniſtros?
Quis virtutem armis? cultum quis ſufficit aris?
Ille hominũ genus, atq; hominũ decorabat honores.

Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
At vos Capreolum ingentem lugete, Sorores.
Túque ò præcipuè virtutum Academia mater,
Tunde atrata sinum: tibi lux, tibi vulsa medulla est.
Ecce mihi concussa animæ præcordia nutant
Capreolo extincto. iam prisca silentia vobis
Regales Cathedræ, redeant. Harçuria non iam
Largiùs vnda rotet numeros: sed versa perennes
Profluat in lacrimas. lauri pro fronde cupressus,
Próque ederis tollant ferales robora taxi.
Plangite mortales pia pectora, plangite Diuæ.
Dum lessos iterant certatim, & grandibus ora
Ora sinúsque rigant lacrimis, funúsq; sequuntur,
Sedibus illatum est corpus: tum voce suprema
Inclamant manes, & terna silentia rumpunt.
Floribus halat humus, sertisque recentibus aræ,
Verbáque dimissos soluere nouissima cœtus.

LYCIDAS.

ECLOGA BVCOLICA IN eiusdem obitum. Ægon, Poëta est: Lycidas, Capreolus: Amyntas, Padetius, Thyrsis, Antonius Hallæus Cadomensis, Poëta & Orator insignis.

TERTIA iam plenos frangebat Cynthiæ vultus:
Exierat iam tristis hyems, mollique susurro

Ver

Ver aderat: trudénſque ſuos de cortice flores
Arboribus lætum, & ruri inſtaurabat honorem:
Soliuagis & adhuc Ægon errabat in aruis
Fata ſui mœrens Lycidæ: ſæuóque dolore
Perditus, affatus hominum fugiebat, & vſque
Vſque gemens, ſcopulis & litoribus deſertis
Indomitum inſani iactabat pectoris æſtum.
Non ſuberat medicina malo. iam nulla voluptas
In grege. proiecti calami: neque carmina curæ.
Hunc armenta procul comitantur conſcia luctus:
Nec gelidos libant fontes, neque gramina paſcũt.
Aſſiduas coquit ipſe fero ſub pectore curas,
Et ſecum incuſat ſuperos: modò cogitat amens
Fata, vel obſcuræ tenebroſa ſilentia vitæ.
Sæpe quoque in queſtus ardore erumpit amaros:
Nullus es ergo mihi, Lycidà! prò crimina parcæ!
Ergo perit ingens Lycidas! dulciſſima ruris
Gloria, Muſarũmq; decus. cui ſolus Amyntas,
Æmulus & Phœbo, Lycidæq; magiſter Amyntas,
Par calamis certare, & voce æquare canentem:
Ah! Lycidà pereunte, quid ô mihi vita ſuperſtes?
Quæ deinde, infœlix paſtor, tibi gaudia reſtant?
Omnia ſecum aufert, tumulo tegit omnia ſecum.
Fontibus excedunt, & ſyluis numina noſtris.
Cuncta retro ſe ſe nobis ſublapſa reuoluent.
Grata licet, Pani faſtidia canna mouebit.
Luſciniæ cedent vlulis, damiſque moloſſi.
Taxi ſerta ferent, & iuniperi narciſſos.

Fœdus agris ſerpet ſqualor. non ſemina ſulci
Reſtituent: ponet morientes vinea ramos,
Et Pomona feret nullos ex arbore fructus.
Pabula iam matres, iam natos deficit vber:
Non lactis ſpes vlla ſuper, non velleris vlla.
Quis ſtabula & fœtus curet? quis muniat hortos?
Quis pecori fœtus ſummittat? matribus agnos?
Imber vt arboribus vita eſt, vt flumina pratis,
Stirpibus vt decori frondes, vt vitibus vuæ,
Sic Lycidas decus omne ſuis. Quæ crimina ſontes,
Cælicolæ, luimus? templiſne immiſimus ignem?
Lucoſ-ne aggreſſi? an cultu ſpoliauimus aras?
Non vos inflexit tantis virtutibus heros?
Formoſiq; greges? non, quos mactabat, honores?
Nec pia quæ veſtris admouit pectora ſacris?
Noſtra ergo pietas odio eſt? exſcindite ſyluas,
Vrentes teneris inducite floribus Auſtros,
Areat alma ceres, & apri ſe in fonte volutent.
Nulla iuga, & nullæ reſponſent carmina valles:
Damnatáſq; premant miſeranda ſilentia terras.
Vnde ſibi certas repetet vicinia ſortes?
Quis ſacra Auſoniis? qui pădet iura Britănis?
Paſtores Rheni, iam veſtra oracula ceſſant.
Omnia dilecto capiti monſtrarat Apollo.
Quid cantus, quid penna velit: quid nunciet æther.
Quæ ſignet ventura dies: quæ ſydera virtus
Concitat. vnde vago Titan ſe limite torquet,
Quà redit, & fixo quas luſtrat in ordine metas.

An propiùs se luna rotet: quæ causa fatigat
Æquora; qui nubes extenso vellere pendent,
Horrificisque sonant crepitantia fulmina flãmis.
Lauro illum Reges cinxere hæc ipsa canentem.
Haud illi ignotum quæ sint data semina rebus:
Et se vere nouis cur floribus induat annus,
Cur gemat autumno maturis fructibus arbor.
Nouerat ille plagas omnes, & cuncta ferarum
Nomina. quot stellis distinctus luceat axis.
Quæ nobis sit norma boni: quo numina ritu
Quisque colat: læsis placeat quæ victima diuis.
Heu! quoties Musæ, & quoties miratus Apollo est,
Cùm causas rerum & mundi mysteria pandit!
Sed cur hæc memoro? aut cur hæc ingrata reuoluo?
Funditus occidimus. quis enim nos deinde monebit?
Quis reget incertos? superisq; inscribet honores?
Heu! rerum in quanto, Lycida, nos deseris æstu!
Dum fluuium incendit tantis clamoribus Ægon,
Parrhisias medio qui gurgite diuidit arces;
Dum syluas mollit lacrimis, scopulósque rigentes,
Fortè pares voluens turbato pectore curas
Thyrsis adest: Thyrsis Cadomæi ruris Aëdon:
Thyrsis amor patriæ: cui plus, Sebethia Siren,
Cedere ames, ipse Andino quam cedat Olori.
Antè suo longos cum Thyrside sueuerat Ægon
Condere cantando soles: sed carmine captus
Abstulit hunc Lycidas: secúmque ex ordine iussit
Harcurios colles resonare, & pascua læta.

Nec bonus inuidit Thyrſis: ſed, dū optat Amyntas
Ipſe etiam, Lycidæ caſtos conceſſit amores.
Poſtquam ergo antiqui vultus agnouit amici,
Vberiore ſinum fletu compleuit, &, heu!
Ille tuus Lycidas (turbant ſingultibus ora)
Ille heu! Lycidas, diuùm lætiſſima cura!
Sic pia turba, labor ſuperûm ſumus! ò ego læuus!
Omnia caſus agit, nec habent bona pectora numen.
Quid iuuit teneris pietas exercita ab annis?
Quid iuuere artes? Te, ceu virtutis egentem,
Te fata in medio rapuerunt improba curſu.
O Lycida, Lycida! te non miſerabilis Ægon,
Non Thyrſis tantùm, non te lugebit Amyntas,
Verum etiam thoes. perfundet luctus hyænas,
Et lynces. certè noſtri fleuere iuuenci:
Et Lycidam inclamant montes, vallèſq; reſultant.
Ipſi amnes, ipſæ quatiuntur imagine ſyluæ.
Ac dum noſtra aliquis celebrabit paſcua paſtor,
Lætáque tondebunt teneræ dumeta capellæ,
Omnis ſylua gemet Lycidam, rupéſq; loquetur,
Fiſtuláque Heroëm canet omnis, & omnis auena.
Deſine plura queri. lacrimas odere beati.
Syderibus mixtus, quà ſe via lactea pandit,
Inter cælicolas agitat fœlicius æuum.
At Lycidæ tumulus congeſto ceſpite ſurgat,
Et circa tumulum frondoſis laurea ramis.
Non deſint tituli: non deſint manibus aræ.
Ipſe comas apio redimitus, ſacra quotannis,

Ipſe ſepulcra colam. ſolennia carmina dices,
Inferiáſque dabis. labor iſte recurret in orbem,
Diuinúſque tibi tolletur ad æthera paſtor.
Hæc Thyrſis. contrà retulit iam mitior Ægon.
O vitâ mihi chare magis, diuine Poëta:
Iugera vt æſtiuis gaudent ſitientia nimbis,
Sic tua languidulam mulſit vox mellea mentem.
Thyrſi, diis propior, longè mortalia vincis,
Sueta nec humanæ pateris contagia ſortis.
Te non Olenicæ tenuerunt otia ripæ!
Non patriæ ſaltus! per tot deſerta viarum
Proſequeris manes Lycidæ! diſcrimina mille
Spernit amor. ſpirent ſic balſama ſemper in ore:
Sic tibi ſint plena ora fauis, & amicus Apollo.
Cum luco aſſurget tumulus prope fluminis vndam:
Quáque via ingentem celeberrima ducit ad vrbem,
Carmina præteriens leget hæc inſcripta viator:
Hîc ſitus eſt Lycidas, paſtorum gloria, Phœbo
Deliciæ, & Muſis: cantus quẽ immenſa voluptas,
Et virtutis amor cognatis rettulit aſtris.
Cedamus. ſolet eſſe grauis nox humida feſſo.
Ponè ſubite, greges: nota eſt via: redditur Ægon.
Iam vobis: reddit Thyrſis vobiſque ſibique.

Eiuſdem Epitaphium.

NEVSTRIA *me genuit, ſtudiis Lutetia fouit:*
Ornauere meos otia docta dies.
Iura mihi & faſces Academia credidit: illic

Iura deciſque meus reddidit aucta labor.
Noſtris Harcurium auſpiciis & munere creuit:
Qui doceat plures, vix Sophus alter erit.
Regia me emeritum reuocarant pulpita: at illæ
Dum celebro, ſtantem fata dedere mori.*

* Eo enim morbo, quo periit, decumbere nunquam potuit.

Aliud.

CAPREOLVS *iacet hîc. nõ eſt tibi nomine notus?*
Ars bona nulla tibi cognita, nec Sophia eſt.
Hunc dixit Schola ſuffetem Pariſina Sophorum,
Gymnaſiarcharum dixit & Harcürium.

Aliud.

CONTIGERAT *mihi nulla quies: meæ, vita tumultus,*
Anxietas, ſtudium, cura labórque fuit.
Me quoque morbus atrox ſtantem languere coëgit:
Mole ſub hac mihi mors otia prima dedit.

Aliud.

CAPREOLVS *moriens hæc tecta ſilentia legit:*
Et ſapuit, vitæ tum memor ipſe ſuæ.
Nequitias iuuenum, & clamoſas rexerat Artes:
Carthuſios inter iam ſilet vſque ſenes.

DE EODEM AD ACADEMIÆ Rectorem, dum ad funebrem eius orationem accedit.

EPIGRAMMA.

CAPREOLI, *Rector, nobiſcũ funera plangis,*
Et noſtris miſces luctibus ipſe tuos.

Nil mirum. Harcurio Tiphyn lugemus adẽptum:
Ereptúmque tibi Neſtora iure doles.
Non deſunt alij, Rector, tibi Neſtores: aſt heu!
Quis nouus, Harcurium, iam tibi Tiphys erit?

RESPONSIO.

CAPREOLVS iacet heu! fatis eriptus acerbis:
Rectoriſque ingens, Harcuridûmque dolor.
Conſiliis fuit ille ingentibus vtilis autor:
Harcuridûm doctè rexit & ille ratem.
Magna vtriſque tamen ſolatia. námq; Padetus
Alter Neſtor erat, Tiphys & alter erit.

CLARISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO

ANTONIO DAVBRAY

NVPER E GERMANIA LVTETIAM REVERSO.

O Mihi læta dies, Iuuenũ clariſſime, quâ Te,
Daubræe, accipio reducem! quâ reddit ab Arcto;
Longè iter emenſum, & charis Te ſiſtit amicis,
Exoluitque fidem, & noſtras Germania curas!
Huc alacres, huc ferte gradus, decora inclyta Pubis

Patriciæ: ſpes certa Togæ, ſpes magna Senatûs:
Quos genus egregium, atq; ætas, viſq; indolis altæ,
Et ſtudia, & mores charo iunxere Sodali.
Saluus adeſt: datur affari, & complexibus arctis
Stringere. Iam dubio non vos mora torqueat æſtu
Votorum, caſúſque viæ, fas diſcere ritus
Ignotos, gentes & iura, ſitúſque locorum,
Et miſcere ſales, doctóſque reſumere riſus.
Ille renarrabit, feſſi vt ſarcire ruinas
Imperij Auſtriades, populóſque fouere laboret.
Vt gens illa ferox, Martique addicta cruento
Iam ſapit, & poſitis pingues colit enſibus agros,
Necdum inſtauratis leuat oppida ſubruta muris.
Quæ tantis ſit origo malis: vnde error, & illa
Dira laceſſendi ſocios inſania fluxit.
Quantùm enituntur leges firmare vetuſtas,
Vt libertatem diſcors fortuna Regentum
Aſſerat, alternique metus: modò ſingula pandet.
Quæ cœlo Helueticas attollant fœdera gentes:
Quis bellatori populo modus. vnde ruentem
Auſtriacum expulerit: vaſto cùm robore regni
Inuaſitque caſas humiles, atque obruta ſaxis,
Et deprenſa iugis coëuntibus agmina luxit.
Dicet vt vndoſo populos munimine Rhenus,
Et Rhodani vis ſepſit aquis: ac Iura niuali
Vertice: ſed meliùs leges, & neſcia fraudis
Pectora, concordéſque animi ſub legibus armant.
Vt tribocos, Nemetáſque truces: vt prepete curſu

Innumeras vrbes gelida deuexus ab Alpe
Amnis adit: quantùm terrarũ amplexa vagatur
Hercynia: quot & ipsa premit caligine gentes,
Abnobáque attollit: quãtùm trahit agmen aquarũ
Danubius: quo fonte cadat Visurgis & Albis:
Vnde Sala, & Mœnus, generis cunabula nostri.
Non freta, non amnes, Martísq; frementis imago
Terruit. ille tuas pernetrauit, Bructere, syluas,
Ille Amasim, atq; Vbios lustrauit; & optima rerũ,
Quàm varium natura genus, morésque sub vno
Extulerit cælo, certà ratione notauit.
Quæ sit pacis amans, quæ gens sit prõptior armis:
Cui mansura fides, quæ nullà fœdera curà
Pacta colat, quid & ista queat, quid & illa volutet;
Quicquid Athenæis, & quicquid in vrbibus ingẽs,
Seu Phœbi excultum studio, manibúsque Mineruæ:
Quotquot doctorum monimenta aggesta virorum
Fama canit: quicquid Regum palatia pridem
Mirantur, vigil ille oculis, & mentibus hausit,
Non secus Eois sese versauit in oris
Pythagoras, doctámq; Pharõ populatus, ad altas
Festinat Babylonis opes: spoliisque superbus
Chaldaïcis, rediit iuris præceptor, & æqui,
Ausoniásque sacris erexit legibus vrbes
Nec tam multa Solon, nec cretus Aristone vidit:
Vixerit ille licet patriis in sedibus hospes:
Hic licet vsque nouas mutarit cursibus oras.

Quid Batauûm gentes aditas, inſeſáque dicam
Atria? quid fœtas Muſis & Apolline terras?
Hìc audire datũ eſt, quodcúnq; agitare per orbem
Fama queat, quodcúnq; hominum producere curæ.
Quicquid in immenſo claudit natura receſſu,
Siue quod extremis rerum glacialis in vmbris
Vrſa videt, longéque premit deuexior axis.
Siue quod Indorum iactat fœlicior orbis,
Ignotæque plagæ proauis: totiéſque remenſum,
Quà ſe intrà inſinuat pelagus, quà panditur extrà,
Iungit & occiduas primo cum limine portas.
O famæ, & decoris pars ò gratiſſima noſtri,
Quas, Daubræe, Tibi cognoſcere contigit artes!
Quáſque refundere opes, mentiſque euoluere fœtus!
Helladis & Latij cumulaſti pectore gazas,
Si quæ defuerant: conſultáque gentis Hebrææ,
Quæ ritus ſinit, & pietas proauita ſacrauit.
Ingenium ſtupuere ſenes, turbáque frequenti
Colloquiis hæſere Tuis, dum ignota reponis,
Inque vicem, morum & Sophiæ myſteria pandis:
Dum longis agitare iuuat ſermonibus artes,
Quas quondam Actææ celebrauit cura Senectæ,
Quas labor ornauit veterum, ſeu marte furentes
Regum animos, iunctáſque ferat ſub fœdere gentes:
Seu mundi exortus, ſeriémque volubilis æui,
Naturæque vices, æternáque ſemina rerum,
Diſcordéſque Sophorum animos, Sectáſq; furentes
Æſtibus, ad noſtri metas tranſmiſerit æui.

O quoties, quibus eſt Regnorum credita cura,
Roboráque excelſæ mentis, curáſque virilis
Suſpexere in Te! nec enim quâ labe Poteſtas
Concidit, ignotum eſt: quæ ſtantem vincula firmẽt,
Quæ bona naſcentem educant: quæ iura Senatus,
Et Princeps, & vulgus amet: quæ regula mores
Æquat, & inſanis ardoribus eximit vrbes.
Quis modus imperiis: quæ ſint munimina regnis,
Ecquis amor lucri potior: quæ induſtria ciues
Exercet melius: quæ res perterreat hoſtem
Aut quæ concilient certiſſima fœdera cauſæ.
Iam ſi tractabas ſtudiorum mollia, & illas
Infontes vatum veneres, ac dulcia Pithûs
Fulmina, qui cœtus! quæ te cinxere coronæ
Lectorum Iuuenum! nam qualis cerà figuras
Sumit, & acceptas certo diſcrimine ſeruat,
Nec rerum diuerſa pati ſimulacra recuſat:
Tale tibi ingenium finxit natura, quod omnes
Ferre notas, totámque poteſt haurire Mineruam.
Viribus hoc vegetat diſcendi immenſa voluptas,
Et ſtudij leuat ipſe labor: nec ſparſa tenebras
Cura trahit, diſcors-ve animum confundit imago.
Vidi ego, cùm varios meditãdo abreptus in actus,
Ad docta ardentes ſtimulabas prælia cœtus:
Quantùm excellebas turbæ, &, ratione magiſtrâ,
Virtutémque haurire, hauſtámq; augere per artes!
Quis melior vitium, & prauo diſcernere rectum!
Quis damnare truces animos, facinúſq; nefandum

Pelidæ, fraudésq; Ithaci? quis & Hectoris arma,
Sæuáque fata queri, & pectus laudare quietum?
Ac Regum in placido mirari Agamemnone mores?
Aut radio immensos terrarum ostendere tractus?
Metirique fugas Pelagi: vel consita cœlo
Astra sequi, solisque vias, lunæque meatus,
Et mundo affictas orando euoluere formas?
Aut vndare opibus linguæ, quà copia fandi
Larga patet, Grajósque refert, Latiósq; lepores?
Et facta in varios diffundere Martia cantus:
Vel falsa in breuibus curtare Epigrammata gyris?
Nemo vetustatis nodosa ænigmata soluit,
Ruderáque excussit melius: monstratáque nemo
Doctior in proprios animi conuertere pastus.
Vt bona fœcundis erumpunt semina sulcis,
Et surgunt subitò in calamos, gremióq; tumente
Mox pariunt, referúntq; datas cum fœnore fruges:
Sic faciles hæsere imis radicibus Artes,
Quas, Daubræe, sinu hausisti: sic germine læto
Vndauit seges ante diem, largáque colonum
Messe solúmque beat. Quantus tibi pectore Recti
Fixus amor! quã pulsa procul male-sana Voluptas,
Quæ Iuuenum solet illecebris illudere sensus!
Te pridem excubiis velox Prudentia cinxit.
Norma tibi morum est Pietas: vitæque Magister
Stat gentilis Honos: hoc Iudice, dirigis actus,
Et vitæ momenta tuæ. decus illud auorum
Excitat, & magno pridem quæsita Parenti

Gloria, te prohibet turpi torpere veterno.
Eſt tibi forma decem, ſancto ſed iuncta pudori.
Mens pacata ſedet, nec feruens concitat ætas.
Non illuſtre genus, non maxima nomina gentis,
Non animi virtus, expectatæque Curules,
Nec cenſus, tumido tollunt præcordia faſtu.
Quæ bona corrumpunt alios, ad culmen honorum
Te rapient. metuis, ne maior fama Parentis,
Tot geſti egregiè Faſces, tam multus ab Aulâ
Imperij mandatus bonos: totiéſque probatum
Pectus, & in ſummis ſapientia præſtita rebus,
Ceſſantem probra facta premant: ne ſedibus altis
Impoſitum ſæuis quatiat plebs ima cachinnis.
Hæc te agitant, verſiſque animum calcaribus
vrgent.
Scilicet in ſomno iaceas demerſus inerti,
Deliciiſque vaces, dum ſedulus excubat Vrbi,
Et Paci inuigilat Genitor; dum Ciuibus æquat
Arbitria, ardentéſque cauet ſine fine tumultus,
Et ligat immanes concordi fœdere turbas,
Non ea mens animo; pungit vis inſita, & acrem
Extimulat, iuſtis vrgens præcordia votis
Tendere, virtutiſque apices inſiſtere ſummos;
Æquiparare Patrem, vitámque impendere Regi
Et Patriæ. hoc Trabeæ expectant, & poſtulat
Aula.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM MATHÆVM MOLE' PRO-CANCELLARIVM FRANciæ & ſenatus Pariſienſis Principem.

AN ſolum me pœniteat, Molæe, quòd vltro
Anna tibi, atq; vltro Ludouix cõceſſerit vni
Tot decora, & rerum ingentes commiſerit actus?
Dum primæ vagafræna Togæ regis arte magiſtrâ:
Dúmque arcẽ Regni inſtauras: labe-factáq; fulcis
Culmina conſiliis: populóſque ardore frementes
Regis in obſequium frangis, pax alma tumultu
Diffugiente redit: fruitur Ioue læta recepto
Vrbs ingens: Themin ambit Honos: procul hor-
rida belli
Vis abit, & latè cœlo nitet Aula patenti.
Reddita iura vigent, vulgúſque excuſſit Erinnyn:
Mercibus inuigilant ciues: nouat arua colonus;
Ac ſibi quiſque vacat. labor eſt ſarcire ruinas,
Sæuáque mulcentur male-ſani vulnera belli.
Ecce tuos populi ſupplex init vnda penates;
Conſuetamque implorat opem. iam celſa fatigat
Limina Nobilitas, Regique impendit honorem:
Ancipitéſque metus recipit: diuerſaque captat
Munera, quæ cerà peragas ſancita perenni.
Principis & populi creſcunt te vindice cenſus;

Concordéſque agitant diuerſa negotia curæ.
Non alio vitreos ſub fœdere dicitur orbes
Sicanius rexiſſe ſenex, mentitáque cælum
Sidera: cùm varios æquauit machina curſus;
Attonitis ignota mouens ſpectacula Diuis
Multiuagóque pares exercuit axe choreas.
Rerum iſtos inter ſcopulos, iráſque latrantes,
Ac refluos æſtus illiſæ cautibus vndæ,
Immotæ quàm certa manent moderamina mentis!
Quæ tibi vis animo! pietas ſe cuncta gerenti
Inſinuat: nec te monitrix Aſtræa relinquit.
Non labor obtundit: facili ſed ſufficis vnus
Ferre manu, multis quod vix tractabile pondus:
Quin etiam iuſtis properas occurrere votis.
Ille Tribunatum, hic arcem, vel credita Iura,
Aut accepta refert ſacræ redimicula Mitræ.
Alter ab immani reuocatam funere gentem,
Aſſertóſque lares: at vitam prædicat alter
Muneris eſſe tui. ſubducta quot oppida flammis!
Quot populi ferro! Quòd lux ſit reddita Francis,
Quòd caput hoc Regni diffundere robur in artus
Cœperit, arcueritque ſuis è finibus arma:
Ac ſyncera fides iungat cum ciuibus Aulam,
Id Rex, id populus tibi ſe debere fatentur,
Publica ſic ſocias priuatis commoda rebus.
Vnde tamen, Molæe, tuum non æqua Clientem
Fata premunt? Nuper miſeratus inutile carmen,
Indignánſque ſuum Ludouix algere Poëtam,

Pellito collum me cingere iussit amictu.
Addidit ipse decus, sacris & fructibus auxit.
Iam me felicem totâ iactauerat Vrbe
Fama leuis: studiisque nouo sub Principe tandem
Certa fides constare decus: sua præmia laudi:
Ire coronatas cum Phœbo & Palladè Musas.
O fluxas hominum mentes! O inania rerum!
Regia dum lentis hæret mihi gratia nodis
In manibus, Molæe, tuis, mihi Regia fluxit
Gratia. præda fuit Cantori, qui modò templis
Incubat aggestis inhians, sacráque saginâ
Rumpitur, atq; inopè mandat languere Mineruâ.
Francorum columen, spes ò fidissimâ Musis,
Ecce iterum Ludouix vatem leuat: improba fatâ
Vlteriùs peccare veta. iam nulla rogamus
Otia. in antiquo liceat decurrere circo.
Regia Parisiis mihi pulpita fixit Athenis,
Et scriptas Latiis Patribus me pandere normas
Rex iubet: ac sapientem operis pronunciat ipse.
Nouit enim, nouit, quòd me olim laurea cinxit
Seguerÿ donata manu: cùm clarus in ostro,
Oleniæque regens morésque artésque Iuuentæ
Legum euoluebam ambages ac puluere docto
Prudentum obluctans ciuilia bella diremi
Nec semel ingenium tanto sub teste probaui.
Non iniussa peto. fac, ò Pater optime legum;
Fac, dominis veniant Domini rata munera ceris.
Sit mihi fas iterum per te seruire parenti,

Sit

Sit fas perpetuos ſtudiorum addicere fructus.
Et quoties Legum Interpres de Rhetore factus?
Quanta eſt Eloquij, quanta eſt concordia Iuris?
At ſtudium fruſtrà memorem, collectaque famæ
Nomina, ſi cuncti verſu tibi ducimur vno.
Te ſanctæ moueant miſeranda ſilentia ſedis:
Quæ vario quondam reſonans Doctore, beatos
Fundebat Canonum latices: & hiantia potans
Agmina, tantùm alias inter caput extulit Artes,
Quàtùm abſunt certa obſcuris & ſacra prophanis.
Nunc heu! nunc eadem vix vno animatur ab ore,
Atque vnum multo ſeruat de flumine fontem.

IMMANIS DRACO PER SANCTUM Romanum Rothomagenſium Præſulem, diuinitùs à graſſationibus, quibus illam vrbem & circumiacentes agros vexabat, compreſſus ac flammis traditus.

IAM procul occiduum Chriſti tubæ ſacra per orbem
Fuderat ætherios cantus: iámque alta Parentis
Maieſtas Latij Tarpeiâ inſederat arce
Suppoſitum moderata orbem: tranſmiſſáque curſu
Relligio Alpinos apices, arctoa ſubibat

Frigora, & inſanas mulcebat numine gentes.
Præcipuè Hectoreis Gallorum didita terris,
Procliues ſortita animos, populùmque ſequacem
Regnat, & antiquos procul exigit arbore ritus.
Iámque cruentatas humanis cædibus aras,
Immanémque Hæſum auulſit: Taranimque ferúmque
Teutatem excluſit templis: & omittere Bardos
Sacra iubet, paſsóque altaria condere Chriſto.
Neuſtriadæ imprimis diuinos pectore prono
Accepere ſatus: ac turpia ſacra perоſi
Rothique & Veneris, delubra ingentia ponunt
Æternæ triadi: ac pietate animata recenti
Rothomagus, magnas inter ſpectabilis vrbes,
Inſtituente ſacrum Romano numen adorat.
Vt Phlegethontæi ſenſit regnator auerni
Caſurum imperium, fremitu volat actus ab antris
Horriſono, & furiis terras inuadit amaris.
Arduus audaci mons ſurgit in aëra dorſo
Mœnia Rothomagi iuxta, qui plurimus vrbi
Imminet, & rigido protrudens margine rupes
Sequanicis infert nemoroſa vmbracula ripis.
Hac ſtetit arce lues: & agros ſpeculata iacentes,
Ignea ſanguineis accendit lumina flammis:
Vipereúmque caput quaſſat, tumefactáque colla
Frendet agens, diróſque irarum concipit æſtus.
Fortè dies aderat, precibus quo Neuſtria feruet:

Templáq; culta nitent, & crebrâ lampade lucẽt,
Præliáque, æternique ſonant Michaëlis honores:
Vt ſuperâ Stygias deiecit ab arce phalanges,
Dũ, p. ôh triſte nefas! fruſtúque animiſq; tumentes
Aggreſſæ ſolio ſupremum extrudere patrem,
Communéſque ſibi rerum depoſcere frænos.
Vt gemini plauſere poli: ſecuráque pulſis
Hoſtibus, aſſerto riſerunt ſydera cælo.
Vtque arma, & vaſti tibi militat atheris aula
In cœtus diſtincta nouem: ſolióque ſupremo
Proximus, æterno pectus depaſceris igne:
Alitibúſque aliis, diuinis fontibus hauſtos
Diſtribuis ſenſus, ſuperũmque arcana recludis:
Purpureúmque iubar cuneos partiris in omnes,
Donec ad extremos radiis breuioribus orbes,
Decreſcens deſcendat amor, populúmq; beatum
Fœliciſque choros nodis conſtringat ahenis.
Quinetiam vt certis verſatur motibus axis:
Ac validæ ſuſpenſa manus vaga ſydera portant,
Et ſæui indomitas moderantur fulminis iras,
Spirantéſque notos: vt voluunt fluctibus æquor.
Vt Francis cuſtos Michaël vigil excubat armis,
Et latè aſſiduâ populos ſtatione tuetur.

Audiit hæc ſcelerum princeps: animúmque frementem
Exſtimulat celebrata ſacro victoria cantu,
Atque agit in furias antiquæ iniuria cladis.

Hîc, vbi Sequanicis non longè diſtat ab vndis

Sylua minax, denſáque altos caligine ſoles
Arcet agens : vaſto ſe aperit ſpelunca meatu,
Exhalátque putres nebulas, ſeuamque Mephitim,
Ac premit obſeſſos tenebris ſtagnantibus agros.
Fontis amara quies torpentibus hæret in vndis,
Illuuiéque nigrens turpi fumantia ſaxa.

Hucſe præcipitem immani cum turbine adegit
Rex Erebi, terróque loci nidore ſuperbus
Horrẽdùm exultat: mox quidquid acerba cruento
Materies ructat partu, ſauúmque recoxit,
Accumulat. tum cuncta fouet pollentior herbis
Spiritus: ac ſenſim repetitis flatibus atram
Vt tepefecit humum, variámque calore reſoluit
Congeriem, informis primùm ſe tetra figurat
In longum moles ſpatium: ſenſimque tumeſcit
Maſſa rudis formæ, & truncos ſe fingit in artus,
Ac tentat vitâ motus agitante priores.
Iam rictus aperit ceruix, ac languida motat
Colla ferox, iráſque oſtentat fronte minaces.
Turbine tum piceo nubes efflatur ab ore
Natiuam teſtata lucem: iam pectora iactat
Impulſu valido, pugnántque volumina caudæ
Emerſiſſe luto, ingenti mox impete viles
Deſpiciens cunas, genitalia deſerit arua,
Ac trepidos ſulcat ſublato pectore campos.
Graſſatur, latéque lues magalia vexat,
Inceſtatque feris natalia ſtragibus arua.
Tum curſu exuperat colles, modò flumina ſaltu

Increpat: aggreſſus lentat complexibus ornos,
Explorátque ferox vario conamine vires,
Sibiláque interdum effundit, queîs ſylua lacúſq;
Adgemit, ac nemorũ perterrita monſtra pauescũt.
Ardenti totos exhaurit gutture fontes,
Vix etiam immenſas ſedauit Sequana flammas.
Iámq; diu immanem populi pars maxima peſtem
Paſſa gemit, iactátque graues ad ſydera queſtus.
O malè peſtiferis hæc arua affinia ſyluis!
O triſti damnata loco! pax alta per omnes,
Et ſecura quies populos: nos præda furentum
Serpentum ſumus ah! meliùs, pater alme, dediſſes
Axe ſub Auſtrino ſedem, gelidaue ſub Arcto.
Viribus haud vllis, vllâ non arte poteſtas
Infregiſſe truces furias procul omnia cedunt
Portento, ſimilémque trahunt implexa ruinam.
Prædatur medio raptos de vomere tauros.
Rapta quid è mediis quereremur pignora curis?
Quid, quæ auidam ſimul ingluuiem pauere, parentes?
Iam deſolati mœrent cultoribus agri,
Immotíſque ſeges neſcit ſua tempora glebis.
Ecce autem in medio Præſul terrore ſuorum
Lætus adeſt, & opem populis plaudentibus offert.
Non aliter pulſis exultat nauita nimbis,
Purior affulſit reduci cùm ſydere Phœbus,
Si àudum iactauit hyems, atque æquore cæco
In ſyrtes egit Boreas, aut flatibns Auſter

Aduerſis miſerùm impegit capita alta Capharei,
Aut in præcipitis ſpumantia ſaxa Maleæ.
Huic pendet niuea ex humeris, ac fuſa flagellat
Palla pedes, medio aſtringũt hanc cingula nodo:
Ac ſuper auratis ceruice fluentia limbis
Vincula, & hinc atque hinc volitant. Sacra cingit honeſtum
Mithra caput, fideique aperit myſteria noſtræ.
Nuntius aërios findit per nubila tractus,
Pacatúmque Patrẽ, & magnos mortalibus ortus,
Et non deſpectos defert cum gente hymenæos.
Quantus vbiq; nitor rutilo natat ales in auro:
Oris inest iuuenile decus: ſpirátque modeſto
Frons habitu. Tremulo credas dicentis ab ore
Verba ſequi. affatus demiſſo lumine virgo
Haurit, & incertis librat noua gaudia curis.

Hîc properant Reges primis orientis ab oris,
Exultántque, duces nacti per inania flammas.
Torta coma in nodos, refugíque à fronte capilli,
Ac ferrugineo facies fædata vapore,
Nasúſque incuruus patrios ſatis indicat æſtus.
Iámq; Deum & matrem enixã, partúſq; recentes
Supplicibus cumulant donis, ac numen adorant.
Parte aliâ abreptam rabies Iudæa Tonantis
Progeniem magno trahit ad prætoria plauſu.
Accendit rubor ora viris: habitúſque minaces
Dextra armata decet; quaſsóque in vertice caſsis
Aſperat ignitas toruis in vultibus iras.
Nec procul erecto Chriſtus de ſtipite pendet,

Heu! male finduntur plantæq; manúſq; latúſque:
Horreſcítque caput ſpinis, & ſanguine largo
Cæſaries manat, cruſtatáque tempora tabo.
Mox iterum poſito reuocat ſua membra ſepulchro.
Aëre ſtat roſeus medio: vultúque recenti,
Funereo innixus ligno, ſpectabilis ardet:
Atq; agit Indigetum turbâ plaudente triumphos.
Tali conſpicuus cultu, ſanctâq; verendus
Maieſtate venit præſul Romanus, & vltro
Attonitos ciues magnis hortatibus implet.
Immani ſpelunca fuit caligine, carcer,
In varios diuiſa ſinus, variáſque viarum
Ambages: vbi multiplici diuortia clauſtro
Efficiunt olidas longis pædoribus arces.
Stant ſolidi poſtes, rigido quos ardua ferro
Ars multâ compage ligat: ſtant ordine terno
Æratæque fores, & ferro clauſtra teruntur
Infractis defenſa ſeris: ſediſque cruentæ
Sæuitiem chalybum teſtatus fulgurat horror.
Hinc exaudiri gemitus, tractæque catenæ,
Ac tenebroſa grauis circumſonat atria planctus.
Eruit hinc geminos comites, ac numine multo
Plenus adit ſyluam. iamq; alto erumpere ab antro
Tempeſtas: reſonare nemus, dumeta moueri,
Ac tellus gemere & viſum conſurgere monſtrum.
Ilicet inſonuit fragor, & vibrata per auras
Sibilą multiplices iterant per culmina pulſus.
Tum premit obſtantes ſyluas, ac robora vaſto
Contorta amplexû: ſpiratumque agmine toto

Pontificem petit, ac patulos exertat hiatus.
Quantus ab ætherio serpens se cardine fundit,
Æquato geminas qui tramitte diuidit Arctos.
At modò fulmineâ tremebundos voce furores
Composuit Præsul: collóque admittere nodos
Imperat, ac terram depressâ verrere caudâ.
Ille tremens, humilísque subit: cristásque superbi
Verticis, atque iubas impresso puluere fædat.
Qualiter Alcidæ victricia vincla sequutus,
Tænariæ custos Argiua per oppida portæ
Repsit humo: ac solem refugo grauis ore ferebat,
Tergaque sternebat pedibus calcanda Pelasgis.
Haud mora, congestis trabibus pyra vasta sub auras
Tollitur, ac densis horrent incendia telis.
Mittitur vt medios serpens arsurus in æstus,
Ac sentit rapidis afflata vaporibus ora,
Subsilit, & vastis mugitibus æthera rumpit,
Inque fera immensas diducit murmura fauces.
Concussæ tremuere domus: tantóque hoatu
Littora responsant, & montes vertice nutant:
Sequanáque alternat gemitus, ac territus antris
Delituit, gelidaque tremens elanguit vndâ.
Tãdẽ infracta cadit rabies, iamq; impetus hydræ
Totus hebet, domitæ lentescunt ignibus iræ,
Ac cinerem, & putres posuere incendia flammas.
Ex illo celebratus honos, nostrique minores
Percoluere diem, ac pietas, redeuntibus annis,
Romanum obseruat, festósq; inscripsit honores.

PÆAN OB PALMAS IN AGONIbus Poëticis reportatas.

ERGO triumphatas æstro meliore Sorores
Vincit Calliope! geminóque superba triũpho
Incedit Regina Podi! cladèsque rependit
Cladibus, & maior paribus se vindicat armis!
Parthenicâ nuper vastos experta lacertos
Cesserat in luctâ: & lauro contenta minori
Difficilem passa est summissâ fronte repulsam,
Ingenti victore graues solata ruinas.
At nunc surgit ouans: nullóque dirempta tumultu,
Et quà Parthenicos acuit certamine cantus
Rothomagus, Cadomúsque refert sacra docta quotannis,
Conciliata suo suffragia sensit honori.
Vincit, io: primáque ambit sibi tempora palmâ,
Plenáque deuictis rediit vindicta poëtis.
Quanquã altùm spirent, & Apolline fœta secundo
Æstuet, & magnos agitet mens enthea sensus.
Vidit anhelantes rapidâ fornace fauillas
In fumos abiisse leues: speratáque risit
Semina defecisse Auri, cùm fulua daturus
Pondera in aërias abscessit Spiritus auras,
Et fallax dominum fœtus spe lusit inani.
Puram hominis Formam celsâ ceruice minantẽ
Horruerat, dũ verba vibrat plaudenda theatro:

Contẽptrix tnrbæ, & pretiũ palmámque ſuperbo
Deſpiciens faſtu : at nimijs Rhamnuſia votis
Obſtitit. hæc dubio iuſſa eſt decernere campo,
Cedere, ſed decori & palmæ pretióq; coacta eſt.

Venit Idumæis Tumulus Dauidis aboris,
Fata æterna canens : ſubito ſed vulnere victus
Concidit : ac mediâ cæſtus deponit arenâ,
Seceßitque libens. Gemini quos tollere Fratres
Audebant, bellóque graues aptare lacertos,
Et pugnam tentare pares : ſed perculit ambos
Par fatum, ſimilémque ambo traxere ruinam.

Certè ego Virgineũ proprio iacuiſſe Sepulchrũ
Ingemui ſtadio : iuſtæ ſed pondera lancis
Inflexère aliò : quorum iuga lubrica ſancto
Pollice ſuſtinuit, rigidóque examine in omnes
Æqua Themis, ſuperis cenſentibus, impulit actus,
Addixítque pares diuerſo in puluere palmas.

Nunc mihi, nunc acres inſtigat adorea ſenſus,
Attollítque animos. cælo iuuat ora ſereno
Tollere, & Aonios ſperem deducere diuos.
Quamquã ô, quid vanos dubitẽ dimittere cultus?
Ite Caballini latices : Cyrrhæa valete
Templa procul: Phœbo ſileant fugiente recęſſus,
Nullâque de mutâ redeant oracula rupe.
Arua iuuat meliora ſequi : Superóſque vocantes,
Qui iam Neuſtriacis oſtentant præmia terris,
Egregióſque ferunt famæ viuentis honores.
Hinc iuuat in cantum dios exquirere ſenſus,
Et canere immunem genitali à labe Mariam.

AD ILLVSTRISSIMOS VIROS ABELEM DE SERVIEN ET NICOLAVM FOVCQVET Regiá Conſilijs & ſummos Ærarij Præfectos.

IAM ſapimus, nec, vt antè, ferēs nos decipit aurā
Fortunæ: lapſus rerum firmamus & axes,
Seráque ſecuri reparamus crimina curſus.
Stat vigil adfrænos Ratio: iámque arte miniſtrat,
Excuſſaque animis virtus vertigine regnat.
Sancta fides, ſolérſque labor, ſibi fœdere concors
Integritas, per vos, Fiſci noua ſydera, Regis
Et Regni diſpenſat opes. albeſcere primùm
Lux melior cœpit: lætam ſpes erigit Vrbem,
Latratórque ſilet populus: cenſétque benignè,
Dum meminit caſtáſque manus, curáſque ſagaces:
Vtróſque ambitos, ambitum haud munus vtriſque,
Ac pridem inflexos legem ſibi ponere mores.
Nam neque vos tantæ impoſuit licitatio curæ,
Non fœdi luxus epularum, aut alea pernox,
Aut praua ambitio: nec vtráque ex parte recurſans
Transfugiū: exhauſtæ-ue domus male-ſana laceſſūt
Vulnera, per ſtrages populorum, ac publica magnò
Empta latrocinia ingentes implere ruinas

Aut tabulæ aut veneris. tuleris hæc, Gallia, quãdo
Sanguis abundauit: cùm multa impunè supellex
Ciuibus, abradique greges potuere colonis.
Rerum euicit inops ratio: breuiórque bonorum
Vos mensura vocat. deformant vlcera gentes,
Ægrescitque patens nullà non parte cicatrix:
Lapsa nouã res poscit opem: quæ languida tractet,
Ac foueat parcente manu: quæ fraudibus obstet
Fisci emunctorum: tacito seu fœdere solus
Ad breue lumen adest Manceps, solúsque licetur:
Nec pretia inflantur: rauco licet ore lacessat
Præco diu: multùm nec perfidus institor vrget,
Composito implexus sceleri: seu milite cinctus
Emptas cogit opes: ac sæpe satellite flammà
Per rura & pagos latè grassatur, & inde
Se vacuas retulisse manus mentitur, vt alter
Decrescat pretio quadrans: ac crimine in vno
Principis & populi liceat pinguescere damnis.
Quid decoctores falsos? suppostaque semper
Nomina? quid nummis cõmunibus empta queremur
Prædia? quid versos in multa palatia census
Francigenũm? ac solitos partem decidere fures,
Cùm vel ad arcendum miles mittendus in hostem:
Vel cùm Iudicibus præbenda salaria, & Aulæ
Est pascenda fames? Quot vobis mõstra, quot artes
Furtorum, in luctam veniunt? non fabula finxit
Tot volitare erebi exangues per inane figuras.
Nec tot portenta Alcidæ quondam extulit orbis,

Cùm totà obruere Heroëm tellure parabat
Iuno furens, odiisque animos pascebat inanes.
Hæc tamen, hæc Vestro spes est cessura labori.
Nam quis, Seruieni, te mentis acumine maior?
Aut quæ multiplices virtus mage culta per vsus?
Te pridem Allobrogum mirata est Curia, magni
Cùm famà Patris acta premens, quo Præside longè
Insula præluxit: magnorúmque agmen Auorum
Laude nouà exornans, vigili patrimonia sensu
Publica curabat: vel cùm sua commoda Regi,
Vel sua Priuatis æquà ratione secares.
Cùm clausira Hesperiæ Mars Gallicus ense
reuulsit,
Et circumfusos Casali disiecit Iberos:
Hinc sibi te comitem Ludouix adiunxit, & ingens
Richelius magnis rebus præfecit agendis.
Plurimus ex illo, partémque vocatus in omnem,
Seruieni, Regni iactaris tertia ceruix,
Ac nullâ ostentas rerum te mole minorem.
Alta ministerio exequeris Secreta fideli:
Inuigilas Aulæ, pacique intentus & armis
Magnarum assiduus voluis molimina rerum.
Mitteris Italiam: supremo iure vetustam
Litem inter Socios dirimis: iungisque Sabaudo
Gonzagam, & dubijs signas discrimina terris.
Mox bellum exarsit, vastis cui viribus olim
Austriadæ incumbunt: miserámque furoribus atris
Efferat Europen, huius quoque pondera curæ

Magna ſubis : retines Socios, noua fœdera iungis,
Impelliſque moras : poſcis reſponſa, remittis :
Vſque inſtas cœptis, & idonea tempora captas.
Cùm deinde Inuidiæ morſu laceratus, ab Aulâ
Ceſſiſti, ille quidem eſt fractus tibi curſus Honorũ,
At non vis animi. quantùm tibi gratia creuit
Richelij! quoties queſtus quòd perderet Aula
Ornamentum ingens? tanto quòd & ipſe careret
Auxilio? quàm crebra ſalus & epiſtola venit!
Seceſſum quoties dilecto inuidit amico!
Dum tua miratur rerum faſtidia, & illud
Pectoris heroüm robur : curáque tumentem
Nobiliore animum, qui iam mortalia ſupra,
Secum habitat ſolus. nam luxu haud deſide marces.
Nunquam interrupto inſiſtis virtutibus æſtu :
Spémq; metúmq; domas : mundiq; arcana latentia
Rimaris, rerúmque vices : aut diuite venâ
Fundis & arte ligas numeros, quos nectare multo
Sermonis patrij ſaturas : morúm-ue Magiſtram,
Aut veterum ſtudio recolis monumenta virorum.
Tùm ſubitò emicuit maior poſt otia virtus.
Nam poſtquàm te reſtituit ſibi lætior Aula,
Damna moræ reparas, maioráque cœpta faceſſis.
Fracti armis, ſuperiſq; inopes Germanus, Ibérq;
Pacem agere, & longum tandem finire duellum
Velle videbantur. iam plurimus ire Sequeſter
Ceperat : atque operi ſedes accommoda tanto,
Quà latè intonſas tollit Weſthphalia ſyluas,

Legatos gemina populorum exceperat vrbe.
Quis rerum immenſas humero par tollere moles!
Quis tot plexa queat reſerare negotia nodis?
Arcani cui certa fides? quo Teutones ore
Otia pacis ament? cui detur ſiſtere pectus
Mobilis Auſtraſiæ? quæ fandi copia frangat
Indomitos Suecorum æſtus? falſaque furentes
Relligione animos? tótque vno fœdere ritus
Coniungat, ſoluátque odiis? quis honeſta Batauo
Suadeat? Hiſpanas aut quæ mora luſerit artes?
Par tua, par tantis viſa eſt prudentia cœptis,
Seruieni; iacuitque tuâ ſub Pallade Mauors.
Conciliaſti Arcton paci: populóſque vetuſtâ
Seditione truces, impacatóque tumultu
Secum obluctantes componere contigit oris
Eloquio. debent tibi Rhenus & Albis & Iſter,
Diruta quòd latè videant iam ſurgere tecta,
Temporibúſque ſuis tutas flaueſcere meſſes.
Atque Tago & Scaldi inſultant, quòd iniquæ profanis
Ducere bella odiis, quàm iuſtâ claudere pace
Maluerint: quòd inire ſuis certamina damnis;
Quàm tibi prò rabies! rectum parere monenti.
Par magno Collega viro, licet imparis æui,
Optime Fucqueti, accedis: ſenſúſque ſeniles
Conſilio, & curas coniungere cogeris acres.
Fucqueti, lux alta Togæ: ſyncera Senatûs
Gloria: & Aſtrææ præluſtris honore Triumuir.

Te ſancto genitore ſatum, ceu ſedula nutrix,
Extulit alma Themis, Rectique infudit amorem.
Mox quicquid legũ eſt, quicquid rationis & æqui,
Noſſe dedit: Iuueni conceſſit habere Curules,
Ac voto addictos tenebris, ſæclique peroſos
Corrigere, & lapſos meliùs componere mores,
Grande rudimentum, iniunxit. tum mentis adultæ
Pondere præſtantem varios diuiſit in vſus.
Allobrogum impoſuit iuri, cenſúque iuuandis;
Protinus & famæ, ac populorum oſtendit amori.
Quàm conſtans tibi cura fuit cohibere potentes!
Erigere afflictos! cunctis æquare Tributa!
Tonſáque quàm minimis ſummittere vellera dãnis!
Tota Iſaræ, tota inuidit vicinia Draco,
Quòd tè perpetuis fruerentur iudice ripis.
Ipſa quoque inuidit longè Lutetia, dum ſe
Et circumiectas vrbes Indictio vexat,
Arctátque annonas. ergo non ſegnis, Alumni
Sollicitauit opem: votiſque potita, repentè
Munificæ ſenſit ſperata iuuamina curæ.
Quid reliquos actus memorem! quid Regia caſtra
Iudiciis adiuta tuis? ſeu terra tumultu
Neuſtria dùm, aut Araris toties vocat arce rebelli:
Seu miſer, & fato Biturix inuiſus vterque.
Quid nunquam inflexos recto de tramite mores?
Te Pietas aluit puerum, ac ſub imagine Matris
Excoluit curà, & cum caſto examine Fratrum
Erudiit: facile ingenium, moreſque modeſtos
Compoſuit.

Composuit: ius fasque alto sub pectore fixit.
Hinc ardes vitiorum odio, rigidæque seuerus
Virtutis, Legúmque Vltor, iurata profano
Bella latrocinio indicis: Nemesisque Sequester
Publicus incussa proturbas crimina pœna.
Ergo auida Regē ac populos seruabis ab Hydra.
Non vllæ insidiæ illudent, fraudesue latebunt.
Te Genitor primis talem formauit ab annis:
Te pridem exercent tales certamine luctæ.
Et quoties stupuere Patres, Aulæque Tribunal,
Dum tegis insontem, & sceleratum feruidus vrges?
Delecti Proceres, spes ò certissima Regni,
Quòd mandatus Honos, quis non sibi maximus augur,
Quantùm & priuata, & quantùm iam publica surgant!
Cui non arguitur placido fiducia vultu,
Sortis adesse vices, & cedere tristia lætis?
Ac velut in pelago, miseros cùm fœdus Orion
Sydere corripuit nautas: fluctúque latranti
Hinc vexauit agens Boreas: hinc deinde furentis
Sæua diu tulit ira Noti: crebrisque flagellant
Fulminibus permistæ hyemes: nec littora tellus,
Non cælum ostendit flammas: membrisque solutos
Mœror habet, stratosque metus: si protinus ignes
Tyndaridæ extulerint geminos, celerique recursu
Vela leues & aplustra legant: inserpere sensim
Spes & amor vitæ incipiunt: &, vt alta residunt

Æquora, diffugiunt venti, cælóque reductus
Sol nitet, ac triſti abſoluit caligine mundum,
Gaudia diffundunt animos, vultúſque ſerenant,
Ac lætis redeunt iactata pericula dictis.
Haud ſecus adſpectant iã Vos, ſua ſydera, Galli,
Sors nobis ſors lætà redit: facilèſque reuerti
Vobiſcum en adſunt Superi: numénque remittunt
Commiſti ludis populi. iam ſanguine toto
Auctus, ouans Ludouix, curáque adiutus vtráque
Exeret, & vaſtos vires librabit in ictus.
Ac, dum veſtra fides belli momenta miniſtrat,
Ipſe ſuam, & iunctas Francorum colliget iras:
Atque armis opibúſque tumens, libérque tumultu
Interiore domûs, ibit metuendus in hoſtem,
Cladibus & clades, fato meliore, rependet.
Tollere tunc iterum cantu victoris honores
Fas erit, & partos propriâ virtute triumphos:
Longè vltrà Scaldim arctatum, ac regione puluſtri
Oppreſſum, & toto reiectum littore Belgam:
Suppoſitámq; iugo Caſalim: te, Mantua, dantem
Mutatæ fidei pœnas: te, Barcino, fructu
Immotæ fidei erectam: multáque ſuperbam
Laude triumphati, qui nunc grauis incubat, hoſtis.
Fas erit alta loqui, nec inutile pangere carmen,
Excuſare probrum, veterèſque retexere lauros,

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM POMPONIVM DE BELIEVRE REGI A CONSILIIS ET NVPER LECTVM Senatûs Principem.

ÆTernùm, ô superi, grates: Belieurius altò
Parrisiæ in solio Themidis sedet, & vagæ certâ
Fræna Togæ bonus arte regit. misereſcere gentis
Tenditis Hectoreæ, & pronos præuertere casus:
Contigerat naper curâ munire fideli
Relliquias Fisci, & prædonum euadere morsus:
Maiori placet ecce malo succurrere, & Aulæ
Conciliare Patres: longos abolere tumultus,
Iniáque cum summis sancto componere nexis.
Námque ex quo luxus, depulso simplice cultu,
Gallorum inuertit mores: ac fusus ab Aulâ
Latè Vrbem inuasit: suasitque libido rapinæs
Atque dolos: ardénsque vrtica perussit Honorum
Vulgi animos, cessere foro Rectúmque Fidésque;

Maiorúmque modus : rerúmque ignara Iuuentus
Imberbem expleuit, nummo licitante, Senatum.
Addictique ſenes pretio, ſeruile fauoris
Accepere iugum : populúſque, impubere ſceptro,
Præda fuit : vis & virtus ſuffragia paucis
In commune dedit. tum protinus impulit æſtus
Seditio : ſibi quiſque vacat, Regnúmque poteſtas
Diſcordi ceruice trahit. nec defuit hoſtis
Occultè inſtigans animos. hinc fabula, faſces :
Hinc neglecta fides populis faſtidia mouit.
Ille ſacer dilapſus honor : patiénſque malorum
In peiora ruit, nec ijſdem pendula votis
Plebs inhiat, dominóſque iterũ miratur Achates :
Tum ſubeunt faſtus, ſubeunt ciuilia bella,
Et latè inſultat Regno feralis Erinnys :
Itque reditque furens, oráſque atq; oppida circum,
Inque vicem exagitat Francos, inſeruit Iberis,
Ac miſerum immani vulgus conſumit hiatu.
O fœlix iterum, Belieuri, atque omnibus vnus
Æquiparãdus Auis, magnóq; vel Hercule maior,
Si tam triſte malum, tot iam ceruicibus auctum
Fregeris. acre quidem eſt, vires & ſumit ab annis,
Ægreſcitque magis : variáque ex parte recedunt,
Iungere quas opus eſt ſub eodem fœdere, cauſæ.
At quantùm illa poteſt excultæ opulentia linguæ!
Tot mens fœta bonis! Vsúque exercita tanto
Ingenij vis illa capax! rerúmque magiſtra
Dexteritas! cunctáſque æquantia pectora curas?

Multa iuuant, ornatus Honos, ſibi conſcia virtus,
Fama ingens, & Auita fides, caſtiſſima vitæ
Gloria, & erectæ dilecta ad nomina mentes.
Ætas flexa fauet, rebus matura gerendis.
Nec præceps ardore, gelu nec tarda ſenili.
Non metus eſt, ne luxus edax, turpiſ-ue voluptas,
Aut modicè fundata domus: nati-ue parentis
Sæpe ah! ſæpe pudendus amor, dulcéſque tyranni
Tranſuerſum rapiant animum: fœdóque tumultu
Exagitent: quæſtúſque omni de parte tuentem
Diuerſis ridenda ferant ludibria ventis.
Tu ſtudiis ſequeris Curios: rigidóſque Catones
Vt ſuperas cenſu, ſancto ſic pectore vincis.
Vnus agit te Regis honos, tibi pignora, Ciues:
Téque laborantis patriæ cura acriùs vrit.
Aggredere, & tantum ſuperare inſiſte laborem.
Vrbis amor tibi ſternit iter, conuerſa Senatus
Ora tenet: iàm nacta ſuum Concordia pignus,
Ac certum autorem Ludouix, diſiecta ſub vnum
Membra volent reuocare caput: libèrque meatu
Spiritus in faciles ſe fundere geſtiet artus.
Pacis ades ſpecimen: varióque errore reducis
Ac mollis animos, atque in te colligis vno.
Se tibi cuncta nouant. iam mitior ire Iuuentus
Cogitat, & raucos meditatur omittere cœtus,
Dum faſtus nullos metuit, nec deinde veretur
Triſte ſupercilium: nec iam ambit auara ſenectus,
Sed pudet occulti quæſtus. priuata fugantur

Conſilia, atque omni Princeps in pectore regnat.
Sic memoratur Auus, Patrijs quẽ moribus æquas,
Nominibúſq; refers, lætus cùm ad culmen Honorũ
Extulit Henricus, ſtudio luſtráſſe ſagaci
Primam Arcem Aſtrææ: quæ multà paſta ſagina
Parte laborabat variâ, fluctúſque procaces
Commiſcebat agens: ac legum oblita, trahebat
Iam tum omnes nullo rerum diſcrimine curas.
Protinus ille malum aggreſſus, noua iura coërcet,
Stare antiqua iubet, iuſtóque examine fines
Cuique Togæ conſtare ſuos: fraudéſque minutas
Sorice cum multo excutiens, populíſque foróque
Conſuluit, tenuitque ſuas ſine crimine ceras.
Tale decus tibi fata parant, quæ numine toto
Legatum nouies variâ de gente reducunt,
Et laude illuſtrem tantis dignantur habenis.

AD
ILLVSTRISSIMVM VIRVM
ABELEM DE SERVIEN
REGI A CONSILIIS ET
ſummum Ærarij Præfectum amica expoſtulatio.

PHOEBE, *vale: procul hinc viles diſcedite, Muſæ:*
Ite procul, ſaxa & ſylvas pertundite cantu,

Si quis amor cantûs ſupereſt: faſtidia nec-dum
Dura pati, Proceréſque piget. ſpes longa fouebat
Vatum animos venturum aliquẽ, qui tergeret ora
Fœda ſitu: vobiſque comas adſtringere multâ
Fronde vltro geſtiret ouans. ac tempora votis
Apta videbantur, magno cùm Regia nuper
Credita Seruieno gaza eſt, & proxima cœlo
Cura, ſuo iuſſa eſt propiùs ſeruire Tonanti.
Hæc rerum noua lux veteres emouerat vmbras,
Excierátque animos. ibant iam præmia famæ,
Ac tituli ingentes: doctúmque Heroa parabat
Floribus, & totâ præcingere Gloria pompâ.
Spes ò fluxa boni (quid enim mihi ruſticus arctet
Ora pudor, verbiſque vetet mulcere dolorem?)
Funditus occidimus! neque enim magis ipſe benignam
Prompſit opem, vultúque minùs reſpexit acerbo,
Quàm ſolet, Ogygio qui fulcit pectora mento,
Omnibus vſque grauis Baſirus: diſcrimina quamuis
Mille vtrúmque ſecent: atque hũc virtutibus Artes
Compoſitæ, hunc ęvi extulerit vis turbida fati.
Quæ modò ſupplicibus pulſentur limina Muſis!
Memmiadæ intereunt, nec habes, Armande, recurſum.
Segueriũ non æqua premunt, atq; agmina pridẽ
Scriptorum immenſas arctant concurſibus ædes.
Non famâ aut cenſu pollet pars magna Senatûs.

Nec cunctis ſtudium cordi eſt: nec multus Apollo;
Si Beleuræus abeſt. ambit diteſcere Clerus,
Detrectátque coli. pridem ludibria doctos
Nobilitas habet: atque bonas tantùm horruit artes,
Ordo Togatorum quantùm diſceſſit ab armis.
Quò ſtudij iam sũma redit! non-ne aurea dignũ eſt
Tecta Redemptorum paſſu vexare clienti?
Diuinóſque animi truncis obtrudere fœtus?
Certè vltro quidam inuitant. namque vnus & alter
Muneribus largum ditarunt nuper Aſonem.
Ac Mæcenatum arrectâ dum nomina primùm
Aure bibunt, olidam cenſu coluere cicutam.
An-ne ſacris ideo fas eſt admittere vulgus?
Fama vetat, retinetque pudor: Nemeſiſque cruentos
Turpe vltura nefas, intentat verberis ictus,
Irritátque deos omnes: nec Apollinis œſtrum,
Muſarum nec deinde ſacros ſperaueris ignes,
Prodita ſi pateant ſpurcæ myſteria genti.
At tu, Serniade, cui pandit Apolline dextro
Pindus opes: tu, quem niueo chorus agmine circùm
A puero Charitum ſtipat: cui Pallas & Hermes
Multus ineſt, pectúſque ſuis impleuit Athenis,
Numinibus concede tuis arcere pudorem:
Tanto occurre malo. verſu non vrget emaci
Muſa preces: ſed te egregiæ virtutis alumnum

Ambitiosa colit. num fas spreuisse clientem?
Ipse Beleuræus, licet alto è sanguine Diuûm,
Parque suo generi, studio dignatur, & illam
Admiscet sæpe alloquijs. Seguierius vltro
Aduocat, ac Dominà pudibundam ostentat in Aulà,
Laude ciens animos. quid, si data munera lætus
Virtutis Sophiæque parens Bignonius aufert,
Obseruátque legens? animóque amplexus amico est
Ille ingens Collega tuus, Themidisque Minister,
Fucquetius? sacræ quo non addictior Aulæ,
Quo neque callidior fastum frænare fauoris.
Ergo, dum blandè iam tecum expostulat, audî
Vota libens, atque illam Astrææ imitare quadrigam.

PETRI HALLÆI POEMATVM LIBER QVINTVS,

Varia Epigrammata continens.

COR GERMANICI EX suetonio.

PARTHENICVM EPIGRAMMA.

VNDE *in Orontis aquâ flammæ rutilantis imago*
Vibrat, & Antiochi resonant plangoribus arces?
Romáque respondens septeno vertice longos
Alternat gemitus, & vtrinque refunditur echo?
Vnxerat ablutos gelidi Agrippina mariti,
Defletósque diu tandem dimiserat artus:
Iam feralis honos præcesserat ordine longo,
Arctoi exuuiæ mundi, & mauortis imago
Plurima: iámque ostrum, pulchérque instrauerat horror
Armorum latera alta pyræ: cùm robora præceps

Flãma amplexa rapit. mox vndiq; muſculus omnis
Liquitur, & flammis fortes abiere lacerti.
Iam ſua damna fouet, feſſoſque reſuſcitat æſtus
E membris ſtillatus adeps, ac feruida pingui
Succo adiuta, ſuas populant incendia cunas.
Iámque fluunt humeri: ſpinæ iam torrida cratis
Soluitur, & molles pulmonis deuorat alas.
Et iecur, & fluxam prædatur mulciber aluum.
Mira fides! vnum cor regnat in hoſpite flammâ,
Inuictúmque manet. ſeſe hinc mucrone tuetur:
Explicat inde ſinus geminos, quibus oſcula blandè
Libat hebes flamma: tremulóque reciproca fluctu
Lambit, & inuoctà circùm obſidione coronat.
Vnde rogis inſueta fides? cur pabula feruor
Tuta ſinu frigente fouet? ſeu maior inertes
Luctando obſtrinxit gelido torpore fauillas
Cardiaci vis pigra mali: ſiue hauſta veneni
Pocula denſarunt carnes, fibriſque gelatis
Contractos hoſti cutis obſtruxere meatus.
Nec cordi nocuere ignes, nec culpa Mariæ.

Aliud.

Vnio ex Plinio.

INcipit vt primùm tranquillo albeſcere cœlo
Aurora, & mollem ſolito rigat aëra fletu:
Concham vrget tunc prolis amor: nexúq; ſoluto
Libera, quo ſaxis primùm natalibus hæſit,
Ipſa ſubit ſummos celeri vertigine fluctus.

In mediisque vadis, pelago ancillante, resistens,
Concipit ætherios labris inhiantibus imbres.
Angitur in fœtus omnis natura futuros,
Tanto intenta operi. tenuere silentia mundum:
Ora premunt venti: æquatis mare sternitur vndis,
Lætius astra micant, cœli dum infusa mariti
Vis genitalem vterum fœcundis roribus implet.
Connubio gauisa parens sese illicet arctat:
Ne-ue marè accipat, testæ circùm obstruit oras:
Et cautè à gremio latices maris arcet amaros.
Vt prægnante sinu fluctus desedit ad imos,
Concrescit liquidum semen: blandóque gelatus
Frigore, paulatim circùm sese alligat humor,
Auxiliòque maris nitidos lapidescit in orbes.
Lucinæ officium genitrix Venus implet, & ipsa
Effingit dextro pretiosos sidere partus,
Ac pellucentes succendit lumine gemmas.
At si cœlestes hostili cœrula fluctu
Turbauere satus, sterilescit concha, peritque
Corruptum impurâ Nerei salsedine germen.
Quippe potest cœlo tantùm debere parenti
Natales, patriósque auidus retinere nitores
Vilia spurcificæ haud patitur contagia fœcis,
Et fœdas inter nescit coalescere sordes.
Vt maris vnda notat labem, sic gemma Ma-
riam.

Aliud.

Maria in ſepulcro nullatenus læſa.

VAti, Diua faue, rurſus qui puluere docto
Parthenicos inter tua ſacra frequentat olores.
Poſtquam hæſere homini fatalis vulnera morsûs;
Et miſeram totis ſobolem infecêre medullis,
Impuri venêre ortus: animique labantis
Imperium ſenſus procul excuſsêre rebelles.
Hinc nobis mens prona malo eſt: hinc fœdere rupto
Principia aſſiduas miſcent genitalia pugnas,
Ciuilique acie pereunt. mox ſorbet aperto
Ore vorax tellus, pigróque cadauera morſu
Noſtra terit. carie primùm cutis humida marcet;
Rancida labuntur turpi præcordia tabo:
Compages ſanie eluitur: truncúmque relinquunt
Membra pereſa ſitu. paulatim putida moles
Soluitur, inque ſuos reuoluta reuertitur ortus.
Sic nos fata rotant! gemino ſic funere raptos
Dura premunt! Deus has parſit te pendere pœnas,
Diua Parens: primæ nec acerba piacula labis,
Purá.ue natales ſenſerunt membra fauillas.
In te perpetuam parili luctantia niſu
Seruarunt elementa fidem. non te intima clades
Corripuit, ſed victa ſacro mens igne, quietos
Artus deſeruit: quos hoſpite deinde ſepulcro
Blanda excepit humus: ſolitíque oblita tributi

Subſtitit, & ſacris timuit pingueſcerè damnis.
Quid ſtupeas, natura? Deus maiora Parenti
Apparat. exutos iterum ſe fundit in artus
Connubiis mens iuſſa nouis: euectáque cœlo
Lucratur comiti geminæ conſinia vitæ.
Terra notat labem: ſua ſignant mẽbra Mariam.

Fraterna pietas ex Bertio.

HIſpaleas longè poſt terga reliquerat arces
Puppis, & elatos verſis ſuſpexerat vmbrã
Cardinis alterius apices: luctatáque remis
Immanem Libyæ cuneum, ferentia iuxtà
Æthiopum pauidis ſulcabat cærula velis.
Et iam ſaxa ratus fugiſſe latentia Rector
Vela refert: volat immiſſis cita pinus habenis,
Præcipiti ſuſpenſa noto. ſonuere rigentis
Incurſu ſcopuli roſtra obuia, proráque retro
Diſſiliens cum puppe coït. reuoluta profundo
Plurima præcipitat plebes: pars remige dextrã
Adnatat ad rupes, lethale hauſtura profundum.
Pars auidis tentat ferro concurrere cancris:
Chelarum medios ſed forcipe prenſa per artus;
Ora per & nares eliſo viſcera ventre
Cum ſanie eiectat. miſeros mors vna fatigat
Mille modis! alij propero inſiliere tumultu
Præcipites: populo ſed iam peritura recepto
Cymba labat, decimæque aſſultum haud ſuſtinet vndæ.

Ergo ruunt, diris quæ corpora deſtinat vndis
Arbiter, & patulo cancris ſorbentur hiatu.
Verſauit geminos hîc funeris alea fratres.
Quippe libido Ducis vouet hunc: ſubit ille, ſibiq;
Depoſcit cladem. Fratrum pia iurgia nautas
Impulerant, ſed fata premunt. datur hoſtia ponto
Iunior, alteriúſque vices tulit alter iniquas.
Inflexit pontum pietas: & naufraga virtus
Nat placido ſuſpenſa mari: cimbámque ſecutis
Tollitur, & tandem fraternis redditur vlnis.

Nauis Vlyſſis ex Homero.

RIctibus Antiphatæ vix curſu elapſus anhelo
Miles, adhuc ſociâ ſibimet plaudebat in alno:
Ecce Lami gens tota ruit, concita boatu
Principis horriſono: frendénſque immanè, cauernis
Exilit ad littus. ceu feruida turba leonum
Erumpit latebris, cùm vox audita iuuenci eſt,
Qui vocat amiſſum querulis mugitibus agmen.
Iámq; cruentatas vndare in ſanguine fauces,
Et fractos crepitare putat ſub dentibus artus.
Ergo, vbi veſanam refugæ de littore puppes
Fraudauere famem, diro bacchata tumultu
Horrendùm immugit rabies. iuga pulſa reſultãt,
Æquoráque alternos referunt agitata fragores.
Nec mora, ſaxorum validis emiſſa lacertis
Grando volat, pubémq; Ithacã creberrima tundit,

Et freta ſubuertit duro ſpumantia nimbo.
Horruit attonitus Nereus: ſeque abdidit antris,
Titanum ratus antiquos redijſſe furores.
Franguntur mali: parilique aplustria clade
Strata iacent, altiſque gemunt tabulata cauernis.
Lætitia hic fremit, alterniſque hortatibus ardet
Barbaries. nemorum ingentem iaculata procellam,
Alta flagellatas volvit ſub marmora pinus.
Exultat pelagus, ſpumiſq; tumentibus albent
Fluctus colliſi: & nodoſi vorticis æſtus
Incerto dudum libratas pondere naues
Abrupti abſorbent. Ithaci ratis vna ſuperſtes
Per medios ſaxorum imbres tutiſſima pandit
Carbaſa, & erecto metitur cærula malo.
Saxa trabéſque luem ſignant, nauiſque Mariam.

Druſi Medicus ex Philelpho.

DVm feſto celebrat Druſus conuiuia cultu,
Ac fumãt poſitis bene olentia fercula menſis.
Læta miniſtrorum celeri ſtrepit aula tumultu,
Et pronæ pateris infundunt Maſſica dextræ.
Iámque nitet madidis balano coma cúlta capillis
Et myrto, & roſeis fragrantia tempora ſertis.
Præceſſere ſales: & iam maiore ſuſurro
Atria pulſa fremunt: vultúſq; oculóſq; trementes
Exhilarat vis larga Dei: cerebrúmque vapore
Occupat, & blæſæ ligat internodia linguæ.
Haud mora, fœlici ſortitur regna cateruæ

E pyrgo

E pyrgo proiecta venus : legésque bibendi
Arbiter instituit. mentes datus erigit ordo ;
Gloriáque & plausus : sese cratere lacessunt
Ingenti, & vires magno testantur ab hausu.
Ora magis clamore calent : instare profundis
Vidisses pateris : vnóque volumine longos,
Tortilibúsque scyphis residēs pugnare liquores.
Nil chelys, aut citharæ dulces : digitó-ue loquaci
Tibia inæquales per aperta foramina cantus
Consocians, mouere : crepat facundia præceps,
Et varias miscet confuso murmure voces.
Pars iacet, cructat pars altera : victáque ceruix
Vsque labat, lassique cadunt in pectora vultus.
In mediis ridet Medicus languentia mensis
Pectora, temeti cui non insania mentem,
Non aciem, aut dubio turbat vestigia motu.
Siue nucis Thasiæ succi clausere meatus
Venarum, aut igni madidos hausere vapores.
Ebrietas labem signat, Medicúsque Mariam.

Bucephalus ab vno Alexandro domitus ex Plutarcho.

PLurima iam Macedûm pubes, spectante Philippo,
Nequicquam sæuos fræno domitare furores
Thessalici tentarat equi : cùm Regia proles
Conscia cui virtus, laudúmque immensa cupido
Pridem acres addit stimulos, vndantia raptat

Lora manu, palpátque humeros, & voce magistrâ
Blanditur. tum recto obuertens lumina soli
Insidiosus agit: volucrique recentia saltu
Terga inuadit equi: sed mox vagus ardor eundi
Sæuit, & ingentes rumpit de pectore flatus.
Iratúsque oneri sonipes, truculentiùs ardet,
Oráque captiuæ succendit anhelitus iræ.
Sessor at impauidus pressis castigat habenis
Ora feri. paulatim animos mitescere cogit,
Præcipitésque docet fingendo sistere cursus.
Vt placido tandem didicit noua pondera dorso,
Haud mora, commotis lævà tremefactus habenis,
Atque armos calce incussus, fremit acrè, citúsque,
Fulmineus ceu turbo, volat. post terga relicti
Obstupuere Noti, nec sentit campus euntem,
Crebráque sublato vestigia puluere pendent.
Densâ in nube latet. sed iam fuga fracta per artem
Claruit, & longo sonipes reuocatus ab orbe
Spargitur in gyros: rapidisque rotatibus orbes
Implicat, & vario obliquat vestigia cursu.
Iámque adeò cadit ira minax: nec iam integer ollis
Impetus: effœti manant sudoribus artus,
Rictus & albenti spargit sola putrida nimbo,
Lassáque sublimes suspendunt ilia flatus.
Quadrupedem Princeps, Stygium Virgo edomat anguem.

Vlysses naufragus ex 12. Odyss.

VT dapibus polluta sacris Laërtia pubes
Deseruit Siculos portus: proiectáq; puppis
Ionia affusis sulcauit cœrula ventis:
Ecce nefas toto Phœbus lustrare profundo
Apparat. obsequitur natura, omnisque laborat
Vlturo famulata Deo. iam feruidus igni
Nutrimenta ferens trifido, de viscere terræ
Halitus erumpit. multo iam fœta vapore
Nubila densantur: refugo se lumine condunt
Sydera, deformique latet caligne mundus.
Æoliæ tum claustra patent: emissáque rauco
Ore minatur hyems: emota fragoribus axis
Fulcra labant: raptus crebrâ face dissilit aër.
Nubila continuò largos soluuntur in imbres,
Phœbi pressa manu: Dominóque iubente, liquentes
Pleïadésque, hyadésque ruunt: commotáq; sæuit
Seditio vndarum: discordique æquora flatu
Horrescunt, diróque fremunt certantia cœlo.
Dirigucre animi: iamiámq; aut fulmina certam
Expectant latura necem: scopuli-ue rigentis
Vertice, Rectoris vacuam concurrere pinum.
Dum trepidant, ruit ecce fremens Ioue tortus
ab alto
Ignis, dissutáque ferit compage carinam.
Naufraga turba perit rapidũ reuoluta sub æquor,
Soluit & irato pendenda piacula Phœbo.

Vnicus immenſis Ithacus ſupereminet vndis,
Fulminis & pelagi victor: tabulâque reſidens,
Qualis conſpicuus famulo delphine Palæmon,
Sulcat, & Ogygias tandem contingit arenas.
Vnda, antiqua lues: Ithacus, ſine labe Maria.

Templum Iunonis Cremonenſis ex Tacito lib. 3. Hiſtor.

POſt domitas Vittelj acies, captámq; Cremonã,
Dum tepidâ belli ſudorem Antonius vndâ
Eluit, incurſat circùm fremebunda iuuentus,
Captiuámque flagrat ferro conſumere plebem.
Ambiguâ Princeps vix omnia voce furori
Permiſit, ruit ecce furens per compita miles,
Accenſáſque rotat tectorum in culmina tædas.
Haud mora, nigrantem glomerato turbine nubem
Fumus agens cœlum eripuit: muróſque tenebris
Implicat. aſt omnis ſubitâ de parte fauillæ
Vndantes altè victâ caligine regnant.
Acriùs adiutæ erumpunt, pérque alta feruntur
Culmina præcipiti ſaltu, flammatáque latis
Huc illuc ſeſe euoluunt contagia damnis:
Donec oberrantes prædatrix flamma fauillas
Miſcuerit, cunctáſque auidis ardoribus ædes
Complexa, ignitam attollat per inane columnam.
O dolor! ingentes accenſa libido fauillas
Ingeminat, fuſúſque cruor: confundit Erinnys
Vrbem ingens, vulgúſque rapit libitina, patenti

Horrenda incedens rictu. quin flamma rapaces
Victorum haud prohibet dextras. incenſa Satelles
Aſportat ſpolia, & prædas rapit igne fluentes.
Iámque adeò informis faciem fumantia buſti
Mœnia ſumpſerunt: faſtus premit alta ſepultos
Congeries cinerum. ſæui ſecura vaporis,
Iuno, templa tenes: refugóque volumine circùm
Attoniti abſcedunt ignes, æſtúque repreſſo
Inualidus vetitum limen Vulcanus adorat.
Vt templo parſere ignes, ſic culpa Mariæ.

Pſylli ex Lucan.

QVacúnq; effuſis ingens patet Africa campis:
Quà vel Erythræos Atlantis adúſq; receſſus
Attingit fluctus: vel quà procul exit in Arctos
A Libyco protenſa mari, ſerpentibus horret:
Gorgoneà ſeu tabe ſatis, ſeu ſemine diro,
Quod primùm inuiſo natura immiſcuit orbi.
Siue nocens tellus tepidos in plurima ſoluit
Monſtra ſinus: vbi noctlurnos cùm puluere rores
Incoxit vitale iubar, fouitque calore.
Extulit hinc geminum ſqualentes inter arenas
Amphisbæna caput, recto qui corpore ſiccam
Syrtida metitur: caudáque & fronte ſonantes
Alternat ſpiras, geminóque minatur hiatu.
Seps habet hîc etiam cunas, cui dentibus inſunt
Mille neces. circum ſed enim data vulnera latè
Putreſcit cutis: ac ſubitò diffuſa per artus

Informem ſanies reddit pro corpore plagam.
At portentificis latè Baſiliſcus in oris
Imperium exercet. frontem olli ſigna coronant
Regia: ſanguineis ardent fera lumina flammis.
Afflatúſque diem violat. quà concitat orbes,
Mors ſubit, ac ſtygio necat obuia corpora viſu.
Monſtra nouercali miſeris ea fundit ab aluo
Indigenis Libye. ſed quæ vis inſita Pſyllos
Armat? & innocuas reddit contraria peſtes?
Quippe venenatos tutis gens vna Chelydros
Contrectat manibus: verſátque impunè Ceraſtas.
Obtundit Baſiliſci aciem: fugat Aſpida cantu,
Et terit impauidâ ſpumantem Dipſada plantâ.
Innocuum eſt Pſyllis virus, labéſque Mariæ.

Cor ſancti Ignatij.

VNde procul Tiberina fremunt rugitibus antra?
Vnde omnis præceps Roma in ſpectacula pendet?
Quid ſperat, niſi grande nefas? Ignatius inſons
Cæſaris imperio, mediâ iam ſtabat arenâ,
Ieiunis data præda feris, quas Syrtica mittunt
Littora, quas vaſtis Gætulia nutrit in aruis:
Carceribus rabies cùm libera ſæuit apertis,
Exultánſque auidâ prædam circumfremit irâ,
Conſternítque ſolo. populi vibrata remugit
Confuſo gemitu ſeptenis Collibus Echo.
Aſt animo impauidus inuenis fera funera temnit,

Suſpirátque polum : donec rabida ora negarunt
Et voci & vitæ compreſſâ fauce meatum.
Pectoris extemplo ruptà compage pateſcit
Quicquid homo eſt. ignota priùs penetralia latè
Panduntur : dirôque fodit præcordia morſu
Certatim furiata cohors. latus haurit vtrúmque :
Aërij molles pulmonis deuorat alas :
Sanguificum mandit iecur, & trepidantia ſoluit
Vincula neruorum. laceri ſibi corporis artus
Bellua quæque rapit, vacuámq; recondit in aluum.
Ac velut accipitres pauidã per inane columbam
Cùm tenuere, trahunt: merſiſque in viſcera roſtris
Exanguem laniant, ſorbéntque trementia membra.
Iam circùm lambit cruſtati ſanguinis atros
Ingluuies impaſta globos, ſparſaſque medullas.
Aſt vnum in medio cor inanes puluere motus
Tentat adhuc, quod turba vorax violare veretur,
Auertítque procul refugos exterrita vultus.
Nec fera cor tenerat, labes nec auita Mariam.

Rhodus ex Floro.

DVm Syllæ ferro, Marilque furoribus arua
Auſoniæ concuſſa gemunt: & cæde ſuorum
Roma natat : partémque malis Sertorius addens
Exul in Hiſpanas defert incendia terras :
Erumpit ſubito tempeſtas Pontica motu,
Attonitam inuoluens Aſiam, ſociôſque cruentat
Romano temerans commercia, ſanguine portus.

Prætereà tantis ſuperaddere damna ruinis
Europæa parat. námque atrox ire Tyrannus
Præcipitat claſſem. vaſtum vix nauibus æquor
Sufficit, & venti tot vela inflare laborant.
Inſtantes Ægea tuis ò vnda procellas
Quis Deus auertet terris? ſæua agmina vaſtant
Inuità Iunone Samon: pelagique frequentes
Nequicquam opponit tellus Eubœa tumultus.
An tua te, Naxos, communi numina cladi
Eripiunt? ſacros frangit gens impia thyrſos,
Verſáque mœrentis populat vineta Lyæi.
Horruit attonito Delos Latonia fundo,
Venturi præſaga mali: nexúſque perennes
Damnat, & antiquos luget ceſſaſſe recurſus.
Huic quippe haud parcit rabies: adytiſq; negatur
Fortunà meliore frui. violantur honores,
Calcatúrque (nefas) ſpreti reuerentia Phœbi.
Nulla adeò tanti graſſantes inſula ponti
Effugit furias. potuit Rhodos vnica ferro
Præcipitem frænare luem, finéſque tueri
Innocuos: & ſola fidem ſeruare Quirino.
Sæua acies eſt prima lues, Rhodos inuia Virgo.

Palladium ex Plinio.

COlle Palatino Veſtæ quà ſanctior ædes
Eminet, & caſtis lampas vigilata puellis
Ardet inextinctis ad ſacra altaria flammis:
Ignitam attoniti ſubitò videre Quirites

E flagrante tholo volitare ad ſidera nubem.
Siue Dea accendit, ſegnes exoſa puellas,
Templa-ue adulteriis pridem polluta piauit.
Siue ſuo ignotum ſatiari numen honore
Mulciber impatiens, dum longè ſpretus ab vrbe
Exulat, & raro fumant altaria thure,
Iñcubuit totus Veſtæque domúſque ruinis.
Inuoluens námque ipſe ſacros ardore penates
Æternum abſumit foculum. tum fornice rapto,
Liberiùs furit, ac fundens incendia latè
Exilit, & nubes vndanti vertice lambit.
Cyclopum ardentes, Domino mandante, caminos
Hoc credas ſpirare loco: Liparéque relicta
Arma Ioui hic trifidũ formare Pyracmona fulmẽ.
Horruit attonito propior Victoria templo,
Flammantes victa ipſa Dei ne ſentiat iras.
Delubri perit omnis honos: ſacra gaza voratur:
Auratas aræ craſsà fuligine cruſtas
Commutare gemunt: ignéſque vomentia largos
Per ſola decurrunt liquefactis æra columnis.
Quis verò medios fretum pietate per æſtus
Non ſtupet imperij pignus rapuiſſe Metellum
Palladium ex adytis? rabiem cecidiſſe vaporis
Hoc circum? atq; auidos frænaſſe incendia gyros,
Seu tela horruerint, truculenta-ue Palladis ora,
Palladium eripitur flammis, culpæque Mariæ,

Domus Raab ex lib. Ioſue.

SEruitio Pharij gens ſancta ſoluta Tyranni
Per pontum tulerat veſtigia ſicca rubentem:
Squalentéſque Arabum campos emenſa, ſacríque
Diuiduas Iordanis aquas, tandem, ore Tonantis
Promiſſæ, lacero ſucceſſerat agmine terræ.
Hic Iericho validis ſteterat circundata muris,
Fœta armis opibúſque potens: quò vertere turmas
Hebræis viſum eſt, totiſque inuadere caſtris.
Spicula nulla volant: ferrato turbine portas
Haud aries pulſat: nec pondere penſilis aquo
Machina concluſos vtero, vehit arcibus hoſtes.
At circum pauidas arces præcuntia cantu
Claſſica turba ſequens, ſeptenos circinat orbes.
Tum tellus tremit, & fundamine verſus ab imo
Iſacidis murus nudatam præbuit vrbem.
Agnouere Dei auxilium: rapidóque tumultu
Abramidæ irrumpunt: cædi laxantur habenæ,
Vis gladij exundat latè, miſeróſque vagatur
In ciues: ſexúmque rapit par meſſis vtrúmque.
Tela quoque exitio miſcet Vulcania victor
Ignis quippe furit: culménque per omne volutus
Æſtuat, atque auidis prædo complexibus errat,
Haurit & ignito vulgúſque laréſque ſepulcro.
Iámque vrbs apparet ferro populata rogiſque
Deformis buſti facies. iam militis omnes
Euertit trux ira domos. aſt vnica Raab

Salua videt tantos inter ſua tecta furores.
Scilicet Hebræos iniecto ſtramine texit
Exploratores, lusitque ſatellitis arma.
Flamma luem cladéſq; notant, & tecta Mariam.

Bacchus ex hymnis Homeri.

VLtima Tyrrhenæ peragrantem litora terræ
Formoſi falsà iuuenis ſub imagine Bacchi
Abſtulerant rate prædones: lætique rapinà
Diuite, iam velis altum remiſque ſecabant:
Ecce nefas ardet violati numinis ira
Vlciſci, & merito ſontes inuoluere fluctu.
Antè tamen libuit variis illudere monſtris.
Námque improuisò mediâ rate, nectaris ortus
Fons tabulata rigat, gratúmque exhalat odorem.
Quinetiam antennis gyrata virentia latè
Brachia protendit vitis: cui penſilis hæret
Vua frequens: curuúſq; gemit ſub pondere palmes.
Complexúſque ederæ multos redeuntis in orbes
Malum ambit caudex, qui tranſtra per omnia ſerpens
Frondibus intextas ſcalmis dat habere corollas.
It nauis redimita, velut cùm victor ab Indis
Deſcendens, repetit Thebana cacumina Liber.
Horrida mox vrſi ſe curuat in ora Lyæus:
Pèrque foros immanè fremit. dolor intima torquet
Corda virûm, & prædã ſerò execrantur iniquam.
Móxque grauẽ frendens leo vibrat in ilia caudam,

Et patulo insultat rictu. dux criminis auctor
Corripitur, vitámque fero sub dente relinquit.
In pontum nautæ insiliunt: Bromióque volente
Delphinum accipiunt formam: caudæque flagello
Incursant salsas pinnis sociantibus undas.
Vnicus humanos Rector non exuit artus
Dissuasor sceleris. quem nom miracula terrent,
Non vrsi, aut sæui facies truculenta leonis.
In formâ Rector manet, in candore Maria.

Tentyris tuta à Crocodilis ex Plinio.

QVàm benè cum Nilo sociis natura maritat
Nexibus Ægyptũ! longis hæc cursibus imos
Emerito præbet tibi, Nile, cubilia campos.
Non fraudata quidem: gremio nam infusus amico
Sufficis in varios genitalia semina fœtus.
Illius largas flauentia iugera messes
Te cultore ferunt. solo te flumine fœlix
Terra foret: nisi labe graui tua pessima proles
Fœdaret sublime decus. (bona nulla creantur
Congenitis nisi mixta malis!) nec gurgitis almi
Redderet infames Crocodilus degener undas.
Scilicet innumeris natalia stragibus arua
Polluit, & quãuis totũ furat hydra per amnem,
Non tamen immani fluuialia regna tyranno
Sufficiunt. latè prædo prorumpit in agros,
Vixque tegunt miseram malefida mapalia plebem.
Supremos quid ego memorem, quos poscit, honores?

Quid-ue infanda loquar mentitis furta querelis?
Quid querar insidias? atrox fera littus vtrumque
Obsidet: inque sinu tellus quæcumque fouetur,
Nile, tuo, audaci non est imperuia monstro.
Vnica funestos ridet secura furores
Tentyris, & famulâ victrix de peste triumphat.
Nam si clamorē indigenum procul auribus hausit,
Abscedit tremefacta lues, vocisque tenorem
Vitat, & in varios longè fugit auia tractus:
Fluctibus in mediis squammoso insidere tergo
Gens audet, patulosque iniecto robore victus
Frænat, & inuisis adigit parere lupatis.
Sis prima, ô Crocodile, lues: Túque insula, Virgo

Miles Reacensis ex hist. Lud. 13.

SÆua Reacenses dum verberat Anglia muros;
Præreptoq; aditu, obsessis extrema minatur.
Anxius interea Torasus, cui viuida bello
Dextera, & angustis melior sententia rebus;
Quid faciat? quà Regi instantes arte ruinas
Nunciet? explorat sociorum his pectora dictis.
Cernitis, ô ciues, quanto discrimine pendet
Nostra arcisque salus. muros hinc fulminat hostis,
Imminet inde fames: tamen est ignara pericli
Regia maiestas, quis nuncius æquore menso
Poscat opem? via nulla patet: naualia defunt;
Aut pennis pinnis-ue opus est. Vix talia fatus,
Tergemini exiliunt iuuenes, fortissima nando

Pectora, & æquoreos ſpondent tranare furores.
Ergo humiles tacitique abeunt, & nocte ſilenti
Iucumbunt pelago. validis freta cana lacertis
Infindunt. alto luctantur pectore fluctus,
Et tenſo longos alternant poplite motus.
At tantùm tenet vnus iter, quem nulla fatigat
Turbida vis ponti, non ſæua volumina frangunt.
Ille audax hyemes, venientéſque obuius vndas
Intrat, & immenſos fugiens dat corpore tractus.
Qualis cùm ſummo ſublimis in æquore Triton
Eminet, & caudæ ſulcat vada ſalſa flagello.
Aut qualis charæ cùm lætus ad oſcula matris
Conſpicuus properat famulo delphine Palæmon.
Hunc ſtupuit Tethys, ſtupuit vaga turba natantum,
Inuidáque inſequitur morſu. at fugitiuus hiantem
Fallit, & optatas victor contingit arenas.
Miles aquas, primæuáq; crimina Virgo triũphat.

Cauchi ex Plinio.

QVà torpent Scythicis ſubiecta Trionibus arua,
Æterno damnata gelu, ſecluſus ab orbe
Æquoreis populus digit circunfluus vndis.
Inuiſæ hoſpitio Cereris ſuſcepit egentem
Vndoſo Thetis alma ſinu: miſeróque quietas
Fundauiſſe dedit violento in gurgite ſedes.
Scilicet in molli firmiſſimus agger arenâ

Inuicta compage ſedet: nullóque tumultu
Excutitur, pelagique minas deridet inanes.
Seu cùm indignatus rabiem leuiore teneri
Obiice Neptunus, captiuis ſoluere pugnat
Impatiens data fræna vadis, inuiſáque contrà
Littora præcipites glomerat vaſto impete fluctus;
Seu quando erumpens vicino Aquilonis ab antro
Debilius iuuat ira fretum, ſuſpenſáque portat
Æquora, & horrificis ferit obuia clauſtra procellis;
At licet vndanti latè loca gurgite Nereus
Cuncta premat, tumulóſque graui circuntonet irâ;
Tuta tamen ſuper inſtabili magalia fundo
Stant, opus humanum: ſolidáq; crepidine ponti
Obtundunt rapidos æſtus: Boreæque ſaliſque
Non coniuratos metuunt ſecura furores.
Cauchus inops ea regna tenet: gens neſcia luxûs,
Neſcia deſidiæ, contentáque ſimplice victu.
Quippe ſibi leuibus piſces alimenta phaſelis
Venatur refluente ſalo: quibus aëris aurâ
Siccatis tenui, Cerealia pabula penſat,
Penſat & ætheriis Bacchëia munera nimbis:
Vt ſolidi fluidas tumuli ſtant inter arenas,
Prima inter ſic pura manet contagia Virgo.

Eques ex vndis ereptus ex Turcelino.

QVà rapidi præceps euoluitur vnda Velini,
Hoſpite lapſa lacu; Niliq; imitata ruinas
Deſidui, ſtrepitu vaſto prorumpit ab altis

Verticibus, Narisque albo se gurgite mergit,
Sulphureúmque subit non dedignata cubile.
Huc, iuga sũma legens, rapidũ deuenerat amnem
Iuuisurus eques: propiùs, propiúsque tuendi
Accedens studio, littus decliue pererrat,
Cornipedémque vado laxis admisit habenis.
Ille via exhaustus gratos sorbere liquores
Impatiens, ruit: ac subitò prouectus in altum,
Deficiente solo, rapitur, cum pondere, fluctu.
Nec mora, nutantem torrens, artúsq; trementem
Vnda virum deturbat equo: crebróque rotatu
Torquet ad arbitrium, súbque altos sæpiùs æstus
Deuoluit, rursúsque cauà mox reddit ab aluo,
Et victrix miserum redeunte volumine ludit.
Non secus ac stagni vitreo sub marmore prædam
Aduertens mergus, præceps petit ima, pedúmque
Remigio, summis iterum supereminet vndis.
Iámque neci obluctans, scopulo casurus ab alto
Pendebat, tibi se cum vorticis inter hiatus
Deuouet, ô Virgo: Lauretáque limina spondet,
Natalémque venire domum. tum Diua precanti
Accelerat, delapsa polo: dextráque ruentem
Sustinet, ac duris inuito pondere saxis
Illæsum deponit onus: charúmque supremo
Depositum lethi præsens discrimine seruat.
Eripit amne equitem Virgo: Deus eripit ipsam,
Conceptámque vetat primæuo crimine mergi.

Hiberniа

Hibernia ex Geographis.

NObilis occiduo ſub ſole Britannica contrà
Littora, quadrifidq ſe ſe explicat inſulæ
cornu:
Inſula, ſub cœlo quam ſurgere iuſſit amico
Natura, influxus ſemper mittente benignos.
Fortunata ſoli ingenio, quæ neſciat angues,
Ignorètque feros monſtrorum educere fœtus.
Non putres animat glebas: nec ſole calenti
Procreat incoctas fœcundo in pulvere peſtes.
Hìc non ambiguam diverſo ſemine prolem
Indigenæ portenta tremunt: non Aſpidas horrent
Multâ morte graves: nullos nocuère Ceraſtas,
Ignorant Scythalen: hinc exulat arida Dipſas,
Orèque fulmineo ruſtans incendia Præſter.
Et vaga paſcuntur lætos impunè per agros
Nec Sepis dentes metuunt, Iaculi-ue volucrìs
Inſidias, purósque bibunt armenta liquores.
Perfida progenies, totis procul exulat aruis
Vipera, ſecuras nec Scorpius obſidet ædes.
Fuſa ſolo carpit neglectos ruſtica ſomnos
Turbà, nec in vacuum levat alta cubilia cœlum.
Maior ineſt virtus: quæcunque advexeris illuc
Externo concepta necat contagia mundo,
Nec tetras temerare ſinit purum aëra peſtes.
Cura Dei, cælique labor, tibi ceſſerit vltro
Et Samos & magni Latonæ conſcia partûs

Insula, venturi quamuis prænuncia casûs:
Cesserit & summo tellus reptata Tonanti.
Serpentum indigenas non educat insula fœtus,
Externósque necat: Stygium Virgo exterit anguem.

Retiarius ex Suet. in Caligulâ.

ARctata in gemino spectabat Roma theatro:
Iam tuba ferali consistere iussit arenâ
Compositas ad bella manus. hinc retia quassat
Turba ferox, dextráque agitat radiante secures.
Inde Secutores plumbatæ pondera massæ
Alta ferunt, longósque rotant vertigine contos:
Vmbonémque manu, galeámq; in vertice motant,
Séque tegunt cautè clausis circùm vndique mẽbris.
Concurrêre pares: sparsis hic cassibus hostem
Grex petit: ac trifidis intentat vulnera telis.
Mox, vbi se vacuo fuderunt retia jactu,
Non ausus iam stare loco, velocior aurà,
Euolat, & totâ cursus obit actus arenâ,
Opponitque Iouẽ instanti, & circùm implicat orbes,
Donec collegit maculas. tum versus in hostem
Ire audet, fixóque instaurat prælia gressu.
Genua negant, tremit attonitum formidine pectus,
Iamque cadit: positu nec se, de more, decoro
Sternit humi, aut ferrum sibi certo attemperat ictu.
Dum trepidant, atque ignauos erecta fatetur
Pollice dextra metus, fremitu spectacula circùm
Sæua sonant, digitósque premunt. traiecta iacentis

Pectora rumpuntur sceleratáque gaudia pascunt.
Vnus at ecce solo leuis exilit, ac sibi vindex:
Arma rapit, pugnámque nouat, versóque tridente
Plurimus attonitos vrget: mortésque rependit
Mortibus, abductúmq; fugà celer occupat hostem;
Multáque continuo coniungit funera ferro.
Pugna luem, Victor signat sine labe Mariam.

Echion ex Lambino in Horatium.

SParsit vbi anguinos impresso vomere dentes,
Vixque fatigatis Cadmus iuga bobus ademit:
Continuò dura in molles, lentescere fœtus
Semina cœperunt: viuóque animata calore,
Parturiente solo, varios finguntur in artus.
Iámque cor alternos motus ciet, & iecur almo
Multiplices implet venarum nectare ductus.
Quid moror? impatiens quærit prorumpere miles,
Armatúmque caput galeà surdo arua tumultu
Pulsat, & oppositos molitur rumpere sulcos.
Gleba salit surgente manu, quæ cuspidis actu
Tristia venturæ signat præludia pugnæ.
Fœta sinum bello tellus hiat, aruáque latè
Grandia diuiduis protrudunt corpora sulcis.
Vix lucem adspexere, ruunt in prælia fratres
Terrigenæ. primas confuso examine cædes
Sors pulsà ratione serit. simul erigit ægmen
Mille manus, mille arma rotat. velut illa iuuẽtus,
Plurima quæ totos vibrauit in æthera montes.

Aut quæ correptas gaudebat ſpargere quercus,
Cùm ſacram Hippodames maculauit ſanguine
tædam.
Huc globus, atque illuc ſe voluit, & vſque
cruentis
Cuſpidibus ſeſe inſequitur. magis & magis iræ
Igneſcunt: miſeræ donec compendia vitæ
Sortitum ſimul incœpit rareſcere vulgus,
Hauſerúntque ſuos natalia iugera partus.
Iámque iacent: multo & tellus pro pignore mulcum
Funus habet. ſolus tantâ eſt de plebe ſuperſtes
Cæptorum ſocius tibi, Cadme, futurus Echon.
Strage antiqua lues ſignatur, Echione Virgo.

Platanus in Thèris ex Herodoto, cùm Rex illius Inſulæ oraculo parere cunctaretur.

QVid, Princeps, dubius pendes? Deus impe-
rat, ito:
Iuſſa peregrinis aſſurgant mœnia terris.
Impie, num ceſſas? cernis quàm crine minaci
Sæuit, & vltores accendit Cinthius æſtus!
In tua damna furit: cúmque altũ euectus in orbem,
Hæret, & inuiſis defigit lumina Theris,
Sanguineóque rubet vultu: quóque ocyùs omnem
Ebibat humorem, Cancrum tenet vſque calentem,
Feruidáque æſtiferi aſſiduus premit ora Leonis.
E tepido ſiquando ſinu circunflua Tethys
Exhalat tenues nebulas, torrentibus aſtris

Non coëunt nubes, ſed inania vellera pendent.
Iámque putris tellus nullà radice tenetur:
Puluere iam ſegetes, Bacchus iam puluere marcet,
Aridáque inſano coquitur vindemia cœlo.
Tabidus arboribus ſerpit ſitus: horrida frondes
Exurit macies: radixque immortua arenis
Almos pallenti trunco non ſufficit imbres.
Flumina fonte vacãt: fugit omnis Naias ab antris,
Et cinere obductos Nymphæ liquêre receſſus.
Mira fides! rapidos inter ſeruata vapores
Immortalè viret Platanus: latóque ſuperbit
Orbe comæ, fundit vegetà propagine ramos,
Vernantíſque decus frondis. ſub ſydera longo
Turbine ſe tollit vertex, ſolémque triumphat.
Huic circùm alludunt zephyri: mollique ſuſurro
Stridula odoratæ mulcent vmbracula ſedis.
Naiades hanc, Dryadéſq; tenent: mixtúſq; puellis
Hoſpita, iam flammæ oblitus, Panfrigora captat.
Sola viret Platanus, ſola eſt ſine labe Maria.

DE REGIS FOELICITATE

EPIGRAMMA.

AVrea tot Regum ſoboles: ô ſera voluptas,
O Regni Ludouix ſpéſque decúſque tui:
Obuenère quidem teneris tibi ſceptra ſub annis,
Et tibi ſunt vaſti credita iura ſoli.
Rite tamen moles humeris puerilibus apta eſt,
Et properas factis Herculis acta ſequi.
Námque quòd ille ſibi obiectos eliſerit angues,
Et clarum Argiuo fecerit orbe diem:
Soluerit & Nemæam, & longo diſcrimine Lernam,
Aſſeruit magni ſe genus eſſe Iouis.
At laceras Belgam validâ ceruice Leonem,
Et Patrio Auſtriacam fulmine ſternis Auem.
Procubuit Dunkerka tibi, numeroſior Hydrâ,
Inſuber & Serpens comprimit ora metu.
Impulſaſque tibi malè fulcit Iberia Turres,
Et nudum telis dat latus omne tuis.
Si fortuna tibi creſcat, creſcentibus annis,
An famæ, aut factis terminus vllus erit?

SERENISSIMO PRINCIPI
DE CONTY
DVM EX ALIENO
COLLEGIO IN ACADEMIAM
Parisiensem adsciscitur.

O Qui virtutum scandis fastigia, Princeps,
Et sancto Reges pectore claudis Auos,
Hæc dum iura subis Academica, Carolus Ingens
Vtráque æthereâ plaudit ab arce manu.
Lætor, ait, meus ignoto mihi prodit ab orbe,
Et celebrat reduci limina nostra pede.
Crescite in immensũ, mea pignora, crescite amores,
Vos liget inuicto fœdere sancta fides.
Tu gaude, æternis sedes mihi condita fatis
Numina delubris iam redière tuis.
Eia, Nepos, meritò colitur tibi nostra Vetustas,
Non etenim Nouitas, sed facit illa Deos.

IN LIBRVM DE LVMINE
à Domino de la Chambre insigni Philosopho & Medico Regio.

MVndi ortum & causas, Camerari, & semina rerum
Nota sibi, pridem plurima Secta sonat.

Nemo tamen per tot ſæcli reuolubilis orbes
Luminis eſt auſus ſollicitare chaos.
Turba volutata eſt tenebris, neque ſuſtulit ora:
Non potuit rectò lumine ferre diem.
Has aperire tibi poſt omnia contigit vmbras,
Contigit & ſoli conciliare Iubar,
Iam patet vnde color; quæ ſint diſcrimina lucis:
Cur variis niteant corpora tincta notis.
Luceat an veris imbuta coloribus Iris:
Illitus an nebulis fucus & aura natet.
Ergo Sophiſtarum cedant tibi cætera tantùm
Agmina, quantùm aquilæ noctua cedit auis.

IN D. MENILII PARATITLA ad Francorum Mores accommodata.

QVò Romanarum numeroſa volumina legũ,
Si noſtri non ſint legibus apta fori?
Multi inſudarunt laceram contexere molem,
Illorumque labor præmia laudis habet.
Multi inſudarunt breuibus concludere gyris,
Grande decus ſtudiis & peperère ſuis.
Tale iacebat opus tamen, & vix vtile noſtris
Quippe tuæ aptabat, Gallia, nemo Togæ.
Dat ſeriem, metáſque breues, dat fœdera Franco,
Apta foro, Menilus: gloria quanta viro eſt!

Aliud Epigramma.

DVm Francos positis sociat cum Cæsare bellis
Pax, & inabruptâ iungit vtrósque fide;
Pulchro Cæsareàs Menilius ordine leges
Connectit, Francæ conciliátque Togæ.
Hac ignota tenus gemini concordia iuris
Arte nouâ exurgit, dissidiúmque fugit.
Macte labore tuo, Menili, Gallia debet
Et Cæsar curis præmia magna tuis.
Nam quis vtrósque putet longâ sub pace futuros,
Si grauis illorum iura tumultus habet?

De Cæsare ex Suetonio.

PVppe Rhodon dum Cæsar adit, fit prædа carinæ,
Quam multo impellit remige prædo Cilix.
Ipse tamen fastus retinet, sed temperat vltrò,
Dum miscet, minitans vltima fata, sales.
Irrisère minas nautæ, & pereuntia verba:
Æráque captiuum dinumerare iubent.
Redditus ipse sibi, profugos lætósque rapinâ
Prosequitur, spatio consequitúrque breui.
Continuò sontes suspendi ex arbore iussit,
Contortóque ream frangere fune gulam.
Ite leues, ait, &, qui vos agitare solebat,
Ventus agat: solitæ desit at vsus aquæ.

AD DOMINVM DE CHOISY Regi à Conſilijs.

HIc vbi Tectoſagum lætis regionibus arces
Conſpicuum multâ turre tulère caput:
Bellorum fremitus latè, & ciuilis Erinnys
Spargebant rapidas per fera corda faces.
Naſcentes, Choiſæe, premis mirâ arte tumultus,
Ac populis per te pax que fidéſque redit.
Hinc reducem excepit vultu Regina benigno,
Et læta obſequium prædicat Aula tuum.
Bella duces iactent multo confecta cruore:
Plus Regi præſtas, bella cruenta caues.

In Rhetorem exotica ſectantem.

RHetor diſcipulos aſininis auribus optat,
Nil niſi dum Plautum Pacuuiúmq; crepat.
Si res ex voto ſuccedat, rudere diſcent,
Quóſque homines dederis, ille aſinos faciet.

In alium.

DVm recitat Furius, phalerata Poëmata fundit,
Dum tentat verſus commota lenta trahit,
Vult Oratores inter bonus eſſe Poëta:
Vult inter Vates eſſe Sophiſta malus.

DESCRIPTIO PESTIS, EX ALIO majori Carmine decerpta.

VAllibus hærentẽ, & ſtabulantẽ in ſede paluſtri
Peſtem inſſa vocat. ſtrumoſo turgida collo
Surgit dira lues: quam tetri Ianitor orci
Lactauit ſpumâ ardenti: ſtygióque veneno
Pauêre Eumenidum colubri. ſtant liuida flammâ
Lumina: palleſcit facies, & operta nigranti
Frons nube horreſcit: torrens ſitis ora perurit:
Igneſcunt laſſati artus: tenuíſque recurſat
Spiritus, ac multo cutis aſpera tubere ſurgit.
Inguinâque, axillæque, & cernix pure liqueſcunt
Fœtenti: fluidum ſe ſoluit in vlcera corpus.
Non tot lethifero Baſiliſcus funera vibrat
Lumine: nec rapido metuendus dente Ceraſtes,
Ore-ve fulmineo ructans incendia Preſter.

DE IACOBI AMELOTII In ſupremo Regiorum vectigalium Tribunali Primi Præſidis Eloquentiâ.

LArgis fandi opibus, fuſóque Amelotius auro
Perſtraxit populos, Gallia, ſæpe tuos.

Seu Themin ac leges, legúmque oracula pandit,
Atque Aulæ & populi commoda juncta ligat:
Seu noua fulmineâ contundit crimina linguâ,
Et ſancto indomitum Mancipis ore nefas:
Victor ouat, blandiſque trahit ſibi corda catenis,
Quóſque habet affectus, vox opulenta mouet.
Facundum Alcidem Galli finxêre priores:
At tibi iam Alcides, Gallia, verus adeſt.

AD CONSVLES PARISIENSES.

MOs fuit Auſonijs, vt qui produxerat oras
Imperij, majus clauderet Vrbe ſolum.
Pariſij dubitatis adhuc Pomœria Ciues
Vltra ſuburbanas grandia ferre domos?
Vrbis idem & Regni fatum eſt: cur ergo patebit
Hoc procul, & priſcos non trahet illa ſinus?

DE CLARISSIMI VIRI CAROLI BRVLARTII Legationibus.

DVm tibi tentat Iber gentes auertere amicas,
Gallia, & antiquâ diſſociare fide:

Iamque dolis nutant populi, quos gurgite primo
Rhenus, & immenſo culmine Iura premit.
Quos imis ſummæ texerunt vallibus Alpes,
Queîs tribuit dubies Adria ſtare vadis.
Protimus eloquio eludit Brulartius artis.
Arctiùs & Francis fœdera priſca ligat.
Fama, tace Cynea: nec enim tibi, Pyrrhe, tot Vrbes
Læſit: hic gentes quot, Lodoice, tibi.

PETRO SEGVIER FRANCIÆ Cancellario.

AVgebat modò Seguerius, te, Academia, cenſu:
At ſubitis fremuit Mancipis ira minis.
Protinus ille ſacræ contraxit munera dextræ
Nec dare plus voluit, ne minus ipſe daret.
Vngue ſed Harpya, & rictu iam mæret inermi:
Macte animo, reliquam iam tibi ſubdet opem.

Ad Caupmartinum Senatorem Pariſ.

ALter vix annus premit anni terga prioris,
Diceris & primi gloria rara fori.
Caupmartine, tuis adſint ſi numina cœtis,
Num te digna ſatis prima Curulis erit?

Ad Bignonium Aduocatum Regium in Senatu Paris.

BIgnoni, hæc vna est laudum mensura tuarum:
Par animo, & meritis sola reperta tuis.
Diceris exculto rediuiuus pectore Nestor:
Tullius eloquio, moribus esse Cato.

De morte Ducis Rohannæi.

NOrica quà tellus Tribocis confinia iungit:
Et populos rapidis diuidit Ister aquis,
Incussit vasto Germanos Gallia motu,
Et largo hostilem sanguine sparsit humum.
Hîc, dum Marte furis, sociósque Rohanne tueris,
Occidis: & virtus te tua sternit humi.
Parca tamen fauit; nam qui præstabat Achillem
Pectore, Achillæo vulnere victus obit.

In Helcitelem.

FAstidit Gaia Helcitelem, neq; curat amores:
Nempe inguen iuueni, læuáque mamma. iacet.
Hanc precibus pater, & donis ingentibus ambit,
Hanc colit: haic implet multo adamante manū.
Dat Serum rutilas vestes, dat millia nummûm,
Perfica quot vidit millia versa Cilix.
An fas est nati munus præstare parentem?
Aut tanti è laribus trudere stultitiam?

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM IOANNEM DE CHOISY, REGI A CONSILIIS, & Cancellarium Gaſtonis Filij Franciæ, Aureliorum Ducis.

CVM Themis egregios percenſet Gallica Myſtas,
Choiſæe, honorato ſtat tibi fama gradu.
Principis eduxit te purpura clara Senatus:
Atque fidem, & mores per duo luſtra probat.
Hinc Themis, & Ludovix primam reuocauit in arcem:
Porgere te populi iuſſit vtérque preces.
Quot curas? quæ deinde negotia credidit Aula?
Seu populos inopes ſeu mage caſtra leuat.
Te gauiſa hyemes Campania Iudice ſeptem
Texit ab inſano milite ruris opes.
Te Somonæ populi numerosà clade gementes
Vindice, ſe magnis eripuere malis.
Quæ loca, quot Francis patuerunt oppida telis,
Dum tua iura Duces, conſiliúmque iuuant?
Te ſine Brezæo victoria cognita nulla eſt:
Nec plena Anguyeno gloria ab hoſte redit.
Te ſibi delegit comitem Duneſius Heros,

Ad Bignonium Aduocatum Regium in Senatu Paris.

BIgnoni, hæc vna est laudum mensura tuarum:
Par animo, & meritis sola reperta tuis.
Diceris exculto rediuiuus pectore Nestor:
Tullius eloquio, moribus esse Cato.

De morte Ducis Rohannæi.

NOrica quà tellus Tribocis confinia iungit:
Et populos rapidis diuidit Ister aquis,
Incussit vasto Germanos Gallia motu,
Et largo hostilem sanguine sparsit humum.
Hic, dum Marte furis, sociósque Rohanne tueris,
Occidis: & virtus te tua sternit humi.
Parca tamen fauit: nam qui præstabat Achillem
Pectore, Achillæo vulnere victus obit.

In Helcitelem.

FAstidit Gaia Helcitelem, neq; curat amores:
Nempe inguen iuueni, læuáque mamma. iacet.
Hanc precibus pater, & donis ingentibus ambit,
Hanc colit: huic implet multo adamante manũ.
Dat Serum rutilas vestes, dat millia nummûm,
Perfica quot vidit millia versa Cilix.
An fas est nati munus præstare parentem?
Aut tanti é laribus trudere stultitiam?

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM IOANNEM DE CHOISY REGI A CONSILIIS, & Cancellarium Gaſtonis Filij Franciæ, Aureliorum Ducis.

CVM Themis egregios percenſet Gallica Myſtas,
Choiſæe, honorato ſtat tibi fama gradu.
Principis eduxit te purpura clara Senatus:
Atque fidem, & mores per duo luſtra probat.
Hinc Themis, & Ludovix primam reuocauit in arcem:
Porgere te populi iuſſit vtérque preces.
Quot curas? quæ deinde negotia credidit Aula?
Seu populos inopes ſeu mage caſtra leuat.
Te gauiſa hyemes Campania Iudice ſeptem
Texit ab inſano milite ruris opes.
Te Somonæ populi numerosà clade gementes
Vindice, ſe magnis eripuere malis.
Quæ loca, quot Francis patuerunt oppida telis,
Dum tua iura Duces, conſiliúmque iuuant?
Te ſine Brezæo victoria cognita nulla eſt:
Nec plena Anguyeno gloria ab hoſte redit.
Te ſibi delegit comitem Duneſius Heros,

Cùm longè Auſtriacis intulit arma plagis.
Quid, quòd & Heſperiæ Ludovix ſe rumpere
Poſſe negat, curis ni ſua caſtra iuues?
Ergo adiuviſti, & Domino ſua Ruſcino ceſſit:
Patricium inde tibi eſt; præmia magna, decus.
Mox Gaſto imuidit Fratri, ac te in munera poſcit,
Et iuſſit ceris vſque præſſe ſuis.
Quàm ſæpe Aula ſibi repetit! ſeu militis iras
Germani redimit, priſca-ve pacta novat.
Seu cauet, ardentes ne Aquitana rebellio Volcas
Pertrahat, & totus marte Garumna fremat.
Si tot facta Viri ſpectes, curáſque fidémque,
Anne, Aſtræa, Tibi digna Curulis erit?

AVDOMARO TALÆO,
IN SVPREMO GALLIARVM Senatu Aduocato Regio.

COrde Themin, Sophiámq; geris, Suadámque labellis
TALÆE, *inque tribus numina cuncta tenes.*

Aliud.

QVòd totas, TALÆE, hauſit tibi pectus Athenas:
Ac tonat in primo lingua beata foro:
Inuictáque fide quòd Regia iura tueris,

Atque

Atque ſimul populi conciliata fouet.
Te populus, Talæe, colit: te diligit Aulæ:
Et ſonat immenſum Franca per arua decus.
Ac tibi par Natus populis iam ſurgit, & Aulæ,
Hic dabit, vt gemino munere vtróſque liges.

AD LVDOVICVM DECIMVM Quartum.

SCALDIS, Iber, Rhenus, Mænúſque Iſtérque Paduſque
Sub vinclis mœrent iam, LODOÏCE, *tuis.*
At miſera in medijs languebat Gallia palmis,
Nec iam tollebat fortis, vt antè, manus.
Victricis ſitus & macies exederat ora:
Serpebátque vrens viſcera adúſque lues.
Excutit ecce imis contagem Curia venis,
Et membra antiquis viribus aucta nouat.
Adſtringit leges: male-ſanos temperat æſtus:
Præterita inſequitur damna, futura cauet.
Macte bonis, Ludouix: tu vires detrahis hoſti:
Has Regi auxiſti, Curia, macte bonis.

AD DOMINVM DE MAROLLES Abbatem de Villeloin.

EXagitat Vrbem non leuis contentio,
An plus Latini debeant Vates tuis,

MAROLLE, *curis: noſtra quos verba eloqui*
Sono eleganti, & ore grandiloquo doces:
An tu Latinis Vatibus plus debeas,
Verbis miniſtrant dum graues ſenſus tuis.
Vtríque cauſas adſtruunt pugnâ pares,
Acréſque certant: & (nouum ô ſæcli decus!)
Non themis amorem: non amor vincit Themin:
Atque dirimendam poſteris litem abdicant.
Sed ſi admonenti habenda Phœbo ſit fides,
Francæ & Latinæ quandiu linguis decus
Incolume ſtabit: quandiu eloquium nitens
Ingenia ducet, tandiu circum Arbitræ
Famæ tribunal jurgium implacidum obſtrepet,
Neque vlla nexum ſæcla diſſoluent grauem.

HYMNVS IN SS. GERVASIVM & Protaſium.

CLara Vitalis ſoboles triumphat,
Fertur à terris, properátque cœlo,
Dum ſacros artus fera turba ſurdo
Verbere tundit.
Hic notis latè nitidus cruoris
Aureas nubes ſubit, & rubentem
Purpurat tractum, rutilaſque vincit
Ætheris auras.
Ille deponit nigra ſigna plumbi,

Integer membris volat, & micantes
Prouocat ſolis radios, & æquo
Fulgurat ore.
Igne purgatum minùs ardet aurum:
Et minùs flammis adamas coruſcat,
Artifex quamuis labor hunc polito
Cinxerit auro.
Ecce complexos capit aula fratres:
His chori plaudunt, citharáſque pulſant:
His manus palmis viret, & coronæ
Vertice pendent.
Laus Patri ſummo Genitæque proli,
Et tibi compar vtriuſque virtus,
Flamen æternum, quod vtrúmque ſancto
Nectis amore.

HYMNVS IN S. ANDREAM.

IAm lux refulſit altera,
Cùm fixus Andreas cruci
Spirare nondum deſinit,
Chriſtique ſacra pandere.
Plebs merſa circùm luctibus
Ab ore perſtat pendula,
Vias ſalutis accipit,
Satúque cæli paſcitur.
Non fluxus illum ſanguinis,
Non cruda frangunt vulnera:

Vis vſque maior excitat,
Amórque Chriſti roborat.
Quid efferaris, carnifex?
Fruſtrà paras reuellere:
Vixit cruci, fas eſt crucis
Hunc inter æſtus emori.
Demiſſa nubes cælitus
Virum tegit, crucem tegit,
Tuóſque ſiſtit impetus,
Mentémque cælis euehit.
Sit ſumma Patri gloria,
Sit laus perennis Filio,
Tibique compar Spiritus,
Honos per omne ſæculum.

INCLYTIS POETIS MENAGIO HALLÆOQVE A. DE BRIEVX.

Cyrrhæis quondam, nunc Francis notus in aruis
Parnaſſus, duplici tendit ad aſtra iugo.
Hic, magni Hallæus, cultique Menagius oris
Partito imperio reddere iura ſolent.
Alma illi cantus Heroos Calliopeia,
Huic molles numeros blanda Thalia dedit.

Hallæum mihi iunxit amor, facunde Menagi,
Et parili nexu me tibi iungat amor.
Sic mihi Phœbeas optanti carpere lauros
Tota Caballinus iam riget ora liquor.
Et bifidà ſub rupe queam nunc ducere ſomnos,
Si bifidæ vnius numina bina fauent.

AD D. BELMONTIVM REGIS EDVCATOREM.

HOc vnũ tibi, Belmonti, mea Muſa precatur:
Vt Regi es Phœnix, ille ſit Æacides.

Laus ſiceræ Normanorum.

IMpulerat leuior Normanas nuncius oras,
Dunkerkam Anguyeno ſuccubuiſſe Duci.
Continuò portus, cui nomen Gratia fecit,
Soluitur in plauſus, lætitiáque fremit.
Læta coronati celebrant conuiuia ciues,
Et vera exciuit gaudia falſa fides.
Ergo madent patrij prælargo nectaris hauſtu,
Et crebrà inuertunt pocula plena manu.
Certa ſabinde ſonat toto victoria Regno,
Nuſtriaco augurium quis neget eſſe mero?

Mater pariens dum effertur ex Valer. Max.

OCciderat, phereträq; parens inſtrata iacebat:
Mira fides! vtero prodijt ecce puer.
Salue, infans elate priùs, quàm nate, ſepulcrum
Cui pater, obſtetrix cui libitina venit.

In Empedoclem.

QVæritur, Empedocles cur ſe proiecit in Ætnã?
Æſtu, quàm glacie maluit ille mori.

AD CLARISSIMVM VIRVM
A. DE BRIEVX GALLVM,
QVEM IPSÆ ELEGANTI
carmine celebrauerat, fato functum lugentem conſolatio.

NOli flere tuum, Brioxe, Gallum:
Fœdi non ſubijt ſitum ſepulcri.
Ille ardens animus, gelu ſeneſtæ
Exoſus, vegetos nouauit artus.
Forſan factus ouat, Magiſter ignis,
Quo ſentit trepidas olympus arces.
Tum poſt ſæcula, fulminúmque iactus,
Feſſus ferre Iouem, tui, Brioxe,
Phœbi fiet olor, canorus ales.

Rurſum luſciniæ nouans figuram
Mulcebit modulis Heri penates,
Cantúſque aſſiduos memor rependet.
Dein Nymphæ referens biformis artus,
Quam Sebethus amat fretúmque Zancles,
Inſanos pelagi premet furores,
Nautáſque innocuis trahet camœnis.
Quin hoc crediderim, ſacræ volucri
Vultum Mæonij ſenis, tubámque
Quondam fata dabunt. feræſque pugnas,
Et palmas Sequanæ, Tagique clades
Longè vltra Tanaim feret rigentem.
Naſoniſque dabunt iocos & artem,
Vt ludat venerem, modóſque promat,
Queis molles amor implicat puellas.
Cantatus Domino, volet perennes
Sub quacunque latens agat figurâ,
Muſas dicere. præmium canendi,
Ex omni referet ſuperbus hoſte.
Dum Phœbus Cadomum colet diſertam
Et Parriſiacis coletur oris,
Viuet, ſub vario volutus ore,
Et fato reduci fruetur. ergo
Noli flere tuum, Brioxe, Gallum.

AD LVZERNÆVM GENERE & ingenio nobilem virum.

O Mihi centenus referat tua carmina Ianus,
Inuictam referat sancto in amore fidem.
Hoc vtróque tuo mihi munere lætior annus
Adfuit, & fulsit sol meliore comâ.
At metuo, Nemesim ne irritent grandia vota,
Quæ cupidè Hallæo concipis ipse tuo.
Hæc potiùs rata vota tuo dea reddet amico,
Quippe verecundas suscipit ipsa preces.
Contingant vtinam tibi gaudia Vatis Iberi:
Vnum addo, vt longâ stent tibi certa fide.

MICHAELI LE TELLIER COMITI CONSITORIANO & Scriniorum Magistro.

O Vàm benè fata tuis coëunt Academica fatis!
Consentitque salus nostra, decúsque tuum!
Dum Nemesis nuper nobis malè nomen amicum
Perculit, & trepidæ Palladis vlta vicem est:
Te simul ad meritos Princeps euexit honores,
Credidit & calamis Gallica fata tuis.
Ne mirere, sacri id fecit vis abdita fati:
Quæ, quos iunxit amor, iungere sorte solet.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM IACOBVM AMELOT IN SVPREMO SVBSIDIORVM TRIBVNALI PARISIENSI primum Prisidem.

NOstrorum-ne audis, Ameloti, bella Sophorum?
Non magè clamosi perstrepit ira fori.
Turba vtrinq; loquax, imitátáq; murmure pelues:
Illos æstus agit: par rapit ardor & hos.
Est tamen in gemino discrimen triste tumultu:
Causidicos ditant verba, Sophis pereunt.

IN LIBRVM CLAVDII MORELLI IN CONSTANTIENSI PRÆFECTVRA Senatoris.

QVòd plenis effusa ruit Constantia portis,
Ac venerata noui Præsulis ora subit:
Nil mirũ. Indigenas sed quòd trahis agmine Diuos;
Quique olim vobis sacra dedere, Patres;
Quòdque illi populum Aureio gratantur, & vrbi
Aureium, & tanto cerdita templa viro:
Magna, Morelle, tibi laus est: hinc quippe merenti
Turba hominũ plaudit, plaudit at inde Deũm.

In Anactem Rhetorem.

NVper Anax recitãs, ceu ſaxea ſtabat imago:
Iam ſapit, & factus rauca capella, ſalit.

In alium.

QVid, Mome, tandem carpere in nobis queas?
Ignota vita eſt, nil loquor, ſcribo nihil.

SOMNIVM.

TEmpus erat, metam Phœbus quopulſat eoam,
Conuerſiſque terit limina prima rotis.
Rorantéſque comas quatiens aurora per orbem,
Oſtendit roſeos ſole ſequente ſinus.
Cùm me ſollicitum madidis premit altior alis
Somnus, &, edomito pectore, membra ligat.
Abſcedunt æſtus animo, curæque latrantes,
Et ſubit in placidâ ſumma quiete quies.
Dulcia ſed ſubito perierunt gaudia caſu:
Ac traxere graues tædia longa moras.
Nam cœpere nouis ſimulacra illudere formis,
Verſáque turbatâ nubila mente volant.
Viſus amœnus ager, patulum proiectus in orbem,
Floribus, & vario frondis honore virens.
Fons ſaliebat agro: claráque illimis arenâ
Claudebat liquidas margine latus opes.

Miſta ederis ripas vmbrabat palma virentes,
Et læto inſtiterat laurea multa ſolo.
Aurea de medio ſurgebat machina fluctu:
Cui fulcit geminum bina columna latus.
Hanc ſeptem cinxere tubi, qui diſpare fluctu
Cum lacte emiſſas eiaculantur aquas.
Quàm latè ambibat rutilum lux aurea fontem!
Quàm nitidum tremulo nabat in amne iubar!
Plaudebant circùm ſocia cum Pallade Muſæ,
Dum canit argutos dux Apollo modos.
Vſque incumbebat ripis affuſa Iuuentus,
Atque auido dulces ore bibebat aquas.
Pars haurit cum fonte ſanos: pars ebria ſaltat,
Atque afflata Deo, carmina læta canit.
Dum totus mirabar opes, ſomnóque fruebar,
Delicias perdunt gaudia pene meas.
Sæpe mihi valido ſalierunt pectora pulſu,
Et propè tentatos ora dedere ſonos.
Haud mora, vibratis rumpit fragor æthera flammis,
Conditáque immani ſidera nocte latent.
Intremuit, penitúſque cauà fons vertitur vndà,
Atque imis torſit murmura dira vadis.
Machina concutitur: ſubito ruit altera caſu,
Diuidit & medios lapſa columna lacus.
Exululant Nymphæ: trepidâ cũ Pallade Phœbus
Horret, & in latis auius errat agris.
Hei mihi! quàm vario miſcentur turbine ſenſus!
Quàm mihi, quàm duris mens labat icta malis!

Dum ſtupeo, fœdum viſu, & memorabile monſtrum
Eccè vomit læuo dira ruina ſinu.
Sus agreſtis erat, ſurrectus tergora ſetâ:
Cui fera lunatis dentibus ora ſonant.
Anguſtique oculi, incertùm & lugubrè rubentes:
Indomitúſque ciet pectora ſæua furor.
Protinus inſano fertur fera bellua curſu,
Atque agitat purà ſe lutulentus aquà.
Voluitur inſultans, variòque reuoluitur actu:
Et ſtolidus, roſtro flumina verſa iacit.
Spumarunt ripæ, pulcróque in margine fontis
Conſtitit attonito mœſta Iuuenta gradu.
Ilicet, vt duro ſternuntur lilia nimbo,
Sic cecidit vaſti gloria prima loci.
Felle latex non melle fluit, fluctúſque refuſis
Sordibus amiſit machina fuſca decus.
Dúmque diu fera fontem agitat, naſcuntur auenæ,
Cœnoſóque ſubit iuncea ſylua lacu.
Cum palmis arent ederæ: flos interit aruo,
Deponit virides laurus aduſta comas.
Tum ſtridunt feralè vlulæ: ſtrigibũſque cruentus
Certauit diro carmine bubo queri.
Reſpiciunt tandẽ Aonides, cùmque agmine Pallas
Iam redit, & lapſis rebus adeſſe parat.
Ergo adnituntur deforme expellere monſtrum,
Et tegere aſſertà flumina ſancta manu.
Phœbus adeſt, validâque immittit ſpicula dextrà,
Nil Muſæ, aut Pallas, nil quoq; Phœbe, iuuas.

Ah quoties gemui! quoties clamare paraui!
Armatam quoties cuſpide ferre manum!
Sæpe fera erumpit, fontémque in vortice torquet,
Et rictum obiectans, numina dente petit.
Nec poſuere minæ, donec Themis enſe furentem
Ejecit, & ſacras alma ſerenat aquas.
Protinus abſcedit toto fæx ima fluento,
Atque vndæ infuſa gloria luce redit.
Ore fluit puro tubus omnis: læta Iuuentus
Fœcundos latices, vt priùs, ore bibit.
Et palma, & laurus foliorum exuberat vmbrâ,
Atque ederæ inſtaurant frondis honore comas.
Cælicolæ feſtâ ſedem cinxêre coronâ,
Et ſue ab inſano ſtagna recepta canunt.
Lætitiâ fremuere animi, ſomnúſque receſſit:
Credo, merebuntur ſomnia noſtra fidem.

THEBAIDOS TRAGOEDIÆ.

FRAGMENTVM.

OEdipus & Iocaſta colloquuntur.

OEdipus.

Sol, qui flagranti ſydera illuſtras face,
Qui ſumma terræ latera redeunti rotâ,
Infimaque in orbem inuiſis, & geminas domos
Quà promis ortum, quà premis clauſum diem,

Malè extuliſti noxium Thebis iubar,
Cum tecta fugiens patria, & Tyrios lares
Diúque pelagi vaſta ſcrutatus freta
Dircæa Cadmus arua tumdemum attigit:
Tuáque ſecutus iuſſa, & errantem bouem
Hæc excitauit mœnia infauſtâ manu.
Heu! quas tulerunt poſteri rerum vices!
Vt namque taceam ſcelera natarum horrida,
Lacerósque natos, vrbis atque ipſum patrem
Conuerſum in anguẽ, miſerum & afflictũ & vagũ:
Iunctáſque cædes cædibus, necibus neces,
Et facta regum funera alternâ manu,
Quot ſæua miſerum ſtupra maculârunt genus!
Vetante Phœbo genitus ex Laio patre
Ego, parentem nactus hanc, prô dedecus!
Natam Menœceo, quam dein duxi domum,
Cum que ipsâ in ortus ipſe reuolutus meos
Prô triſte facinus! plurimam ſobolem extuli;
Mihique mater, liberos natos parit,
Simúlque fratres, heu! nouum & dirum ſcelus!
Inde Polynices ortus, & Eteocles ferus,
Vtráque nefando digna progenies patre.
Ego aui gener, patriſque riualis mei,
Frater meorum liberûm & fratrum parens.
Vno auia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes, monſtra quis tanta explicet?
Ioc. *Omitte quæſtus. ſcelere caruerunt mala,*
Quæ pertuliſti, & error obtexit nefas.

Insurgit at iam criminum facies noua.
Venere summa. Oed. *pande quodcunque est mali:*
Hostes adesse, ruere composito agmine
Dircæa in arua, & marte cognato refer
Pugnare natos patribus, & natis patres.
Hæc nempe veniant Oedipo vota optima.
Iac. *Quæ tu imprecaris, nobiles Thebas premunt:*
Cadmæa soboles miscet armatas manus.
Iam fulget ære ciuitas: illinc ruunt
Pedites Pelasgi, & concito portas gradu
Ausint subire, ni manu ferrum exerat
Thebes Iuuentus, & tegat patrios lares.
Oedip. *Quæ misera gentes fata Lernæas agunt,*
Vt calamitati conseri nostræ velint?
Ioc. *Tuus ille sanguis, ille Polynices tuus*
Græcam Iuuentam ducit, & Danaos duces,
Patrijsque propiùs admouet tectis faces.
Oedip. *Adeste, Manes: túque furiarum Arbiter,*
Vósque inuocatæ ferreæ Eumenidum manus:
Arripe flagrantem, dira Tisiphone, facem.
Natura per te tota pectoribus feris
Excidat, & illa, sæpe quæ fratres ligat,
Pietas. nefandum liberi patrent scelus,
Quod ipse custos carceris stygij horreat:
Quod nos tremamus. eia, iam nostrà subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus.
Ac me innocentem faciat, & inausa audeat.
Certetur omni scelere: pellatur pudor.

Superate, gnati, Thraciæ horrendum nefas.
Ioc. *Cur, sæue genitor, fata natorum aggrauas?*
Te premere casus impij belli decet,
Non esse pœnam; nec grauem furiam tuis.
Oed. *Sic sic ferantur, & suum infensi inuicem*
Sitiant cruorem: lugeant Argi suos,
Danaúmque largo sanguine Ismenus fluat.
Ioc. *Æquum est, vt iras tempore, ac longâ morâ*
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Quod si innocens, & dijs quoque inuisus, quid est,
Quod te efferauit? ruperas nondum diem,
Vterique nondum solueras clusi moras,
Et eras timendus. quis reus sceleris fuit,
Cùm cogitandi sceleris haud esset capax?
Cum te occuparit culpa, num fecit reum?
At esto, sontem vindices Superi velint,
Quæcunque tacito mortui regno ferunt,
Viuus tulisti: nox die cassos habet,
Tibi superstes eripis cæli iubar.
Claram superbâ mole liquisti domum,
Sceptrúmque patris, purpuram & regni decus:
Tua te remouit ira ab aspectu omnium,
Eripere quicquid mors potest, vita abstulit.
Cur furere pergis? quod nefas luctu eluis?
Quæ pœna maior purget insontis scelus?

PETRI HALLÆI
POEMATVM
LIBER SEXTVS.
REGIS INAVGVRATIO
AD
EMINENTISSIMVM CARDINALEM
MAZARINVM.

QVOD administrationem Regni tam egregiè adiuues, CARDINALIS, EMINENTISSIME, hoc opusculum, in quo diuinum illud munus suis finibus descriptum est, tibi offerendum esse duxi. Tua illa in odorandis hostium consiliis ac viribus sagacitas, in occupandis vtrisque diligentia: illa in perpendendis rebus domesticis prudentia, in tractandis dexteritas te quacunque grauiori suspicione absoluunt: nec patiuntur, dum præclaræ virtutes in te commendantur, te ipsum vitiis ex aduerso pugnantibus appetitum videri. Tua omnia publicis necessitatibus impendis, curas, pecuniam, reditus, familiam, vitam ipsam

Quo tempore tui aduerſarij rerum arcem inuaſerant, ac, te expulſo, ad tuam vitam criminationibus cooperiendam prona omnia nacti fuerant, quos indices, quæ veſtigia Fiſci vel in vno quadrante tuâ culpâ ſuppilati protulerunt? Senatus multa ſeuerè decreuerat: ad inquirendum viri publicè delecti fuerant, quibus nec ingenium ad inueſtigandum, nec ad inueniendum induſtria, nec ad excutiendam teſtium conſcientiam fides ac diligentia deerat. Quid tantæ concurſationes, tot vrbes aditæ, tot habitæ queſtiones profuerunt? Interdicta tam variè per Eccleſias tum vibrata, cùm plebecula, miſerè deluſa, toto animo te perditum anhelabat, neminem exciuerunt, qui contra tuam innocentiam quidpiam mutire ſuſtineret. Ex quo rerum clauo redditus es, quibus cõpendiis aut direptionibus bona, quæ auctio & haſta tibi detraxerat, reparaſti? Auxiſti tuos honore, non opibus. Illa publicis neceſſitatibus amica parcimonia, ac moderatio in conſtituendis excellentium Virginum dotibus te quondam ad cœlum efferet. Quid verò eſt, quod reliqua coniugia, quæ tam matura, tam parata iactabantur, retardauit? His pignoribus bella

ciuilia redimis. Famam quidem aliquandiu aduersam persensisti: sed in tantis populorum incommodis, inter tot æstus animorum, quos diuersarum partium studia distraxerant, quis ab omnibus se probari posse sperauerit? Nunc te reuerso, bellum ad Regni limites eiectum est: Gallia nunc respirat, & eius partes animorum concordiâ restaurantur: hæc sibi per te diu constent, & in melius augeantur, Vrbem ac Prouincias protinus in te conuertes. Est & aliud, quod dicam. Huius operis ratio eò spectat, vt optimè regnandi officia Regi in memoriam reuocentur. Nisi meum hoc consilium promoueris, illud prorsus inutile futurum intelligo. Quod enim non probabis, offendet: ac nihil Regem afficiat, quod apud ipsum non laudaueris. Hoc ergo munus tot nominibus tibi debitum, CARDINALIS EMINENTISSIME, benignè excipias velim: cuius pretium si ex meo in te, in Regem ac Regnum, ad quos vnicè respicis, studio & obseruantiâ æstimaueris, certè nec leue nec exiguum tibi videri debet, Vale.

AD

REGEM

RECENS VNCTVM PARÆNESIS.

ANTE quidem, ô LVDOVIX, alienàm adſciſcere curam
Profuerit. mentis nondum tibi pondus adultæ
Contigerat. cœlo ſed iam vis deflua pectus
Implet, & ætherio tibi Chriſmate perficit annos.
Nec tantùm ſtat certa fides modò corpora tactu
Strumoſam poſitura luem, vitióque tenaci
Munda, cicatrices collo ductura nitenti:
Verùm inter ritus atque aras robur ab alto
Te plenis hauſturum animis: ac numina votis
Conceſſura pares ad tanta negotia curas.
Fas Superis præſtare fidẽ: decꝰ aſſere Rhemis,
Cœleſtéſque abſolue ſatus, nec iam illa vacillet
Relligio. lux alma veni: ſolatia pridem
Expectata refer. propriis aſſurgere cœptis
Ingredere, ô Ludouix: iam non puerilia cordi.
Arma rege, & ſanctũ paci iam præſtrue morem.
Cura ſit annales, & Auorum euoluere faſtos,
Fortunam & mores: patriáſque addiſcere leges:
Conſulere in medium: rationũ expendere lapſus,
Harpyiáſque ſequi. non te viſcata Voluptas

Alliget, aut lato exſudans Ignauia ventre.
Regem ordire animo, neque enim diademata regem,
Non aulæ radiatus apex: non ſupplice cultu
Vulgus adulator: non caſtra obducta, nec auri
Vis congeſta facit. regnum eſt ſibi conſcia virtus,
Mens bona, ſancta fides. ratio ſe cardine voluat
Immoto: & nullo rerum labet acta tumultu:
Stet populis ſecura ſalus: ſit copia rerum:
Gloriáq; ac dominas Themis exerat alta ſecures,
Rex eris. hos fines regnandi munera poſcunt.
His inſtare iuuet: ſic moribus auctior, omnes
Cælicolas ſuperabis Auos. Quæ funera paſſi,
Ctia dum Regum luimus! dum mille rapinis
Prodimur! atque hoſtis, rabiéſq; domeſtica certãt
Francorum exitio! Pridem reuerentia legum
Conclamata iacet: pridem decus excidit aris:
Antiſtéſque impunè vagus pereuntia glubit
Haud ſegni delubra manu, nec paſcere curat.
Æfluat omne nefas, non iam virtute poteſtas
Empta venit: dat lege ſacros licitatio faſces:
Caſtra regit, regit illa Togã: furor inde rapinis,
Quæſtorum vis vſque redux: immanis vbique
Pandit Auaritiæ rictus, ac regula morum
Sola ſubeſt. quid adulterijs plena omnia clamem?
Degeneréſq; domos? quid ſtructa palatia rapto?
Aut luxum? ſempérque recentia vulnera menſæ?
Quis feruor tabulæ! fœdo patrimonia caſu

Labuntur, dum bella premunt: dum luridus errat
Per populos, prôfata! color: cõtra Etáque torquet
Exta fames: ſcelerúmq; magis furit impius ardor;
Obiectet grauiora metus, niſi læta futuri
Spes miſeras gentes foueat: cælíque fauorem
Promeritus, Ludouix, hinc iam vlcera patria tollas:
Nec Regnũ ſeruile feras, Regúmque Tyrannos:
Iuris at ipſe boni vindex, arbitria ponas
Æqua tibi atque tuis. aude, namq; optime Regũ,
Ipſe potes: tibi cuncta fauent. nătura ſagaci,
Naſcentem inſtruxit genio: tot ſemina magnæ
Virtutis pectus ſaturant, ac ſufficit actus
Corpus in egregios: modò ſit cæleſtia dona
Exercere labor. fac, adſint rebus Amici,
Qui Regem, atque omni accipiant pro pignore Regnum:
Nec falſo iuſudent prædæ tot millia centum
Congerere hæredi: ſint, quos prudentia rerum,
Ac bona fama probet: ſed fac vtaris, & vſque
Te rerum caput eſſe putes. fuge viuere notus
Omnibus, ignotúſque tibi. perpendere vitæ
Officia haud ceſſes, ſeu pax, ſeu bella gerenda:
Seu priuatus agas. laudum vt faſtigia vincas,
Enitare lubens. ſtudio curáque perenni
Hæ ſuperis venduntur opes: tibi regia virtus,
Nec pietas alio redeat, non gloria nummo.

OSMANNVS.

TRAGOEDIA.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM

ABELEM

DE SERVIEN

REGI A CONSILIIS ET SVMMVM

Ærarij Præfectum.

SVNT, qui grauiter ferant, VIR ILLVSTRISSIME, quòd, ex quo beatam illam Prouinciam accepisti, te diligẽtiùs publicè coluerim. Cùm enim aliquot ex meis Opusculis tuo nomine insignita perlegissent, nec meminissent simile quidpiam à me oblatum fuisse iis, quibus anteà publicæ pecuniæ cura credita fuerat, in animum sibi facilè induxerunt, me tuam generosam in-

Malè extuliſti noxium Thebis iubar,
Cum tecta fugiens patria, & Tyrios lares
Diúque pelagi vaſta ſcrutatus freta
Dircæa Cadmus arua tandemum attigit:
Tuáque ſecutus iuſſa, & errantem bouem
Hæc excitauit mœnia infauſtà manu.
Heu! quas tulerunt poſteri rerum vices!
Vt namque taceam ſcelera natarum horrida,
Laceróſque natos, vrbis atque ipſum patrem
Conuerſum in anguẽ, miſerum & afflictũ & vagũ:
Iunctáſque cædes cædibus, necibus neces,
Et facta regum funera alternà manu,
Quot ſæua miſerum ſtupra máculárunt genus!
Vetante Phœbo genitus ex Laio patre
Ego, parentem nactus hanc, prô dedecus!
Natam Menœceo, quam dein duxi domum,
Cum que ipsà in ortus ipſe reuolutus meos
Prô triſte facinus! plurimam ſobolem extuli;
Mihique mater, liberos natos parit,
Simúlque fratres, heu! nouum & dirum ſcelus!
Inde Polynices ortus, & Eteocles ferus,
Vtráque nefando digna progenies patre.
Ego aui gener, patriſque riualis mei,
Frater meorum liberûm & fratrum parens.
Vno auia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes, monſtra quis tanta explicet!
Ioc. *Omitte quæſtus. ſcelere caruerunt mala,*
Quæ pertuliſti, & error obtexit nefas.

Insurgit at iam criminum facies noua.
Venere summa. Oed. *pande quodcunque est mali:*
Hostes adesse, ruere composito agmine
Dircæa in arma, & marte cognato refer
Pugnare natos patribus, & natis patres.
Hæc nempe veniant Oedipo vota optima.
Iac. *Quæ tu imprecaris, nobiles Thebas premunt:*
Cadmæa soboles miscet armatas manus.
Iam fulget ære ciuitas: illinc ruunt
Pedites Pelasgi, & concito portas gradu
Ausint subire, ni manu ferrum exerat
Thebes Iuuentus, & tegat patrios lares.
Oedip. *Quæ misera gentes fata Lernæas agunt,*
Vt calamitati conseri nostræ velint?
Ioc. *Tuus ille sanguis, ille Polynices tuas*
Græcam Iuuentam ducit, & Danaos duces,
Patrijsque propiùs admouet tectis faces.
Oedip. *Adeste, Manes: túque furiarum Arbiter,*
Vósque inuocatæ ferreæ Eumenidum manus.
Arripe flagrantem, dira Tisiphone, facem.
Natura per te tota pectoribus feris
Excidat, & illa, sæpe quæ fratres ligat,
Pietas. nefandum liberi patrent scelus,
Quod ipse custos carceris stygij horreat:
Quod nos tremamus. eia, iam nostrà subit
E stirpe turba, quæ suum vincat genus.
Ac me innocentem faciat, & inausa audeat.
Certetur omni scelere: pellatur pudor.

Superate, gnati, Thraciæ horrendum nefas.
Ioc. *Cur, sæue genitor, fata natorum aggrauas?*
Te premere casus impij belli decet,
Non esse pœnam; nec grauem furiam tuis.
Oed. *Sic sic ferantur, & suum infensi inuicem*
Sitiant cruorem: lugeant Argi suos,
Danaúmque largo sanguine Ismenus fluat.
Ioc. *Æquum est, vt iras tempore, ac longa morà*
Fractas remisso pectore ac placido feras.
Quod si innocens, & dijs quoque inuisus, quid est,
Quod te efferauit? raperas nondum diem,
Vteriquè nondum solueras clusi moras,
Et eras timendus. quis reus sceleris fuit,
Cùm cogitandi sceleris haud esset capax?
Cum te occuparit culpa, num fecit reum?
At esto, sontem vindices Superi velint,
Quæcunque tacito mortui regno ferunt,
Viuus tulisti: nox die cassos habet,
Tibi superstes eripis cæli iubar.
Claram superbà mole liquisti domum,
Sceptrúmque patris, purpuram & regni decus:
Tua te remouit ira ab aspectu omnium,
Eripere quicquid mors potest, vita absstulit.
Cur furere pergis? quod nefas luctu eluis?
Quæ pœna maior purget insontis scelus?

PETRI HALLÆI
POEMATVM

LIBER SEXTVS.
REGIS INAVGVRATIO
AD
EMINENTISSIMVM CARDINALEM
MAZARINVM.

QVOD administrationem Regni tam egregiè adiuues, CARDINALIS, EMINENTISSIME, hoc opusculum, in quo diuinum illud munus suis finibus descriptum est, tibi offerendum esse duxi. Tua illa in odorandis hostium consiliis ac viribus sagacitas, in occupandis vtrisque diligentia: illa in perpendendis rebus domesticis prudentia, in tractandis dexteritas te quacunque grauiori suspicione absoluunt: nec patiuntur, dum præclaræ virtutes in te commendantur, te ipsum vitiis ex aduerso pugnantibus appetitum videri. Tua omnia publicis necessitatibus impendis, curas, pecuniam, reditus, familiam, vitam ipsam

Quo tempore tui aduerſarij rerum arcem inuaſerant, ac, te expulſo, ad tuam vitam criminationibus cooperiendam prona omnia nacti fuerant, quos indices, quæ veſtigia Fiſci vel in vno quadrante tuâ culpâ ſuppilati protulerunt? Senatus multa ſeuerè decreuerat: ad inquirendum viri publicè delecti fuerant, quibus nec ingenium ad inueſtigandum, nec ad inueniendum induſtria, nec ad excutiendam teſtium conſcientiam fides ac diligentia deerat. Quid tantæ concurſationes, tot vrbes aditæ, tot habitæ queſtiones profuerunt? Interdicta tam variè per Eccleſias tum vibrata, cùm plebecula, miſerè deluſa, toto animo te perditum anhelabat, neminem exciuerunt, qui contra tuam innocentiam quidpiam mutire ſuſtineret. Ex quo rerum clauo rédditus es, quibus cõpendiis aut direptionibus bona, quæ auctio & haſta tibi detraxerat, reparaſti? Auxiſti tuos honore, non opibus. Illa publicis neceſſitatibus amica parcimonia, ac moderatio in conſtituendis excellentium Virginum dotibus te quondam ad cœlum efferet. Quid verò eſt, quod reliqua coniugia, quæ tam matura, tam parata iactabantur, retardauit? His pignoribus bella

ciuilia redimis. Famam quidem aliquandiu aduersam persensisti: sed in tantis populorum incommodis, inter tot æstus animorum, quos diuersarum partium studia distraxerant, quis ab omnibus se probari posse sperauerit? Nunc te reuerso, bellum ad Regni limites eiectum est: Gallia nunc respirat, & eius partes animorum concordiâ restaurantur: hæc sibi per te diu constent, & in melius augeantur, Vrbem ac Prouincias protinus in te conuertes. Est & aliud, quod dicam. Huius operis ratio eò spectat, vt optimè regnandi officia Regi in memoriam reuocentur. Nisi meum hoc consilium promoueris, illud prorsus inutile futurum intelligo. Quod enim non probabis, offendet: ac nihil Regem afficiat, quod apud ipsum non laudaueris. Hoc ergo munus tot nominibus tibi debitum, CARDINALIS EMINENTISSIME, benignè excipias velim: cuius pretium si ex meo in te, in Regem ac Regnum, ad quos vnicè respicis, studio & obseruantiâ æstimaueris, certè nec leue nec exiguum tibi videri debet, Vale.

AD

REGEM

RECENS VNCTVM PARÆNESIS.

ANTE quidem, ô LVDOVIX, alienàm adſciſcere curam
Profuerit. mentis nondum tibi pondus adultæ
Contigerat. cœlo ſed iam vis deflua pectus
Implet, & ætherio tibi Chriſmate perficit annos.
Nec tantùm ſtat certa fides modò corpora tactu
Strumoſam poſitura luem, vitióque tenaci
Munda, cicatrices collo ductura nitenti:
Verùm inter ritus atque aras robur ab alto
Te plenis hauſturum animis: ac numina votis
Conceſſura pares ad tanta negotia curas.
Fas Superis præſtare fidẽ: decꝰ aſſe: e Rhemis,
Cœleſtéſque abſolue ſatus, nec iam illa vacillet
Relligio. lux alma veni: ſolatia pridem
Expectata refer. propriis aſſurgere cœptis
Ingredere, ô Ludouix: iam non puerilia cordi.
Arma rege, & ſanctũ paci iam præſtrue morem.
Cura ſit annales, & Auorum euoluere faſtos,
Fortunam & mores: patriáſque addiſcere leges:
Conſulere in medium: rationũ expendere lapſus,
Harpyiáſque ſequi. non te viſcata Voluptas

Alliget, aut lato exſudans Ignauia ventre.
Regem ordire animo, neque enim diademata regem,
Non aulæ radiatus apex: non ſupplice cultu
Vulgus adulator: non caſtra obducta, nec auri
Viscongeſta facit. regnum eſt ſibi conſcia virtus,
Mens bona, ſancta fides. ratio ſe cardine voluat
Immoto: & nullo rerum labet acta tumultu:
Stet populis ſecura ſalus: ſit copia rerum:
Gloriáq; ac dominas Themis exerat alta ſecures,
Rex eris. hos fines regnandi munera poſcunt.
His inſtare iuuet: ſic moribus auctior, omnes
Cælicolas ſuperabis Auos. Quæ funera paſſi,
Ctia dum Regum luimus! dum mille rapinis
Prodimur! atque hoſtis, rabiéſq; domeſtica certãt
Francorum exitio! Pridem reuerentia legum
Conclamata iacet: pridem decus excidit aris:
Antiſtéſque impunè vagus pereuntia glubit
Haud ſegni delubra manu, nec paſcere curat.
Æſtuat omne nefas, non iam virtute poteſtas
Empta venit: dat lege ſacros licitatio faſces:
Caſtra regit, regit illa Togã: furor inde rapinis,
Quæſtorum vis vſque redux: immanis vbique
Pandit Auarities rictus, ac regula morum
Sola ſubeſt. quid adulterijs plena omnia clamem?
Degeneréſq; domos? quid ſtructa palatia rapto?
Aut luxum? ſempérque recentia vulnera menſæ?
Quis feruor tabulæ! fædo patrimonia caſu

OSMANNVS,

TRAGOEDIA.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM

ABELEM

DE SERVIEN

REGI A CONSILIIS ET SVMMVM
Ærarij Præfectum.

SVNT, qui grauiter ferant, VIR ILLVSTRISSIME, quòd, ex quo beatam illam Prouinciam accepisti, te diligẽtiùs publicè coluerim. Cùm enim aliquot ex meis Opusculis tuo nomine insignita perlegissent, nec meminissent simile quidpiam à me oblatum fuisse iis, quibus anteà publicæ pecuniæ cura credita fuerat, in animum sibi facilè induxerunt, me tuam generosam in-

dolem, quæ veræ laudis ſtudio maximè ducitur, nonnihil ſollicitare: ac velle tuo pudori ſtipendium forſan extorquere, quod ruſtica imperitorum hominum faſtidia & ſordida aridit as Militiæ meæ pridem debitum denegaſſent. Quâ quidem in re næ vehementer errant; nec tuos mores, nec meam de te exiſtimationem prorſus intelligunt. Quis enim rerum adeò leuium te ſecurum viuere neſciat? ac iure miretur meas Muſas in te dignationis plurimùm effudiſſe: cæteris verò, qui munus idem obiuerunt, nihil adſperſiſſe: cùm his ſatis ſupérque fuerit, quòd à me nihil grauius, quàm ſilentium, pertulerint: ipſe verò te omni commendatione maiorem ſemper præſiteris? Nam vt illa priora, & Germanicam pacificationem ſileam, quis tibi immanes alearum jacturas, quis ſumptuoſas libidines, quis inexorabilem in exigendo ſæuitiam, & infinitum publica priuatim profundendi furorem, quâ infamiâ pleríque aliorum laborauerunt, meritò objiciat? Tibi quidem nitet ſuppellex, ſed ſine luxu: lautè epularis, ſed ad alendam cum egregiis ciuibus conſuetudinem, non ad delicias. Etiam-num alienâ, non tuâ domo vteris. Ac prædium quidem amplum, & villam magnificè extructam comparaſti, ſed in Vrbis conſpectu poſitam, vt omnes intelligerent, quantùm innocentiæ tuæ confidas, nec vllos obtrectantium morſus

perhorreſcas. Humanitas porro ea eſt, quam eruditio non vulgaris, & elegans vrbanitas cuiquam conciliare poſſit. Vtcumque res cadat, hoc aliud opus, quod quaſi ex omni turbâ ſelectum eſt, ad te miſi: & eò lubentiùs tibi nuncupatum eſſe volui, quò tuæ conditioni magis conuenire exiſtimaui. Eſt enim eiuſmodi, vt in eo miram Regiæ fortunæ ſubuerſionem ex imprudentiâ ortam legas, & ex aduersâ Dilaueris eodem, quo tu, munere apud Oſmannum perfungentis, qui, quòd ſecuritati pericula, & tranquillitati tumultus anteferret, ſe ac ſuos eiuſdem gratiæ cõſortes inluctabili malo implicuit, imagine & exemplo, eximium illud animi robur, ciuilémque prudentiam, quæ te Regi acceptiſſimum, Aulæque Optimatibus jampridem vtiliſſimum præſtant, cum voluptate contemplari, ac tecum tantas virtutes tibi gratulari poſsis, Vale.

OSMANNVS.

DILAVER. Prætorij & Ærarij } Præfectus.

GISBER, OSM. Educator.

VSSANVS. Regior. hortor. Præfectus.

SELICTAR. Oſmanni, Armiger.

NVNCIVS.

OGLIVS. Equitum } Præfectus.

GAMBOLATVS, Peditum }

PONTIFEX MAXIMVS.

SISIMVS, minor Pontifex.

MVSTAPHA,

MILITES.

CHORVS.

OSMANNVS.

ACTVS PRIMVS.

OSMAN. DILAVER, GISBER, SELICTAR.

OSMAN. AMICA *dudum pectora, & columen meum,*
Ac certa Regni decora, depulso juuat
Populi tumultu verba consilijs dare.
Hæc solitudo Regiæ, ac vacui lares
Aperire mentis sensa tum demum sinunt.
Byzantiúmque, & hanc domum inuisam grauor.
Instare fatis jam sedet, cœpta exequi,
Atque occupare cœlitum sensus leuès.
Tu, qui potentis imperi immensas opes,
Gazámque fidâ regiam tractas manu,
Dilauer, mihi quando exitum optatum dabis?
Solitus-ne iussa nostra perfecit labor?
DILAV. *Magne Imperator, digna progenies patre:*
Quem multa virtus præstat Osmanno parem,
Quæ tu imperasti, facta cumulatè puta.
Quà se propinquâ sede Chalcedon leuat,
Byzantiúmque lumine obliquo inspicit,

Denſæ phalanges agmine inſtructo excubant.
Quotquot triremes bellicæ ſtabant ſalo,
Et quod Carambim pulſat, & Delon quatit,
Maleæque ſcopulos, ac Rhodon ſpumis tegit,
Proxima crepido Regiæ adſtrictas tenet.
Et quà coacto gurgite arctatum eſt mare,
Seſtóſque Abydon littore aduerſo premit,
Multâ tenentur claſſe difficiles viæ,
Et exitus vbique ſat aperti patent.
OSM. *Annæ imperatum, ratibus impoſitum eſt onus?*
DILAV. *Quicquid tributi miſit Ægyptus ferax,*
Quicquid Damaſcus, quicquid Aſſyrius, Cilix,
Colchis, Trapezus, Pannones, Daci & Cyprus,
Et quicquid Hellas, ac ſolum Illyricum intulit,
Poſitum in carinis pondere immenſo ſedet.
OSMAN. *Placent abundè facta: ſed tamen inſuper*
Tibi colligenda eſt gaza regalis domûs.
DILAV. *Aulica ſupellex omnis aggeſta eſt ſimul,*
Pocula, coronæ, & veſtium antiquus nitor.
Aurum triremis, nauis argentum vehit.
OSM. *An mihi clientum dona populorum excident?*
DILAV. *Fuluo metalli honore ſpoliaui trabes,*
Quæ ſuſtinebant pendulos auri globos,
Et prægrauaui mole liquefactâ rates.
OSMAN. *Ergo caminis pondus in maſſas coît?*
DILAV. *Eſt locus in hortis, quâ procul refugit nemus,*
Viridéſque in aſtra tollit intonſum comas,
Denſiſque ſedes auias tenebris premit,

Vbi fissa tellus aperit obscuros specus,
Latéque varios huc & huc fundit sinus:
Illic nigranti sub solo fidæ manus
Vastam sub imâ sede fornacem cauant.
Immissus ignis haurit injectas trabes,
Superáque massam parte compostam coquit.
Subitò metallum diues in riuis fluit
Vndante flammâ, & induit formas rudes.
Effossa reddit terra commissas opes,
Aurúmque in imas conditur furtim rates.
OSM. *O me beatum!* DILAV. *Nec satis: junxi insuper*
Et Sarmatarum dona, compactas globis
Pelles reuinctis, queîs emunt pacem sibi:
Et quas clientes mittere jubentur Scythæ.
OSM. *Dilauer, memento sedulâ gemmas manu*
Legere, & in omnes verte te partes vigil.
DILAV. *Nec ardearum spolia, nec gemmæ excident,*
Inuicte Princeps. Quod mihi in mentem venit,
Immane quantum est! sed metus vocem premit,
Et magna mentem aperire relligio vetat.
OSMAN. *Effare properè: nullus impediat timor,*
Et te eloqui per me ipsa relligio jubet.
DILAV. *Ingens vetusti pondus argenti latet*
Tumulo Parentis: námque quod regni quies
Secura dederat: quod Sanus diues tulit:
Secum sepulchri in sede congestum tenet.
GISB. *Ah! parce, Princeps, sedibus sacris manum*
Inferre. Regum busta turbari, est nefas.

Rumpi quietem! disiici cineres sacros!
Et ossa in auras rursus inuisas trahi!
Manes parentum liberi, vt diuos colant.
OSMAN. *Is nempe gelidos afficit manes labor!*
Obijcere noli sacra, quæ semper tacent
Cùm certa Regis commoda, & Regni jubent.
Eia, age, sepulchri pande tenebrosos specus:
Scrutare latebras: omnia in apertum erue.
Vmbras inertes sperne, & audaci manu
Extrahe latentes inferis ipsis opes,
Nouúmque plenas degrauet pondus rates.
Hæc perage properè; fluctuet classis salo,
Ac passa jussus carbasa expectent meos.
DILA. *Iussa haud morabor: iam dabo effecta omnia.*

GISBER. OSMANNVS. SELICTAR.

GIBS. *Non tibi tumultu pectus incerto labet,*
Magnanime Princeps: facta consilio exige.
Animum serena: concidat vocis fragor,
Ac negligenter fata metiri caue.
Vix ira præceps prosperos casus habet:
Nec facilè plexos inuenit rerum exitus.
Incerta sors est: cælitum ambiguus fauor.
OSMAN. *Pectore remisso qui graues curas gerit,*
Nec stimulat animum, cùm sibi nocitum est, furit.
Vindicta & ira protinus fontes petant.
Si parcis, animas: temperas ferro opprimens.

Cohibet

Cohibet nocentes, nec bonos ladit metus.
Quoties ſuperbos militum faſtus tuli?
Quoties habere turba ludibrio inſolens,
Armiſque captum ludere exultat ducem!
Caſtris coactum nuper aſtiterat meis,
Quod pulſat Ægon gurgite, & pontus Libys:
Quod tepidus ambit Nilus, ac Phaſis rigens:
Quicquid fluentis Adriæ inſanis madet:
Quod tollit Æmus culmine, ac Rodope tegit.
Majora numquam caſtra Solymannus potens,
Nec tanta quondam moverat Achomates pater.
Vix ipſa tellus concitas acies tulit:
Et machinarum pondere intremuit ſolum.
Tamen, apparatus ille quid tandem mihi
Profuit? at ingens proh dolor! probrum attulit:
Et qui juvabat, perdidit! Iam ſe phalanx
Per vaſta placidè moverat Thraces juga,
Ac Bulgarorum egreſſa difficiles vias,
Nobilibus Iſtri læta conſtiterat vadis:
Armis ſubacti jam mihi acciderant Getæ:
Et efferatum Sarmatam impuleram metu:
Cùm ſcelere ſolito ſævit, ac turbas refert
Prætorianus miles, & caſtris furit.
Victoriarum limite abrupto, lues
Bacchata frendet, ac ſuos ludit duces.
Renuit mihi parere: militiam abnegat,
Fugiénſque caſtris teſſerâ abjectâ ruit.
Graui ruinâ fractus, ut jacui miſer!

Pudet heu! pudet teſsiſſe: ſed pudeat licet,
Ceſsi: retróque rettuli properos gradus.
Dimiſſus hoſtis robur effugit meum:
Armíſque victum riſit Oſmannum ſuis.
Quæ facta tandem dedecus tantum eluant?
Stat vindicare facinus, at ferro pari,
Vnáque ſtrage perdere infandum genus.
Dabit Pharos, quam hæc Aula vindictam negat.
GISBER. *Sæpe vltionis eripit fructum ſibi,*
Qui male dolentis impetus animi regit.
Conſilia regum ſuſpicax vulgus mouet:
Detecta praue cenſet, ac nunquam probat:
Et occupare facinus impatiens flagrat.
Tua fata, Princeps, cardine hoc vno rotas.
Mulcta nocentes: libera mentem metu:
Iubes? fatur. nil mouent animum noua
Exilia: nil me patriæ tangit ſalus,
Quæ te coronâ cinxit, & ſceptrum dedit.
Triſtes ruinas aggera: intereat nocens
Miles: ſuperbum concidat ferro genus:
Vindicta recte quolibet damno redit:
Sed me periclum terret, ac ſedes noua.
OSMAN. *Pericla tantos quæ tibi obiciunt metus?*
GISB. *Ægyptiorum num genus memorem leue?*
Vanum eſt, ſuperbum, mobile, inſidum, efferum:
Amore inxtà pacis ac belli flagrat.
Si praua cœptum fama conſilium efferat,
Quantus ferocem militem inuadet furor!

Premere æstuantes impetus, magnus labor.
OSMAN. *Amer timentem reddit, & cautum metus.*
Etiam extimescis tuta. venturos tibi
Casus labanti in mente depingit pauor.
Gentem subactam & vulgus ignauum times?
Immò recentem Principem *studio colent.*
Fatum anteuertam, ac numinum dubiam fidem.
Exire subitò hac vrbe propositum est mihi.
Spes vltionis asperum pectus trahit:
Visceribus imis serpit, atque animum excoquit,
Non aliter ac si transferat cunctas faces
Chimæra triplex, Lydij terror soli:
Aut si Ætna flagrans in meum pectus jugum,
Transfundat. animum quisquis ignauum gerit,
Et probra inulta patitur, alit iniuriam.
An me paterni nominis dignum patem,
Si vilis & iners, degener, ludus meis,
Spectaculum Orbi, luce communi fruar?
Nil turpe Regem ferre generosum decet.
Noua Roma valeat: corruat regni caput,
Dummodò rebelles strage communi occidant.
Pietate fictâ tegere consilium placet.
Religio magnis sæpe præsidium est malis.
Proin, Selictar, Principi inuictam fidem
Præstare satage: Memphim & Ægyptum placet
Locum vltioni optare. jam rerum caput,
Regnique sedes Memphis assurgat ferox.
Me petere rumor Arabas interea canet.

Eſt euocandus, qui Pharon Prætor regit.
Moneas oportet, ducat vt ſubitò graues
Bello triremes, ductet ac fidas manus,
Atque ire pergat, donec in eundem locum
Deueniamus mutuo occurſu ſimul.
Hæc ſcripta defer: hîc meos iuſſus leget.
Dominum eſſe me, Regémque: te famulum ſcias.
SELICT. *Nihil moræ in me eſt: exequor juſſus tuos.*

SELICTAR.

Quid ages, Selictar? quàm rapax turbo ingruit!
Ergo beatum te facit fallax dea,
Magníſque miſcet rebus, vt pereas miſer!
Quàm tutiori res tuæ ſtarent loco,
Si nunc jaceres vilis, obſcurus, tuis
Tenebris relictus: quámque meliori face
Conflua beaſſent aſtra natales tuos,
Si non fuiſſes aulicis paſſus malè,
Malè faſcinata corda blandicijs capi!
Vtrínque dira fata minitantur tibi.
Byzantium-ne, & Regiam hanc vaſtam dari,
Sceptrúmque famulis gentibus tradi ſines?
Te, te laceſſat Imperî, ac populi ſalus.
Patrare noli, quo tua religio labet.
Parce, ô Selictar, parce tot fortes viros,
Subijcere ferro: fortia Imperij caue
Fulcra emoueri: cardine hoc regni decus,
Et hac columnâ gloria Ottomanûm ſtetit.
Cur hæc nefandus impiâ ſtrage æſtuat

Vertere tyrannus? ipſe quid tantum queo
Peccaſſe, per me vt tale meditetur ſcelus?
Sic ille de me ſentit! ægreſcat dolor:
Nec patere tantis ruere Mahumetem malis.
Tuâ in manu eſt, an cadat Byzantium,
Aut ſtet repoſtum. iam nimis lentus moror.
Retine labantem patriam, & regnum, & ſacra.
At quæ peribunt, ſi fidem euulgas, miſer?
Pari ruinâ Regium inuoluis caput:
Vrbémque & Aulam. iam pudor nullus ſuper.
Subitò æſtuabit miles, ardebit, fremet
Diſruptus irâ. quantus vndabit cruor!
Iam curſitare video furiatas manus:
Et arietari Regiæ emotas fores:
Excelſa ſcalis mœnia admotis premi:
Volare denſa fũnera, & ferrum & faces:
Verri lutoſo principum crineſ ſolo:
Incenſa tecta, & omnia in peſſum dari.
Poteris, Selictar, eſſe tot ſcelerum caput?
Hoſtíque Regem prodere? & Achomatis genus
Obijcere letho? mente conſilium exige:
Immane quantùm eſt, quàm ferox, dirum, impium!
A Rege populus pendet: ergo conſulit
Populi ſaluti, quiſquis in Regem eſt pius.
At non ſceleſtum eſt patriæ hoſtem prodere.
Vnam eſſe patriam cogita, & multos Duces.
Iactura refici Regis amiſſi poteſt,
Patriæ haud poteſt. cur ergo jam titubat fides?

Se, ſe tyrannum, non patrem populi exhibet,
Hoſtémque regni: pereat imperij probrum,
Meritóque patriæ proditor ferro cadat.
Tanti-ne ſanguis huius eſt homunculi,
Vt decora rerum gratiâ vnîus ruant?
Age, anime: ſancta namque perfidiæ eſt ſeges.
Quantum illa fœnus pariet! excutiam moras:
Et corruenti fulciam imperio caput.
Præuerto caſus. ſingulos Regis ſalus
Vt antecellit, Rege ſic populum arbitror,
Regnúmque melius. pluris hunc Rege æſtimo,
A quo poteſtas omnis in Regem venit.

CHORVS CIVIVM BYZANTINORVM.

AVrata nunquam tecta potentium
Monſtris carebunt. dum trahet impotens
Regni libido pectora, barbarum
Aulæ nocentes parturient nefas.
Illic habendi non domitus Furor
Triſtes rapinas explicat & dolos:
Atque ora pandit ſemper hiantia.
Aſtræa mærens, ac Pietas ſoror
Fœtente cultu ſordida cum Fide,
Virtúſque ſimplex hinc procul exulant.
Illic triumphat Crimen, & Impetus,
Collóque vexat fræna Superbia

Os angue mulcens: impia criminum
Fraus machinatrix vndique voluitur,
Et cuncta limis luminibus notat.
Hîc inter Iras Vltio perfurit
Accincta ferro fundere ſanguinem,
Et ſancta junctis iura reuellere
Hoſtem paratis inſidijs petit.
Morti laborat progenies fera
Mactare patrem: quin-etiam parens
Ignota natis funera cogitat.
Non ſat tyrannis vindice ſingulos
Delere ferro: caſtra frequentia,
Plenas phalanges, fortiaque agmina
Sæuâ tenentes ſceptra libidine
Ardent furori cædere proprio.
Quid, ſæue, anhelas? conſule, cogita
Quàm fluctuanti ſtet ſolium loco:
Quàm lubricum ſit, quod violentia,
Errórque cæcus ſuggerit, ac nefas.

ACTVS SECVNDVS.

SISIMVS. OGLIVS. GAMBOLATVS.

PROH execrandũ facinus! ac dirũ nefas!
Quis credat aulã ſpoliat, & ſacram domũ,
Opéſque regni puppibus prædo auehit.

OG. *Quæ dubia loqueris? regnat hostilis furor?*
Sarmata-ne victor agmine hanc urbem tenet?
Saluús-ne Princeps? salua religio satis?
Effare subitò: pande quodcumque est malum.
SISIM. *Est ille saluus: salua religio satis:*
Sed Imperator viuit exitio suis.
OGL. *Credenda loqueris? mente turbatâ furis.*
Populi parens, & columen imperij suos
Perdiderit! eadem est Regis & populi salus.
SISIM. *Perdit quidē, certúmq; in exitiū trahit.*
GAMB. *Loquere: & tui sermonis ambagem explica.*
SISI. *Vos ille, & urbem, & Imperi hoc clarum caput*
Relinquit amens, & fugam furtim parat.
GAMB. *Fugam parari dicis? ignauū est scelus.*
SISIM. *Procul in recessu fluctuāt tacitæ rates,*
Alíisque pridem carbasis ventos vocant.
Hæc destinatur classis ad subitam fugam.
Illam tuentur clanculùm armatæ manus,
Dum ex arce profugus efferat Princeps pedem.
Immane pondus classe stipatum latet,
Regiáque tota fluctuat: sacri lares
Vndique vetusto decore spoliati patent.
Iam non renidet atrio auratus tapes:
Purpura nec altos Regiæ insternit toros.
Aurata nec iam pondera ex altâ trabe
Pendere videas. auida corripuit manus
Gemmas & aurum, & quicquid argēti extitit!

Et mox

Et mox in altum flamina has rapient opes.
OGL. *Hæc rapere parta sanguine alieno parat!*
Ac se, relicto milite, erronem efferat!
Agminaque spernit nostra, nec ferrum timet!
Sede Imperator regimen immotâ premat.
Quis nauta gnauam demouet clauo manum,
Seu letum in alto cuncta promittant iter,
Celerémque faciles deferant venti ratem
Cursu secundo? siue densentur nigra
Nubes in atras nubila: ac Boreas furens
Nimbos, procellas, turbines, pluuias rotet,
Et claustra mundi fulmine excusso tremant?
At fixam in astra lumen intendit vigil,
Clauúmque doctâ gnauiter prensat manu.
Talem sequatur rector imperij viam:
Sin aliter, ignauum occupa ferro, & neca,
Meliórque firmâ teneat imperium manu.
Nuper tumultus Aula perpessa est graues,
Regnúmque quassum est: ille cum ejectus senex
Cecidit supremâ sede: & imperio innocens
Spoliatus, alto clausus est turris specu.
Necdum periclo patrui Osmannus sapit!
Sapiat receptâ mente iam saxo breui.
GAMB. *Quæ ratio suadet? quis color velat fugam?*
SISIM. *Sancti Prophetæ velle se tumulum crepat*
Inuisere. sacram prædicant Medinam peti
Tanto apparatu. OGL. *O fata! quam factum bene!*
Cœlum nitenti fronte nos tandem inspicit,

Et aſtra meliùs poſita, iam nobis fauent.
Chlamydes cucullis, credo, mutemus, licet.
Caligis relictis, turpe ſandalium placet.
Iam tinnienti ab ære mendicus fragor
Tubâ tacente martis accendat faces.
Hinc jam faceſſant ſpicula, atque haſta graues,
Lorica, caſſis. pera, ſoccus, nuditas,
Cucullus, & pro Rege iam Monachus placet.
GAMB. *Siſime, apparatus iſte rem magnam indicat.*
Conſilia denſis principum tenebris! latent:
Oculóſque facies ludit, ac fraudem tegit.
Princeps relectâ ſede circumerret vagus!
Concurſet! vnde non licet moueat gradum!
Fraudes parantur: error hîc aliquis ſubeſt.
SISIM. *Me ſuſpicacem contumax Princeps fa.it.*
Vt námque monita codice inſcripta obtuli,
Haud paſſus addi verba, profudit minas:
Diſruptus irâ eſt. non magis ſæuos cient
Purpureos tauros texta, vel Lucas boues
Fremente Circo: nec magis tigres feras,
Vrſóſque longè Sarmatâ eductos niue,
Incuſſa validâ verbera irritant manu.
Subitus ferocis pectus accendit furor,
Atque ore bilem euomuit ad voces meas.
Immotus hæret: ſtatque in exitium prius
Quodcúmque ruere, munita quàm populi ſequi.
OGL. *An hominis ille ſenſus, an potiùs fera eſt?*
Laceſſere vltro fata! & in ferrum impetu

Induere ſe ſe! SISIM. *Militum ſpernit minas:*
Armáque cachinnans veſtra ludibriis habet.
OGL. *Sceleri obuiandum eſt. arma leges porrigunt,*
Vt tuta regno conſtet, ac populo ſalus.
Sed audiamus, quæ noua Selictar ferat.
Turbata facies grande ſignificat malum.

IIDEM, ET SELICTAR.

OGL. *Dic, age, Selictar, quo loco rerum eſt ſalus?*
SELICT. *In Rege ſpes eſt nulla. communem fremens,*
Propriámque cauſam prodit: inſano impetu
Rapitur, & alto corde vindictam mouet.
Huic totus inſtat: ac ſcelus nullum abnuit.
Spectacula dare ſanguine inſonti ſolent
Nefanda Reges: ludere & cæde impiâ.
OGL. *Leua æſtuantes: ac rei arcanum excute.*
SELICT. *Noſti-ne longas claſſe meditari vias?*
OGL. *Et fluctuare littore in vario rates.*
SELICT. *Petíque Arabas!* OGL. *Et buſta Mahumetis peti?*
SELICT. *Non huc ſuas Oſmannus intendit vias.*
GAMB. *Quò pergit ire? quas fugâ terras petit?*
SEL. *Superba Memphis, & genus Pharium placet.*
GAMB. *Quâ mente cultus ipſe mentitur ſacros?*
SEL. *Quò meliùs atrox, quod ſcelus voluit, tegat.*
GAMB. *Malè ficta pietas Principis factum tegit.*
SEL. *Nihil prophanum, nil ſacrum duci puta,*

Hanc ſi vltionem, quam parat, licet exequi.
OGL. *Quas loqueris iras? quam-ve vindictam*
occinis?
SEL. *Quam exulcerato corde jampridem coquit.*
GAMB. *Quod-nam clientum queritur admiſſum*
ſcelus?
SEL. *Altâ repoſta in mente ſeditio inſidet,*
Quâ nuper, hoſtes dum Getas bello petit,
Ac Sarmatarum regna populari flagrat,
Pedem coactus retulit, & ceſſit retro.
Quòd tum hoſtis abijt, ac ſuas fugit manus,
Infremit, anhelat, frendet, exardet, furit,
Rabidúſque ferro ſternere autores parat.
OGL. *Quas exequendi ſceleris exegit vias?*
SEL. *Aulam hanc relinquit: deſerit Byzantium,*
Arcéſque Memphis eligit ſedem ſibi.
Illic recidet agmina, & morti dabit,
Quæ hîc junctа virtus, ac locus ferro eximit.
Prætorianum militem, ac totum hoc genus,
Quod tegere tutis Principem excubijs ſolet,
Mactare trucibus carnifex gladijs monet,
Phariſque deinceps credit agminibus caput.
OGL. *An dubia loqueris? certa-ne eſt dictis fides?*
SEL. *Hæc ipſa veros ſcripta ſermones probant.*
Phari venire Præſidem occurſu jubet,
Terrâ marique. OGL. *An excuti furor hic poteſt?*
SEL. *Citiùs revellas rupibus Taurum arduis,*
Aut vaſta duri culmina euertas Athos,

Tetámque in altum transferas Rhodopen mare,
Quàm contumacem flectere, Osmannum queas.
OGL. *Ergo-ne fortes sperat ignauus viros*
Obïcere letho? nostra nec virtus mouet?
Neque sceptra nuper manibus ingrati data?
Hæc juuenis ausit! sternat inuictas manus,
Quas totus orbis horret adstrictus metu!
Quòd fracta toties Asia, quòd toties Pharos
Ceruice totâ patitur asperius jugum:
Totiésque Tigris, Persicos fluctus premens,
Largos cruores voluit: & Taurus Cilix
Mollita vastis cædibus sensit juga,
Babylónque Lunæ cornua Ottomana colat,
Anne alia virtus præstat? Arsacidûm agmina
Cessêre nobis: seruit edomitus Scythes:
Dalmata, Triballus, Pannones, Græci & Getæ,
Arabésque & Afri clade multiplici jacent,
Nostris sed armis clade multiplici jacent.
SEL. *Alia, alia tempus posit, atque odit moras.*
Cessare tanto cardine haud rerum decet.
GAMB. *Præcurro fatis. ibo, & armatos traham.*
Stat concitare castra: furiabo agmina:
Fraudes minæque & terror, ac blandæ preces
Insanientes arte stimulabunt viros.
Suæ saluti consulat, quisquis potest.

SELICTAR, SISIMVS.

Superba moles: gentis ô magnæ caput,

Byzantium: ingens Asiæ, & Europæ decus:
Quos fata casus, quas tibi intentant vices!
Heu quanta Erinnys instat! immensa vndique
Oritur procella: ignota tempestas coit.
Quò detonabit fulmine excusso fragor!
Vbi miles arma ceperit, vulgus furens,
Latè ruinas impete indomito dabit.
Atrox Caphareus turbida infringens freta,
Sæuáque Propontis gurgite arctato latrans,
Minùs est timenda. sæuit horrendùm minis,
Insana subitus corda cùm rapuit furor.
Osmanne, miseret: miseret, Achomate, tui:
Miseret Parentis: miseret at Nati magis.
Patrís-ne solio Filium auelli feram!
Regnare Patruum gentis Ottomanæ probrum!
Me tangit ætas: frontis eximiæ decus,
Atque animus ingens ille, & imperij capax.
SISIM. *Consilia juuenis forsan instectent preces:*
Ac se inquietum pectus in melius dabit.
SELICT. *Nihil remittet, corde regali tumens:*
Sibi instat ardens, nec retro mentem refert.
Iuuenem æstuantem, ceu duo flabra, incitant
Hinc Gisber, illinc Dilauer. hos facili fide,
Animóque cæco sequitur, vt rerum deos.
Sed ecce anhelo perditi accurrunt metu:
Huc cede propere: factáque amborum nota.

IIDEM, DILAVER, GISBER, MILITES ſtatim inſequentes.

DILAV. *Occidimus! inſtat, Gisber, extremus dies.*
Conſilia Regi cœpta, militibus patent.
Effuſa caſtris turba præcipiti agmine
Percurſat Vrbem, & omnia horrificat metu.
Vix me, tumultu elapſus, eripui fugâ.
Dirus Selictar miſcuit tantas faces.
GISB. *At ſentiebam tale venturum nefas.*
Impulſa ſed eunt fata, quò ſuperi vocant.
Subeamus Aulam: Principem hoc ſcire addecet,
Auxilia præſens rebus vt trepidis ferat.
Heu! propiùs armis dira ſeditio irruit.
MIL. *Quò, quò ſceleſti fugitis? at fruſtrà eſt fuga:*
Vos nulla latebra, nullus eripiet dies.
ALTER MIL. *Eia, irruamus: omne perfugium labet.*
Non ſacra ſontes adyta, non aræ tegant:
Mediâ ſed Aulâ Regis ante oculos cadant.
SELICT. *Conſiſte, miles: nil truces iræ impetus,*
Nil peccet error. ancoram nondum vltimam
Conſumpſit vnda: nec ſcelus ſummum attigit.
Ferrum admouebis, ſi nihil moueant preces.

CHORVS.

HOminum nullus tam ſapienter,
Digerit actus, vt conſilium

Non quater vnâ damnet in horâ.
Hebetat mentes insitus error,
Rerúmque notas tenebræ miscent,
Sociæque latent pectora gentis.
Penitus flexos mæandros habent,
Neque recessus longior abditos
Detegit vsus. leuitas, nullo
Quæ nixa gradu perstat, miseris
Super incumbit: variósque rotans
Turbine sensus, certam prohibet
Seruare fidem: vinclaque rumpens
Soluit amicos fœdere fratres.
Quin sæpe ligat miseros fallens
Alio pietas abdita vultu.
Dúmque remedium meditata malis
Medicas adhibet languenti manus,
Sæpe morantem celerat mortem,
Curánsque suos, exitio dedit.
Aureum pauci nouêre modum,
Quem legitimus postulat vsus.
Ferimur cæco turbine vncti,
Superúmque manus sustinet vna,
Certóque vagos limite ducit.

CHORVS.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

OSMANNVS. VSSANVS.

OSM. *INtentat arma Principi! & numero tumens*
Elata faſtu eſt! ac mei oblita & ſui
Tantos tumultus peſtis inſana excitat!
Repetita toties iam Patri pœna excidit,
Quem ſæpe damnis grauibus vltorem tulit,
Terrere turbis dum virum fortem æſtuant?
Iam conflagrabant tecta: iam ſacræ efferi
Aulæ imminebant. ſanguis extinxit faces,
Dominúmque rabidos contudit ferrum impetus.
Non mitiorem ſperet Oſmannum ſibi.
Vſſane, nobis quem fides charum facit,
Huc, huc frequentes agere feſtina manus,
Quas Regiorum vaſtus hortorum ambitus
Statione vigili ſemper armatas habet.
Et quæ tuentur ordine alterno rates.
Harum arma, opémque petimus: in ferro eſt ſalus.
VSAN. *Iuſſa haud morabor.* OSM. *Diſcat imperium pati,*
Cadat-ve meritâ cæde ſceleratum genus.
Miles rebellis ſcilicet regnum parit.
Aſia ſubacta eſt: ſtrauit Europam metus,

Cùm militaris viguit in caſtris labor.
At iſte nocuit luxus, & perdit quies.
Miles ſub omni ſole militiam abnegat,
Ferre renuebat nuper Arctõum gelu,
Nunc æſtuantes orbis Auſtrini plagas:
Scelerúmque teſtem reddit humanum genus.
Cohibere ſontes ocyùs cogit ſalus.
Malè imperatur, quando lex Regi datur,
Ac vulgus animos efferum in entes gerit,
Quod facilè vento quolibet flecti poteſt:
Contra ferotes pauidum, & in pauidos ferox.

OSMANNVS. PONTIFEX.

PONT. *Adſum ſequeſter pacis & populo & tibi,*
Inuicte Regum, legis & cuſtos ſacræ.
Huc me æſtuantis protrahunt populi preces.
Animos grauis ſuſpendit incertos metus,
Ne deſtinatas ire feſtines vias.
Pericla terrent, tot maris terrent minæ,
Arabúmque feruens, petere quod ſtatuis ſolum.
Illic flagranti Sirius flammâ æſtuans
Accendit aſtrum: ſubditas Cancri faces
Populos adurunt. cùm poli ſummum attigit
Phœbus cacumen, euibrat rectum jubar,
Nec flectit vmbras: arua tunc ſoluit vapor,
Tenuéſque in auras omnis excoquitur latex.
Cur tot periclis Regium obiectas caput?

Vita obſidetur tot malis circum vndique.
Mors prompta vbique ſpicula, & caſſes hab et
Nec contra denſæ Principem excubiæ tegunt
Mediâ ſub aulâ. OSMAN. *Pectore egregio feram*
Quoſcumque caſus: noſtra nec pietas opus
Durum recuſat. cui ſacrum tumulum ſemel
Adolere magni prece Prophetæ contigit,
Pióque mitem fecit obſequio Deum,
Illum beatâ mente compoſitum arbitror.
Piget hîc morari. an regibus cædam exteris,
Quos vana pietas, ac ſui voti fides
Sedibus auitis trans mare auulſos tulit?
PONT. *Relligio mores varia populorum regit.*
Alij prophanum, quod ſacrum eſt alijs, habent.
Quondam, eſto, ſtultus error agitarit duces,
Quos multitudo numinum pridem juuat.
Sed te vagari patrius haud ritus ſinit.
OSM. *Quæ lex ſepulcrum adire Mahumetis vetat?*
PONT. *Quæ linquere Vrbem Principes Turcas vetat,*
Niſi bella certis hoſtibus longè inferant.
OSM. *At nuncupatum Principes votum ligat.*
PONT. *Quæ vota male ſunt, ſoluere haud licitum*
puta.
OSM. *Immò, graue eſt, non ſtare promiſſis, nefas:*
Fideique ruptæ perfidi pœnas luunt.
PONT. *Qui perpetrare ſpondet infandum ſcelus:*
Si pareat, obeátque: conduplicat ſcelus.
Fas eſt ab vnâ lege rationem tuæ

Vitæ repetere: quæ per incertas vias
Tenore vario dirigat morum gradus.
Extera obeundo, posse placari Deum
Credas, caue. id nec ratio, nec pietas probat,
Sed instituta legis ac mores vetant.
Sanẽta est tueri patrios pietas lares,
Ne subitus hostis diuites prædas agat.
OSM. *Supremus ille syderum, atque hominum parens,*
Qui cuncta nutu flectit, est clypeus bonis:
Ac sæpe fulmen, vt pios seruet, rotat.
Dum sacra veneror, ille seruabit meos.
PONT. *Dum te periclis obÿcis, populum hostibus,*
Fratres, Parentẽm & sacra, pietatem vocas?
Pietas & error iste priuatos decet:
Aut quos perennis cura sacrorum alligat.
OSM. *Mystis-ne tantùm colere pietatem decet?*
PONT. *Et mihi tibíque licent: haud pariter tamen.*
Qui munus implẽs lege præscriptum, est pius.
Quos arcuerunt publicis curis sua
Vitæ instituta, & Arctον & Boream petant:
Adsint, vel adsint, id nihil populis nocet.
At quos salutis publicæ poscit labor,
Statione vigili semper insistant ratem,
Et non remissâ temperent clauum manu.
Hîc præpotenti debitos cultus Deo
Persolue: populos otio illustres rege:
Hostem triumpha: pande Mahumetis decus,
Domitúmque leges vinciant orbem tua:

Si ſceleris expers mente prætereà vites,
Superis litâſſe crede. nam ſimplex fides,
Nullóque tecta veritas fuco magis
Quàm labor, & ingens victima meretur Deum.
OSM. *Garrire per me, quod voles, liceat tibi:*
Tamen ſceleſtum eſt, fallere obſtrictam fidem,
Magiſque Regi infame, iuratam Deo.
PONT. *Si honeſta credis eſſe Regi & turpia,*
Quæ honeſta populus credit eſſe & turpia,
Errras. amici, proximi, leges, ſacra,
Sunt vincla populis, Regibus ludibria.
Diadema quiſquis ſumpſit, ac ſolio ſedet,
Vulgaris omnes ponat officij gradus:
Nec arbitretur turpe, quod regno vtile eſt.
OSM. *Qui ſe imperitum venditant vulgus ſupra,*
Et qui videntur ſapere plus alijs ſibi:
Sæpe implicari ſcelere majori accidit.
Superos popellus pectore effuſo colit,
Et iura legum adorat, atque odit nefas:
Hic ſua Sacerdos ſacra ludibrijs habet.
Rude & imperitum vulgus eſt voti tenax,
Viuítque fraudis neſcium: ac ſemper ratum,
Quod pollicetur numini ſummo, putat:
En qui vetuſtos explicat ritus patrum,
Panditque leges, ac docet myſteria,
Hæc negligenter ſeruat, ac nihili facit.
An aliud illos ſapere, nunc meritò putem,
Quàm ſibi colorem quærere, ac ſceleri bonum?

Velare fucis impia mentis nefas?
Verſutiarum nectere ambagem & dolos?
Ergo pietatis æmulos quiſquis volet
Habere natos, crimine vt careant magis,
Doctis quàm abundent artibus curet probè.
Quò literarum laude quis præſtat magis,
Illò minoris iura ſacrorum facit.
PONT. *Si recta vertit mentis ingenium mala,*
Ideo-ne curua cæcitas recta eriget?
Nec tua probabit cœpta cæleſtis parens,
Neque ominari, quæ tibi accerſis, placet.
Si tenuis aura vulgus impellat ferox,
Ac militaris ira prætereà ingruat,
Quæ vis furores, quod-ve conſilium premat!
Non aliter, ac ſi molibus ruptis tumens
Per arua Nilus voluat vndantes lacus:
Aut diſſoluto rupis Oechaliæ jugo
Prorumpat in ima vallium Euboïcum mare,
Pronóque fluctus monte precipites rotet,
Agricola contra tendat incaſſum aggeres,
Multáque fruſtra Chalcis obſiſtat manu.
Tantas procellas occupa, & mentem exue.
Da tempus iræ: ciuibus redeat quies.
Hæc ſumma pietas, certáque ad ſuperos via.
Precibus meis concede, quod tutum eſt tibi.
Quò quiſque meliùs parcit, & cautè magis
Faſtum coërcet, ac ſuo ſceptro timet,
Hoc ſua periclo ſceptra leuiore implicat.

Fugienda prorſus aſpera. id regno expedit,
Pacémque populis ſancit, ac Regi fidem.
Fáſque imperanti eſt, quod placet tandem omnibus.
Seruire rebus, non leuis prudentia eſt.
Mutanda mens eſt, cùm iubent rerum vices.
OSM. *Preces odiáque veſtra me tangunt parum.*
Conditio Regum eſt miſera, ſi miſeros timet.
PONT. *Si nil timendo præda fit, miſerrima eſt.*
OSM. *Si ſceptra Reges plebis arbitrio alligant,*
Atque hunc pudorem ſumma libertas habet,
Frons nulla ſupereſt rebus. hæc longè extulit
Ille dominator Orbis. inflexâ manu
Rex ſceptra teneat, ſi ſapit. plebs gaudia
Iráſque facilè ſumit, & facilè abÿcit.
PONT. *Iuga ſumma ſæpe turbine abrupto cadunt:*
Quamuis inane ſpiritus ſoluat breues.
Serò intonabis ore præcipitans minas,
Si concitari militum rabiem accidat.
Regum ille faſtus, ac tumor totus perit,
Cùm ſoluit ira vinculum obſequÿ, ac fidem.
Cautè eſt fouendus, ſpecimen imperÿ, pudor.
OSM. *Si jam vagari latiùs peſtem ſinam,*
Modò ſceptra leges ad ſuas flecti volet.
PONT. *Seruire diſce tempori, ac ſpecie tenus*
Præ te iſta ſaltem habere conſilia indica.
OSM. *Conſilia mutem! vulgus illudat mihi!*
PONT. *Differre ſaltem itineris vt tempus velis.*
OSM. *Neque hoc petendum eſt: nec leuis pretÿ eſt*
mora.

Hanc ſi vltionem, quam parat, licet exequi.
OGL. *Quas loqueris iras? quam-ve vindictam occinis?*
SEL. *Quam exulcerato corde jampridem coquit.*
GAMB. *Quod-nam clientum queritur admiſſum ſcelus?*
SEL. *Altâ repoſta in mente ſeditio inſidet,*
Quâ nuper, hoſtes dum Getas bello petit,
Ac Sarmatarum regna populari flagrat,
Pedem coactus retulit, & ceſſit retro.
Quòd tum hoſtis abijt, ac ſuas fugit manus,
Infremit, anhelat, frendet, exardet, furit,
Rabidúſque ferro ſternere autores parat.
OGL. *Quas exequendi ſceleris exegit vias?*
SEL. *Aulam hanc relinquit: deſerit Byzantium,*
Arcéſque Memphis eligit ſedem ſibi.
Illic recidet agmina, & morti dabit,
Quæ hîc juncta virtus, ac locus ferro eximit.
Prætorianum militem, ac totum hoc genus,
Quod tegere tutis Principem excubijs ſolet,
Mactare trucibus carnifex gladijs monet,
Phariſque deinceps credit agminibus caput.
OGL. *An dubia loqueris? certa-ne eſt dictis fides?*
SEL. *Hæc ipſa veros ſcripta ſermones probant.*
Phari venire Præſidem occurſu jubet,
Terrâ marique. OGL. *An excuti furor hic poteſt?*
SEL. *Citiùs revellas rupibus Taurum arduis,*
Aut vaſta duri culmina euertas Athos,

Tetámque in altum transferas Rhodopen mare,
Quàm contumacem flectere, Ofmannum queas.
OGL. *Ergo-ne fortes ſperat ignauus viros*
Obÿcere letho? noſtra nec virtus mouet?
Neque ſceptra nuper manibus ingrati data?
Hæc juuenis auſit! ſternat inuictas manus,
Quas totus orbis horret adſtrictus metu!
Quòd fracta toties Aſia, quòd toties Pharos
Ceruice totâ patitur aſperius jugum:
Totiéſque Tigris, Perſicos fluctus premens,
Largos cruores voluit: & Taurus Cilix
Mollita vaſtis cædibus ſenſit juga,
Babylónque Lunæ cornua Ottomanæ colat,
Anne alia virtus præſtat? Arſacidûm agmina
Ceſſêre nobis: ſeruit edomitus Scythes:
Dalmata, Triballus, Pannones, Græci & Getæ,
Arabéſque & Afri clade multiplici jacent,
Noſtris ſed armis clade multiplici jacent.
SEL. *Alia, alia tempus poſcit, atque odit moras.*
Ceſſare tanto cardine haud rerum decet.
GAMB. *Præcurro fatis. ibo, & armatos traham.*
Stat concitare caſtra: furiabo agmina:
Fraudes minæque & terror, ac blandæ preces
Inſanientes arte ſtimulabunt viros.
Suæ ſaluti conſulat, quiſquis poteſt.

SELICTAR, SISIMVS.

Superba moles: gentis ô magnæ caput,

Byzantium: ingens Aſiæ, & Europæ decus:
Quos fata caſus, quas tibi intentant vices!
Heu quanta Erinnys inſtat! immenſa vndique
Oritur procella: ignota tempeſtas coit.
Quò detonabit fulmine excuſſo fragor!
Vbi miles arma ceperit, vulgus furens,
Latè ruinas impete indomito dabit.
Atrox Caphareus turbida infringens freta,
Sæuáque Propontis gurgite arctato latrans,
Minùs eſt timenda. ſæuit horrendùm minis,
Inſana ſubitus corda cùm rapuit furor.
Oſmanne, miſeret: miſeret, Achomate, tui:
Miſeret Parentis: miſeret at Nati magis.
Patrís-ne ſolio Filium auelli feram!
Regnare Patruum gentis Ottomanæ probrum!
Me tangit ætas: frontis eximiæ decus,
Atque animus ingens ille, & imperij capax.
SISIM. *Conſilia juuenis forſan inſtectent preces:*
Ac ſe inquietum peltus in melius dabit.
SELICT. *Nihil remittet, corde regali tumens:*
Sibi inſtat ardens, nec retro mentem refert.
Iuuenem æſtuantem, ceu duo flabra, incitant
Hinc Gisber, illinc Dilauer. hos facili fide,
Animóque cæco ſequitur, vt verum deos.
Sed ecce anhelo perditi accurrunt metu:
Huc cede propere: factáque amborum nota.

IIDEM, DILAVER, GISBER, MILITES statim insequentes.

DILAV. *Occidimus! instat, Gisber, extremus dies.*
Consilia Regi cœpta, militibus patent.
Effusa castris turba præcipiti agmine
Percursat Vrbem, & omnia horrificat metu.
Vix me, tumultu elapsus, eripui fugâ.
Dirus Selictar miscuit tantas faces.
GISB. *At sentiebam tale venturum nefas.*
Impulsa sed eunt fata, quò superi vocant.
Subeamus Aulam: Principem hoc scire addecet,
Auxilia præsens rebus vt trepidis ferat.
Heu! propiùs armis dira seditio irruit.
MIL. *Quò, quò scelesti fugitis? at frustrà est fuga:*
Vos nulla latebra, nullus eripiet dies.
ALTER MIL. *Eia, irruamus: omne perfugium labet.*
Non sacra fontes adyta, non aræ tegant:
Mediâ sed Aulâ Regis ante oculos cadant.
SELICT. *Consiste, miles: nil truces iræ impetus,*
Nil peccet error. ancoram nondum vltimam
Consumpsit vnda: nec scelus summum attigit.
Ferrum admouebis, si nihil moueant preces.

CHORVS.

HOminum nullus tam sapienter,
Digerit actus, vt consilium

Non quater vnâ damnet in horâ.
Hebetat mentes insitus error,
Rerúmque notas tenebræ miscent,
Sociaque latent pectora gentis.
Penitus flexos meandros habent,
Neque recessus longior abditos
Detegit vsus. leuitas, nullo
Quæ nixa gradu perstat, miseris
Super incumbit: variósque rotans
Turbine sensus, certam prohibet
Seruare fidem: vinclaque rumpens
Soluit amicos fœdere fratres.
Quin sæpe ligat miseros fallens
Alio pietas abdita vultu.
Dúmque remedium meditata malis
Medicas adhibet languenti manus,
Sæpe morantem celerat mortem,
Curinsque suos, exitio dedit.
Aureum pauci nouêre modum,
Quem legitimus postulat vsus.
Ferimur cæco turbine cuncti,
Superúmque manus sustinet vna,
Certóque vagos limite dmoit.

CHORVS.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

OSMANNVS. VSSANVS.

OSM. *INtentat arma Principi! & numero tumens*
Elata faſtu eſt! ac mei oblita & ſui
Tantos tumultus peſtis inſana excitat!
Repetita toties iam Patri pœna excidit,
Quem ſæpe damnis grauibus vltorem tulit,
Terrere turbis dum virum fortem æſtuant?
Iam conflagrabant tecta: iam ſacræ efferi
Aulæ imminebant. ſanguis extinxit faces,
Dominúmque rabidos contudit ferrum impetus.
Non mitiorem ſperet Oſmannum ſibi.
Vſſane, nobis quem fides charum facit,
Huc, huc frequentes agere feſtina manus,
Quas Regiorum vaſtus hortorum ambitus
Statione vigili ſemper armatas habet.
Et quæ tuentur ordine alterno rates.
Harum arma, opémque petimus: in ferro eſt ſalus.
VSAN. *Iuſſa haud morabor.* OSM. *Diſcat imperium pati,*
Cadat-ve meritâ cæde ſceleratum genus.
Miles rebellis ſcilicet regnum parit.
Aſia ſubacta eſt: ſtrauit Europam metus,

Cùm militaris viguit in caſtris labor.
At iſte nocuit luxus, & perdit quies.
Miles ſub omni ſole militiam abnegat,
Ferre renuebat nuper Arctõum gelu,
Nunc æſtuantes orbis Auſtrini plagas:
Scelerúmque teſtem reddit humanum genus.
Cohibere ſontes ocyùs cogit ſalus.
Malè imperatur, quando lex Regi datur,
Ac vulgus animos efferum in entes gerit,
Quod facilè vento quolibet flecti poteſt:
Contra feroces pauidum, & in pauidos ferox.

OSMANNVS. PONTIFEX.

PONT. *Adſum ſequeſter pacis & populo & tibi,*
Inuicte Regum, legis & cuſtos ſacræ.
Huc me æſtuantis protrahunt populi preces.
Animos grauis ſuſpendit incertos metus,
Ne deſtinatas ire feſtines vias.
Pericla terrent, tot maris terrent minæ,
Arabúmque feruens, petere quod ſtatuis ſolum.
Illic flagranti Sirius flammâ æſtuans
Accendit aſtrum: ſubditas Cancri faces
Populos adurunt. cùm poli ſummum attigit
Phœbus cacumen, cuibrat rectum jubar,
Nec flectit vmbras: arua tunc ſoluit vapor,
Tenuéſque in auras omnis excoquitur latex.
Cur tot periclis Regium obiectas caput?

Vita obſidetur tot malis circum vndique.
Mors prompta vbique ſpicula, & caſſes hab et
Nec contra denſæ Principem excubiæ tegunt
Mediâ ſub aulâ. OSMAN. *Pectore egregio feram*
Quoſcumque caſus: noſtra nec pietas opus
Durum recuſat. cui ſacrum tumulum ſemel
Adolere magni prece Prophetæ contigit,
Pióque mitem fecit obſequio Deum,
Illum beatâ mente compoſitum arbitror.
Piget hîc morari. an regibus cædam exteris,
Quos vana pietas, ac ſui voti fides
Sedibus auitis trans mare auulſos tulit?
PONT. *Relligio mores varia populorum regit.*
Alij prophanum, quod ſacrum eſt alijs, habent.
Quondam, eſto, ſtultus error agitarit duces,
Quos multitudo numinum pridem juuat.
Sed te vagari patrius haud ritus ſinit.
OSM. *Quæ lex ſepulcrum adire Mahumetis vetat?*
PONT. *Quæ linquere Vrbem Principes Turcas vetat,*
Niſi bella certis hoſtibus longè inferant.
OSM. *At nuncupatum Principes votum ligat.*
PONT. *Quæ vota malè ſunt, ſoluere haud licitum*
puta.
OSM. *Immò, graue eſt, non ſtare promiſſis, nefas:*
Fideíque ruptæ perfidi pœnas luunt.
PONT. *Qui perpetrare ſpondet infandum ſcelus:*
Si pareat, obeátque: conduplicat ſcelus.
Fas eſt ab vnâ lege rationem tuæ

Vitæ repetere: quæ per incertas vias
Tenore vario dirigat morum gradus.
Extera obeundo, posse placari Deum
Credas, caue. id nec ratio, nec pietas probat,
Sed instituta legis ac mores vetant.
Sancta est tueri patrios pietas lares,
Ne subitus hostis diuites prædas agat.
OSM. *Supremus ille syderum, atque hominum parens,*
Qui cuncta nutu flectit, est clypeus bonis;
Ac sæpe fulmen, vt pios seruet, rotat.
Dum sacra veneror, ille seruabit meos.
PONT. *Dum te periclis obijcis, populum hostibus,*
Fratres, Parentèm & sacra, pietatem vocas?
Pietas & error iste priuatos decet:
Aut quos perennis cura sacrorum alligat.
OSM. *Mystis-ne tantùm colere pietatem decet?*
PONT. *Et mihi tibíque liceat: haud pariter tamen.*
Qui munus implet lege præscriptum, est pius.
Quos arcuerunt publicis curis sua
Vitæ instituta, & Arctον & Boream petant:
Adsint, vel adsint, id nihil populis nocet.
At quos salutis publicæ poscit labor,
Statione vigili semper insistant ratem,
Et non remissâ temperent clauum manu.
Hîc præpotenti debitos cultus Deo
Persolue: populos otio illustres rege:
Hostem triumpha: pande Mahumetis decus,
Domitúmque leges vinciant orbem tuæ:

Si ſceleris expers mente prætereà vites,
Superis litâſſe crede. nam ſimplex fides,
Nullóque tecta veritas fuco magis
Quàm labor, & ingens victima meretur Deum.
OSM. *Garrire per me, quod voles, liceat tibi:*
Tamen ſceleſtum eſt, fallere obſtrictam fidem,
Magíſque Regi infame, iuratam Deo.
PONT. *Si honeſta credis eſſe Regi & turpia,*
Quæ honeſta populus credit eſſe & turpia,
Errras. amici, proximi, leges, ſacra,
Sunt vincla populis, Regibus ludibria.
Diadema quiſquis ſumpſit, ac ſolio ſedet,
Vulgaris omnes ponat officij gradus:
Nec arbitretur turpe, quod regno vtile eſt.
OSM. *Qui ſe imperitum venditant vulgus ſupra,*
Et qui videntur ſapere plus alijs ſibi:
Sæpe implicari ſcelere majori accidit.
Superos popellus pectore effuſo colit,
Et iura legum adorat, atque odit nefas:
Hic ſua Sacerdos ſacra ludibrijs habet.
Rude & imperitum vulgus eſt voti tenax,
Viuítque fraudis neſcium: ac ſemper ratum,
Quod pollicetur numini ſummo, putat:
En qui vetuſtos explicat ritus patrum,
Panditque leges, ac docet myſteria,
Hæc negligenter ſeruat, ac nihili facit.
An aliud illos ſapere, nunc meritò putem,
Quàm ſibi colorem quærere, ac ſceleri bonum?

Fugienda prorſus aſpera. id regno expedit,
Pacémque populis ſancit, ac Regi fidem.
Fáſque imperanti eſt, quod placet tandem omnibus.
Seruire rebus, non leuis prudentia eſt.
Mutanda mens eſt, cùm iubent rerum vices.
OSM. *Preces odiáque veſtra me tangunt parum.*
Conditio Regum eſt miſera, ſi miſeros timet.
PONT. *Si nil timendo præda ſit, miſerrima eſt.*
OSM. *Si ſceptra Reges plebis arbitrio alligant,*
Atque hunc pudorem ſumma libertas habet,
Frons nulla ſupereſt rebus. hæc longè extulit
Ille dominator Orbis. inflexâ manu
Rex ſceptra teneat, ſi ſapit. plebs gaudia
Iráſque facilè ſumit, & facilè abÿcit.
PONT. *Iuga ſumma ſæpe turbine abrupto cadunt:*
Quamuis inane ſpiritus ſoluat breues.
Serò intonabis ore præcipitans minas,
Si concitari militum rabiem accidat.
Regum ille faſtus, ac tumor totus perit,
Cùm ſoluit ira vinculum obſequÿ, ac fidem.
Cautè eſt fouendus, ſpecimen imperÿ, pudor.
OSM. *Si jam vagari latiùs peſtem ſinam,*
Modò ſceptra leges ad ſuas flecti volet.
PONT. *Seruire diſce tempori, ac ſpecie tenus*
Præ te iſta ſaltem habere conſilia indica.
OSM. *Conſilia mentem! vulgus illudat mihi!*
PONT. *Differre ſaltem itineris vt tempus velis.*
OSM. *Neque hoc petendum eſt: nec leuis pretÿ eſt*

mora.

PONT. *Quæ damna tandem tam breuis faciat mora?*
OSM. *De me triumphent! nullavis à me exprimet*
Tam turpe facinus. aliud edocuit Pater,
Et quotquot ingens ordo Majorum extitit.
Certum est ábire: nec retro vt libeat pedem
Reuocare possum, nec mihi, vt possim, libet.
PONT. *Nulla est honestis sera consilijs dies.*
Reuocare præstat, quàm dare in præceps pedem.
OSM. *Cœlo reuulsum citiùs in terram excuti*
Solem hunc videbis: vel face extinctâ diem
Subtrahere rebus: antè se in terras dabit
Operosa moles, quàm minas vulgi feram.
Confundis imis summa, succedant mala,
Lentus priorem si ferás injuriam.
Proinde monitus abijce, & vanas preces.
Consulere nobis mitte: consultum est satis.
Absiste: libeat facere, quod stultè improbas.
Agedum feroces pectoris motus cie.
Ad magna mentem attolle: se ipsum incitat
Cœptum est, eatur. celerat in cursum labor.
Benè prima cedunt: cætera ad nutum fluent.
His me remittam! stolida seruilis sequar
Arbitra vulgi! exibo, nec referam gradum.
Quod si excitatum sæuiat, ferro cadat.

CHORVS.

QVantæ molis opus, vota recidere;
Quæ vinci facilem transiliunt modum,
Nec fatis

Nec fatis nimiùm credere proſperis!
Dum ventis pelagus molle ſilentibus,
Ac ſtratum recubat, nauita patrios
Mutat ſæpe leui nauigio lares,
Fallacíque caput credidit æquori.
At, dum bis Superis térque fauentibus
Vndarum relegit terga liquentia,
Mutati furias ſæpe maris tulit,
Ac læti pretium perdidit otij.
Si tuto miſeri conſtiterint gradu,
Excuſſos medio limite protinus
Rerum ſumma procul præcipites trahunt.
Oſmannus Patrio dum ſolio ſedet,
Fœlicíque tumet lætiùs otio,
Sortem ferre nequit. nil modicum efferâ
Secum mente coquit: funera cædibus
Miſcere impatiens, dira periculis
Vltro fata vocat. læſa reſurgere
Vel pœnâ facili, vel patientiâ
Majeſtas valuit: nî dolor impotens,
Quod flecti poterat, frangere deſtinet.
Collo dura ferox cùm juga libero
Excuſſit populus, more volubilis
Flammæ cuncta rapit: cúmque ſuis licet
Immenſum imperium reddere finibus,
In pejora ruit crimina protinus,
Ac metam indomito prorſus impetu,
Oſtentárque ſcelus, quod negat alteri.

ACTVS QVARTVS.

GAMB. MILITES. CHORVS.

GAMB. *PErfugia ſperent vlla! nec meritas ferant*
Pœnas nocentes! Iuuenis incaſſum arduas
Opponet arces. nil moræ virtus ferat,
Quam ſtimulat ira. ſaxa ſi obÿciat ſcelus,
Perrumpet ictu ſaxa fulmineo ocyùs,
Sontéſque fractis rupibus morti eruet.
En odia populi, en terror, atque Orbis faces:
Regum tyranni. CHOR. *Cæde quâ ferrum madet?*
Quas fata primùm victimas populis ferunt?
Nam fœda ſanies, ac dolor vultus trahens
Vetat ora certis ſquallida agnoſci notis.
GAMB. *Hic, ille Dilauer: Gisberis cernis caput?*
Quibus æqua pœnas fata retulerunt pares,
Noſtra meditatis funera. CHOR. *O ſuperûm fides!*
GAMB. *Iam vos relinquant: iam Pharon Regno velint,*
Iugulúmque Caſtris vnico ferro amputent.
CHOR. *Miſeri! ſupremâ ſede dum celſi eminent,*
Armíſque cincti, ac ciuium obſequio tument,
Faſtu efferuntur, ſortis obliti vlaimæ.
Cæde ac rapinis ſæuiunt: ſtupris domos,

Gentésque miſcent. ſic pari ſorte occidant,
Quicúmque captos fraudibus Reges trahunt.
At quis ſceleſtos obtulit caſus neci?
OAMB. *Vt ſubita ſcalis militum cuneos truces*
Extulit in Hortos ira: & ardenti agmine
Raptim occuparunt Regiæ extremum latus,
Hos fortè ſtantes exedrâ in mediâ vident.
Haud mora, reuellunt clauſtra poſticæ domûs:
Non ſacra ſedis adyta: non tela vndique
Vibrata tardant. turba deprenſos rapit,
Ludítque truncos. alia ſed ſpirat ſitis.
Vix incoatum ſurgit in curſum labor.
Hæc capita poſcunt & meum & veſtrum caput,
Commilitones: maius aut facinus jubent.
Oſmannus altâ ſede dejectus gemat,
Rurſúmque Patruo cedat imperij vices.
Regnare ſi vis: ac tuos mores amas,
Nulliſque clauſos legibus regere expetis,
Reſtitue ſolio Muſtapham. ignauus ſinet
Diripere gentes, ac tibi in prædas dabit.

IIDEM. PONTIFEX. SISIMVS. MILITES. OSMANNI EFFIGIEM geſtantes.

SISIM. *Huc ſtatue, miles, protinus monſtrum horridum,*
Solio excidentem quod modò Oſmannum indicet.

Præito verba, maxime Interpres poli:
Nos ſuccinemus, nec moras vllus trahet.
PONT. *Audite, Ciues: quiſquis Oſmannum colit,*
Seu ſigna belli, ſeu quies Vrbis tenet:
Illum coronâ Regiâ exutum ſciat.
Ita Deus, ita nos volumus: è ſolio excidit.
Illum imperantem ferre iam vobis nefas.
GABOL. *Quòd ſe Miniſtrum Themidis indignum*
extulit,
Poſt hac carebit enſe, nec leges feret.
SISIM. *At neque gerendi nouerat ſceptri modum,*
Huic ergo ſceptri pereat æternùm decus.
PONT. *Corona, ſceptrum & gladius Oſmanno periit,*
Regni ſuprema ſede preterea excidat.
Sic eat, acerbo qui tumet faſtu impotens.
Sanctum quieti Principem mores decent.

IIDEM. OGLIVS. MILITES humeris MVSTAPHAM deferentes.

OGL. *Rurſum ecce regnat Muſtapha, & votis ouat.*
Iam plaude, miles: jam tibi in tuto eſt ſalus.
Procul abſit ira, jam procul ſæui metus.
Viuat beatus, ac potens armis premat,
Quas Scythica nondum vinciunt gentes juga:
Fortique Turcas pectore amplexus regat.
PONT. *Depone, miles, Regium vt cultum induat,*
Purpurea latam palla fortunam decet.

MVST. *Amice, Regem nonne luſiſti ſatis?*
Nuper reuulſum patrio è ſolio ſenem
Ebeu! ſuperbo colla calcabas pede,
Iam mancipatum carceri dudum premis,
Eripere vitam iam mihi tandem ſedet?
PONT. *Hoc fuit acerbum, hoc ſortis infeſtæ ſcelus.*
Pudet ah! pudet: ſed reddimus ademptum decus,
Fratríſque ſolium. pone ferales metus.
Syncera tibi jam præſtat obſequium fides.
MVST. *Heu me! perenne viuo ludibrium meis!*
Turpe eſt jacentes premere? ſed Reges magis,
Regúmque natos. ſæue, me tandem horridis
Miles, tenebris redde. OGL. *Rex, teipſum incita:*
Sors fugit acerba: melior en rurſus redit,
Humeri reſumant purpuram, & ſceptrum manus;
Priùs id vetabant fata, nunc iterum jubent.
Vultus ſerenos exhibe: ſpecta diem.
Tua turba poſcit. fortiter fortes ſolent
Caſus iniquos ferre: fortunam ſequi,
Seu jam premat, ſeu tollat afflictos ſolo.
MVST. *Inimica miſeris numina, & ſontes poli,*
Ergo-ne tenebras inter, ac rerum aſpera
Vſque inquietus, vſque moribundus traham
Hoc putre corpus? nec moram inuiſam accidet
Rumpere ſenectæ? quid? genus pœnæ hoc placet,
Imperare vitam Muſtaphæ, vt nequeat mori?
Ac mille pœnis, mille funeribus cadat?
Quoties crudelis fratris effugi manus!

Quamquam ille nôsset memet addictum artibus
Vacare mutis, quàm tamen sæpe impius
Stridente jaculo insontis appetijt latus!
Quàm scelere sæuo solis eripuit jubar!
Tum mihi Paternum cœlites dederant decus,
Ac regni habenas: vos mala addentes malis
Crudelitate depulistis impiâ.
Hinc me profundus texit inclusum specus,
Iámque ecce rursum protrahor ludus meis!
PONT. *Nil metue fraudis: vera te pietas colit.*
MVST. *Hæc me arma terrent.* OGL. *Miles imperio*
subest,
Spectátque nutus. eia, jam vultus refer.
Erige senile corpus, & sceptro adjuua.
MVST. *Quis heu! rotatus æquet Ixion meos!*
Non promptiores versat in gyros trochum
Habena puerûm, dum redux buxum rotant,
Pérque inuolutos ambitus stridens agunt.
Pudet æstuantis ferre fortunæ vices.
PONT. *Eia, age: beatas recipe regnandi notas,*
Hoc pignus à me publici obsequij accipe.
Virtus coronâ Regia, & sceptro venit
Rerum potestas: OGL. *Vim sacram legum Deus,*
Seu bella mauis regere, seu pacem colas,
Restituit, ensis iste dum cingit latus.
PONT. *Repetere populum hæc posse, qui donat, puta.*
Iam vos, amici, gaudia exhilarent noua.
Pæana lætum pectora, & linguæ sonent.

OGL. *Vos, animæ fortes, vos nati ad grandia Turcæ,*
Venturas Regi certatim dicite palmas,
Fortiáque Æmoniâ circundate tempora lauro.
Lugeat Impietas: procul hinc Cadéſque Dolíque.
Oſmannus jacet, ac Threſſæ ſtant cornua Lunæ.
Iamque bonus regnat Princeps: ſolióque ſuperbus
Vincet Achæmenias acies: Babylona frementem,
Pugnacéſque Getas, Dacóſque retundet ouantes.
Muſtapham adorabit Scythici gens accola ponti,
Quà longè Tanaim, tumidíque Boryſthenis amnem,
Danubiúmque bibit: rapido quà Viſtula fluctu
Sithonias premit altus aquas: ac turbidus Iſter
Fonte ſonat: pelagóque procul conſumitur Albis.

CHORVS.

DEpone metus, Sarmata, longos:
Soluátque graues Dacia luctus.
Gaudeat omnis populus, collo
Qui juga pridem famulo pertulit:
Et quà gelido Parrhaſis axe
Breuiùs pigros circinat orbes,
Raróque ſilent hoſpite campi:
Et quà rapidis fluctibus Iſter
Flauam Euxino miſcet arenam,
Longóque ſedet gurgite feſſus.
Poſitis læti Pannones armis
Vomere tuto ſua rura nouent:
Teneantque urbes iam ſibi proprias.

Seruile jugum Græcia ſoluens
Noſtra viciſſim comprimat arma,
Veteriſque decus vindicet æui.
Sibi ſecuri populi plaudant,
Quos Dalmaticis Adria Venetus
Obtundit aquis: queîs Germania
Procul intonſas martia ſylvas
Rapidos inter porrigit amnes:
Queîs ſalit albis fluctibus Ægon,
Pontúſque nigris dulceſcit aquis:
Ac tortus Halys gurgite lento
Fruge fluentes ditat arenas:
Liquidóque nitens marmore Cydnus
Perit infuſus Tethyos vndis,
Quæ ferit altam murmure Cypron.
Iam nos Latium promocet vltro:
Antiqua Nouam Roma laceſſat;
Cladéſque ſuas vlta reſurgat.
Toties auctum Byzantis opus
Facili proſtat præda triumpho.
Agitat gentem triſtis Erinnys,
Geminúmque caput ſuſtulit Vrbi.
Rapiunt ſæuæ corda procellæ,
Nec procul abſunt vltima primis.
Sic vſque Deus cuncta volutat,
Inſtar volucris pulueris acti
Turbine celeri mobilis auræ:
Fixóque gradu ſtare nihil ſinit.

ACTVS

ACTVS QVINTVS.

VSSANVS. OSMANNVS.

VSSAN. *SPes ſuper in armis nulla: maturè ſatis*
Adeſſe rebus Claſſis auxilio nequit:
Præuertit omnes impius curas furor.
OSM. *O quiſquis orbes ſyderum imperio regis,*
Hominúmque voluis fata (ſi ſuperi tamen
Humana curant) cur ſilent triſidæ faces?
Vbi pudor & fas? vbi ſcelerum vindex Themis?
Sed ſurda pulſo ſydera; & mutum polum.
VSSAN. *Omitte queſtus. rumpe iam ſegnes moras.*
Conſule ſaluti, ac, dum licet, ferrum effuge.
OSM. *Non eſſe tanti Regibus vitam decet,*
Nec fugere toties funera, vt ſæpe occidant.
Perferre caſus quempiam, ac decori ſuo
Superesſe, turpe eſt: at Ducem, turpiſſimum eſt.
Ignaua quotquot lucis ætheriæ tenet
Libido, ſe ſe luce non dignos probant.
Quæ iam voluptas, ſpeſ-ve iam ſupereſt mihi?
Nefandâ amici cæde jugulati jacent:
Solio reuellor: miles intentat necem:
Infenſus hoſtis regnat, & ſceptrum abſtulit:
Me populus odit, clamat Imperij luem:
Vbi ſtare tutum eſt? quem fugæ expediam locum?

An prouocatos marte Sauromatas petam?
Quorum arua nuper facibus ardebant meis.
An Perſa profugum me domo exceptum teget.
At dira gentium odia ſperare id vetant.
Iam quos Clientes rebus experiar malis?
Ita eſt. potenti populus obſequium exhibet,
Premit jacentes, & probra afflictis canit.
Hîc me manere præſtat, & ſemel emori.
Hos miles artus laniet, ac lætos noui
Vultus Tyranni ſanguine Oſmanni expleat.
VSSAN. *Miſcere caſus ſuenit ancipites Deus.*
Nunc te ſupremâ ſede projectum expulit,
Te fortè eidem redditum ſolio efferet.
Te doceat ille Muſtapha. è vinclis redit
Ad regna: regnis rurſus ad tenebras ruet,
Et partientur carcer ac ſolium ſenem.
Imitare nautas. turbo dum verſat mare,
Tollítque fluctus, vela ſubducunt rati,
Et complicatis funibus tecti latent.
Rabido furori ſubmoue inuictum caput,
Donec procella nube diſcuſſâ effluat.
Vt ſubitus amnis, paſtus hybernâ niue,
Quamuis latranti gurgite inſultet ſolo,
Ruriſque honores ſoluat, & ſyluas trahat,
Vix tamen ad altum pertulit ſpumas mare.
Sic æſtuantes diffluunt populi impetus.
Quod ratio nequijt, ſæpe ſanauit mora.
Hebetis pudebit Muſtaphæ inſanos modò:

Modò te requirent. viue, Rex, ſaltem tuis.
Ecce in propinquâ fluctuat pelagi plagâ
Armata Claſsis: Aula quà retro angulum
Auerſa trudit, arripe oblatam fugam.
Famula occupabis regna: Chalcedon patet:
Tua eſt Damaſcus: tota te expectat Pharos:
Magnáſque tantæ copias Gazæ dabunt:
Res eſt ſub ictu. dum nouo obſequium Duci
Præſtare trepidat miles, eſt facilis fuga.
Fati haud honeſti nobile exemplum time.
OSM. *Quos mihi tumultus pectore ancipiti moues!*
Mox paret animus, mox vagus contrà redit.
VSSAN. *Heheu! furentum ſtrepitus aſſonuit procul.*
Excede properè.

IIDEM. OGLIVS. MILITES.

——— OGL. *Profugis, ignauum caput.*
Scelerate, prædo, perfide, impoſtor, fugax,
Et perduellis Imperi, atque hoſtis Dei:
Qui ſanctitatis nomine occultas ſcelus,
Et ſacra ſimulans horridas fraudes tegis.
Non te tremendi fulminis rector potens,
Scelerúmque vindex terret! ah! pectus ferum.
Tu non verendi ſacra Mahumetis tremis!
Non Regis illud nomen & ſanctum decus,
Quod polluiſti degener! prædo impudens!
Fas námque rupit omne: congeſtas opes,
Aulámque fœtis ratibus impoſitam trahit.

Dira vltionis corde meditatur nefas!
Immanitatem ſpirat, & ſtrages nouas!
OSM. *Siccine frementes incitat pietas viros?*
OGL. *Ain' ſceleſte? nempe credemus piæ.*
Pietatis ille vanus illuxit color.
Nunquid latere facimus, & turpes dolos,
Ac fœda credis furta? conſilium patet.
Hic eſt, Tyranne, teſtis haud dubius fugæ.
Pars nulla preſſa eſt ſceleris. agnoſcis manum?
Cui-nam tuorum, inſane, linquebas gregem?
Cui prodis vrbem? cui ſacrum vendis genus?
Ten' tanta torret cædis immenſæ ſitis?
Tua prodidiſti pectora: ac ſortis ſimul
Bonum expuliſti. ſic ſatis nunquam improbis
Conſulta mens eſt. quamlibet fraudem ſtruant,
Nullum ſat omni parte prouiſum eſt ſceleis.
OSM. *Si prima dominæ ſortis expulimus bona,*
Vicario ecquis perdita excipiat ſinu?
OGL. *Quid non, ſuperbas qui modò imperij vices*
Iidem dederant, arbitri Regum auferant?
Id ratio populis inſita, id mores ferunt,
Vt habere rerum frœna meliorem velint,
Sæuóque referant crimini pœnas graues.
OSM. *Rex ille Regum, qui ſuo nutu ordinat,*
Quodcúmque vaſto mundus amplexu fouet,
Dat ſceptra ſolus; improbos pœnis premit:
Solio Tyrannos ſolus immerito exigit,
Largíſque penſat gloriam obſequij bonis.

OGL. *Dediſce veteres nænias. ille artifex*
Rectórque mundi, robur ac numerum omnibus,
Ac jura populis, & ſui arbitrium dedit.
Honor & Poteſtas dona ſunt mortalium,
Vel furta Regum. liberas naſci jubet
Natura gentes: nec magis ſolis iubar
Commune natis, quàm alma libertas venit.
Imperia ratio publici expreſsit boni:
Conſenſus offert fortibus: ſancit fides
Virínque recta: & mutuum auxilium fouet.
Stant nexa vinclo Regnum & Obſequium pari:
Quod qui reſoluit primus, impunè haud ferat,
Sed iniqua meritis ſcelera ſuppliciis luat.
OSM. *Prô! iure quanto diſpares cauſas trahis!*
Cum ſole tenebras, cum polo miſces ſolum.
Diuina Regno vincula Obſequium alligant,
At nulla Regnum. finibus nullis manet.
Patet vltrà leges. ſtat Dei nutu & cadit,
Hominúmque ſortem, quà libet, placitam refert.
Diadema ſanctos gentibus Reges facit:
Nec ſubditorum dominus arbitrio ſubeſt.
OGL. *Quid? ille poſtquam ſuſtulit tenebris caput,*
Poſtquam ille ſumpſit capite regales notas,
Celsúmque collo gentium impreſsit pedem,
Impunè Princeps peccet! inſultet ſtupris!
Agat vſque prædas! mactet inſontes ſuo
Ciues furore, nec Deus legem hanc tulit,
Neque iſtą populi monſtra ſapientes ferent.

Claros honesta seruitus Reges facit.
Ac dum procurant publica, & populi vice
Vigili tuentur arte depositas opes,
Recepta praestant munera, & soluunt fidem.
Hæc contrà vastas: sed pares pœnas feres. [priùs?
Os. *Perimere Regem!* Og. *Ecquando non factum est*
Os. *Ingente natum Achmete!* Og. *Sed jugulat suos.*
Os. *Quot jura prohibent!* Og. *Nulla. quod necessitas*
Factum tuetur, jura continuò probant.
Superare iam te ratio quæ tandem sinat?
Te, qui cruentas militum strages sitis:
Aulámque spolias: subruis Regnum ac genus,
Temerásque sacra, & crimini obtendis Deum.
Peccâsse pudet: at serus est scelerum pudor.
Agedum, nefandæ cædis autorem inspice.
Erectus hauri funera. egregiè dolor
Per ista noster, quæ citauisti, efferet.
Sceleste, furia Patriæ, & scelerum caput,
Quæ te odia rapiunt? facere quos ciues pa ras
Memphim tepentem prætulit Byzantio.
Nili iuuenius placuit, & turpis Pharos.
Ad seruitutem deligit natum genus.
Vssan. *In me nefandi quicquid est sceleris, reäit:*
Confice nocentem, miles: & Achomatis decus,
Regémque serua. Ogl. *Fœdus hoc vestrum ruat.*
Non est, quòd atrox transferas hominis scelus.
Eia, age: scelestum, miles, ad mortem rape:
Vindéxque dirum demetat gladius caput.

OSM. *Cur fata, ſæne, dinidis? ferro vnico*
Me quoq; trucida. OG. *Me quidem hic fremitus juuat,*
Placet ira. fortem poſcit & præſens labor.

SETICTAR.

O rerum inane! ſortis ô flexus breues!
Vt victa vento pinus in præceps ruit
Radice vulsâ, rapitur & prono impetu,
Subjecta donec vallis, auulſam jugo
Reſonante caſu minuat & frangat comas:
Sic rerum ab alto culmine Oſmannus cadit:
Ac ſe ſuóſque paribus inuoluit malis.
Vidit tumultus militum & gladios truces,
Vnúmque regnum regna conſciſſum in duo,
Atque imminere protenus cladem horridam:
Tamen tumore ſemper inſtinctus nouo.
Sæua aſperauit fata: nec pectus ferox
Domare potuit, nec fugam turam ſequi.
Miſera juuentus! ſapere quæ nunquam poteſt!
Hunc ſi cupis retinere, proficiſci æſtuat:
Iubes abire? perſtat, ex æquo efferus.
Sors tela nondum exhauſit. ægreſcit magis:
Magis efferatum infeſta diſpenſat ſcelus,
Miſerúmque juuenem clade multiplici obruit.
Quò ſe minax procella, & impulſus dabit
Mali æſtuantis feruor! haud modico, vt reor,
Medióque tantus ſcelere conſiſtet, furor.
Videre ſtrages ſtirpis Ottomanæ piget.
Fata illa, fata noſtra ſunt, vt Regius

Effuſus enſe ſanguis alterno fluat.
Quis opperiri turbinem, & contrà gradum
Firmare poſſit! hinc & hinc pectus labat.
Paueo. ſed iſtos fallite, ô ſuperi, metus.

SISIMVS. SELICTAR.

SISIM. *Ingens tumultus turbat, ac rerum chaos*
Vrbem occupauit, acre certamen fremit.
SEL. *Quæ bella miſeris, quod nouũ incubuit malum?*
SISIM. *Quo neque cruentum, nec magis plexũ anteà*
Colliſit vrbes. SEL. *Quamlibet caſus graues,*
Quas-vis ruinas nuncia, vincit metus.
SIS. *Vt turba Iuuenem Regiâ extraxit foras,*
Auidáque cultus diuites rapuit manu,
Turpi per Vrbem miles impoſitum fero,
Præpoſteróque in terga conuerſum agmine
Inter cachinnos ducit, ac ludibria.
Simul ac decoræ frontis eximius decor
Illuxit oculis, & propè exarſit jubar:
Ingens memordit corda ſpectantum dolor,
Miſerúmque populus, & probis plenum gemit.
Nec mora, dolorem ſtimulat erumpens pudor,
Rumpítque fremitum, ac militi probra ingerit.
Crebreſcit inde rumor, auxilio truces
Ruere caternas: claſſe deduci mànus
Ad arma promptas. tunc furor inermes agit.
Primùm ira pugnat obuio telo impotens,
Audétque ſaxis: ſaxa tum ferrum excipit.

Ad arma

Ad arma ciuis vndique, & miles volat.
Nec jam tumultus bella, ſed mauors gerit,
Denſâque juncti mole concurrunt globi.
Vt fortè medius prælio Oſmannus ſtetit,
Hinc inde rapitur, vnda quà belli vocat,
Ac fluctuantes ſequitur armorum impetus.
Ceu prona dubio puppis in pelago labat,
Librata ventis & mari: ac toties tremens
Permittit vndæ vicibus alternis latus,
Et remigantum paret arbitrio redux:
Sic rurſum inundat, totus & morti patet.
Iam paſſim acerui corporum aggeſti tument,
Largíſque torrens fluctibus ſpumat cruor.
SEL. *Prô lux acerba! prô malæ ſortis nefas!*
Iam facta virtus horrido monſtro eſt ſcelus.
Parere ſalutem gentibus pietas ſolet,
Hodie ruinas gentibus pietas dabit.
Quid prætuliſſe Patriam Oſmanno juuat,
Si caſus idem Patriam & Oſmannum trahit?
Conſume plagis tela fortunæ tuis.
Nunc morere, & iſtos, ſæue, conflictus pete.

GAMBOL. SELICT. SISIM.

GAMB. *Cecidêre ſontes, & quies Vrbi redijt.*
Vindicta plenis cædibus ſeſe exerit,
Lætóſque cantus poſtulat victoria.
SEL. *Quæ fata lumenis, quas tulit ſortis vices?*
GAMB. *Quas ipſe meruit, militum exegit dolor,*
Salúſque Regni. SEL. *Fortè diſcerptus perijt?*

Vel, triſte belli præmium, captus gemit?
GISB. *Nil temerè geſtum eſt: cuncta digeſſit Themis,*
Patriíque mores. Quà procul Byzantium
Adſpectat Arcton, ac premit longos ſinus:
Ducítque vaſtis tenue diſcrimen plagis,
Arx alta in auras ſurgit ingenti ambitu,
Quam valida Septem Turrium munimina,
Altíque firmant mole multiplici aggeres.
Vt, antè votis omnium addictus neci,
Hîc ſeptus armis militum Oſmannus ſtetit,
Feralis iterat buccina accentus graues,
Linguíſque truncos ſigna Lictores vocant.
Haud mora, valentes robore, atque animo pares
Inane ſtreperis rictibus murmur fremunt:
Laqueos minantur, & agmine inuadunt reum.
Viuida ſed ille brachia opponit tribus,
Iuuenémque totum haud ſegnis auxilio aduocat.
Modò hunc ſupinat, hunc modò affligit ſolo,
Turbámque ſæpe fundit, ac nodos fugit.
Anhela ſudor corpora, & terram lauat.
Ac Iuuenis ardens plurimos virtus mouet:
Sed iam æſtuantem territant fremitus graues,
Iugiſque pugna vincit, ac longus labor.
Sternitur, & arctis nexibus vitam expuit.
Quicúmque populo inſultat, & Sceptri bonis,
Sic cat, & iras vſque grauiores ferat.

IMPIETAS PVNITA.

PERSONÆ.

MARIA. HVRIVS. AARON. MOSES.
NVNCIVS. DATHAM.

ACTVS PRIMVS.

MARIA. HVR.

INFAVSTA tellus! gentis Hebrææ malis
Deuota Cades! ô nimis dirum Pharan!
Ergo Pharaonis colla ſubduxit iugo,
Siccíſque plantis gurgitis rubri alueum
Gens ſancta prẽßit: pérque tot miracula
Penitus Sabæa teſqua penetrauit plagæ,
Vt ſortiatur grauius hoc buſtum loco?
Vt frater Aaron, frater vt Moſes mihi
Telis ſuorum pro nefas! cæſi occidant?
Pectus vibratur anxium: meus æſtuat
Nouo pauore: gemitus inuitæ excidit,
Quatiúntque anhela membra ſingultus graues.

Oculis oberrat multiplex facies mali:
Natura verſa eſt: concidit præceps polus,
Imóque laxum gurgite abſceſſit ſolum.
Heu! quàm cruenta pugna! quàm bellũ eſt graue!
At nempe pridem miſcuit ſæuas manus
Nefanda ſoboles. viderat nondum diem,
Pugnare cùm iam cæpit infidum genus:
Nouóque bello matris incuſſit ſinus.
Tum mox adultum robore, & membris valens,
Audax feróxque mutuam intentat necem.
Iacob Eſauo iura naturæ abſtulit
Matre adiuuante, pelle mentitus feram,
Falſáque veſte obtectus illuſit patrem.
Quid pretia memorem turpia, & fratrum nefas!
Sacróſque coïtus? ſemper & pugnax genus?
Grauiore ſed iam bella meditantur malo.
Irruite in aras: laceret impoſitos duces:
Profana ſacris miſceat turba inſolens.
HVR. *Quid, chara coniux, generis antiquos iu-*
uat
Memorare caſus? quid malo pendes metu?
Ceſſêre Pharia verbera, & triſtes minæ.
En alta placidos cingit Hebræos quies:
Nobíſque ſummum numen excubias agit.
Compone mentem. tuta libertas adeſt.
Inſtamus arua rapere, quæ tribuit Deus.
MARIA. *En arua nutant: dirus auditur fragor.*
Immanè quantum labe diſceſſit ſolum!

Hauſit viros abducta ſpirantes humus.
HVR. *Quid, miſera, crucias pectus? & cladem aggeras?*
MARIA. *Ah! quanta caſtris vis ſacræ flammæ incidit!*
Incendia vndant: cinere conſurgit ſolum:
Acerra fumat.: funus en multum tacet.
Habent. peractum eſt. quid paras, rerum arbiter?
Tuoſ-ne telo perdere triſulco ſedet?
HVR. *Turba famularis, membra defectam ocyùs,*
Hanc ſuſtinete, donec excutiat Deum,
Et corde toto ſpiritus punat ſacros.
Quid eſſe dicam, quod repens fudit calor?
Heu! quot ruinas ore præcipiti canit!
Cælum ſolúmque miſcet, & nocti diem.
Auguria nunquam talia incaſſum meant.
Quæ tanta, genitor, ſcelera crudeles queant
Meruiſſe pœnas? ſpreta Relligio iacet?
An te relicto ſequimur alienos Deos?
Rurſus-ne in auras miſit auratam bouem
Accenſa fornax? an ferus cultus redît?

MOSES, HVR.

MOS. *Huri, ſororis nobilis coniux meæ,*
Quis iam tumultus turbat Abrami Tribus?
Expone caſus, & leua mentem anxiam.
HVR. *Diuine Moſes, proximum ſuperis caput,*
Excuſſa pax eſt: horridum exitium ingruit:

Nec dubia tanti ſigna proueniunt mali.

MOSES. *Quæ monſtra nobis numen iratum arguunt?*

HVR. *Noſtra ipſa coniux, quæ nouo rapta impetu*
Effertur animi, nec ſui loquitur potens.

MOSES. *Vocis-ne varius ſæpe mutatus tenor?*

HVR. *Fulmineâ primùm verba profudit furens:*
Tum queſta gemuit: móxque quodcúmq; eſt mali,
Quodcumque cladis, pectore haud ſano euomit.
Incendia, & telluris immanes ſpecus,
Ruptóque miſſas æthere inclamat faces.
Pœnas graues, & exitia certa intonat.

MOSES. *Oculi-ne rutilant? an comæ comptæ manent?*

HVR. *Accendit oculos ignis, & pectus quatit:*
Et vix rigentes vitta continuit comas.

MOSES. *Quæ vox fuit poſtrema? quis fatis modus?*

HVR. *Sedata mens eſt: ore depoſuit minas:*
Meliora placidis verba ſubiecit modis,
Nitidúmque roſeis lumen inſerpſit genis.

MOSES. *Quos iſta dicam ſigna terrores ferant?*
Immenſa clades: ac nouum exitium imminet.
At frater Aaron commodè nobis adeſt.
Dabit ille forſan rebus obſcuris iubar.

MOSES. AARON. HVR.

MOS. *Sacrate ſuperis, ſanguinis noſtri decus,*
Effare, quid vox ſacra, quid ſuperi notent.
AARON. *Pauore ſæuo pectus attonitum tremit,*
Animúſque vario tractus euentu labat.
MOSES. *Quibus ira ſummiſe Dei prodit notis?*
AARON. *Vt ſacra primùm renibus vincla intuli,*
Byſſináque tunica molliter circum meos
Pependit humeros: vt vago fluxu pedes
Sericea veſtis tetigit, & cinxit caput
Triplex tiara: ſupplice acceſſi gradu
Mobilia ſuperûm ad templa. verùm aditus negat
Ætherea nubes, quæ ſacro tecto incubat,
Et quæ ſequentem certa dux populum regit.
Maiore ſolitò iubare diffundit comam:
Lugubrè rutilat, ac tremens orbes rotat,
Denſóſque fumos vrget, ac limen premit.
Sedes vacillat culmine, ac ſonitus truces
Aurata validis pulſibus menſa edidit.
Inuaſit artus torpor, & ſanguis coïit.
Acerra tremulas lapſa deſtituit manus,
Et vix coronam ſuſtulit quaſſum caput.
Mox, vbi ſolutam diſpulit noctem dies,
Cunctíſque rebus redijt ingenitus color,
Intrare placuit adyta. non flammæ nitent,
Nec fulcra retinent lucis auratæ decus.

Gemmis coruſcat vſque diuerſum iubar.
Variantem achatem ſqualidus liuor notat:
Mox pallet adamas, móxque ſanguineum rubet,
Vidi nigrantes nube ſardonychas nouâ,
Quæ luce nitidâ purpurare humeros ſolent,
Flammas hiantes pandere immani ſinu.
MOSES. *Hæc monſtra, Moſen, hæ minæ Aaronem petunt.*
Fera pugna ſurgit: turbida impietas fremit.
Iamiam tiaram multus inficiet cruor,
Nec arua modicis eriget cumulis cinis.

ACTVS SECVNDVS.

NVNCIVS. MOSES.

I, profuge, Moſes, ſi tamen facilis fuga eſt,
Vltra rubentis Tethyos clauſtra vltima,
Aut quà tepentem Perſicus Tigrim ſinus
Excipit, & alta regna Medorum lauat.
Periêre cuncta; noſtra iam nulla eſt ſalus.
MOSES. *Quid ſit rei, deprome depoſito metu.*
NVNC. *Vndante turbâ dira ſeditio ambulat,*
Et caſtra fremitu tollit, ac ferrum parat.
Vndique ſatelles ad nouos reges ruit.
MOSES. *Mentis agitatæ ſiſte præcipitem impetum.*
Quis autor: & qui bella minitentur; quibus
Vtantur armis, voce compoſitâ explica.

NVNC. *Adhuc pericli imago terrores mihi*
Subinde renouat: ſtare nec mentem ſinit.
MOSES. *An caſtra Madian victor Hebræa*
occupat?
Vellit-ne vallum? fulminat-ue acies Moab?
NVNC. *Vtinam irruiſſent: nos minus quateret*
malum.
MOS. *Duxit-ne Baſan agmẽ? aut ſequitur Gehõ?*
Validóſque ſecum traxit Amalechos duces?
Anne incitauit Petra victorem Gobol?
Vaſtóque Chanaan robore irrumpit genus?
Effare propere: pande, quodcumque eſt, malum.
NVNC. *Vis nulla foris eſt: gentium nullus timor:*
In mutua ruit funera Iſacium genus.
MOS. *Narrare ſatage cuncta: ſollicitum leua.*
Metus malorum grauior eſt ipſis malis.
NVN. *Phalaum ferocem torquet immanis furor:*
Aciémque cogit Phalaus, & Cidarim cupit.
Iam ſe coronat Cidare: iámque humeros Ephod,
Lumbóſque circum vincula aptata inſident.
MOS. *Quis ſocius? & quæ turba conſequitur ducẽ?*
NVN. *Quotquot ſuperbus filios genuit Merar.*
MOS. *Sequitur-ne Muſus? tríxq; Moholitæ genᵒ?*
NVN. *Solum genus Gerſonis haud furiæ incitant.*
MOS. *Agitat-ne fortes dira Caathitas lues?*
NVN. *Iſaare natus primus ingreditur Core:*
Sequitur Nephegus, Elcana, Abiaſaph, Zechri.
Atque hos ducenti Principes, hos & quater

Decem Tribuni, quos rapit ſimilis furor.
MOS. *Saltem quietas pax habet reliquas Tribus?*
NVN. *Hæc minima pars eſt: incitat turbas Ruben,*
Feróxque ſæuit, & ſuos ortus crepat.
Quod nempe natu maior Iſacidas præit,
Blandáque Iacob voce vocitauit patrem,
Regale ſpirat culmen: & ſceptrum ac decus
Summum, repulſo Moſe, contendit ſuum.
MOS. *Ingrata plebes! contumax! ſæua! impia!*
Ergo-ne meritis gratiam hanc noſtris refers?
Animo-ne fluxit ſeruitus? Pharaо & Pharos?
Pignora miſellis matribus raptæ impiè?
Et commiſtæ rupibus? crebræ neces?
Incuſſa tergo verbera elatâ manu?
Sudórque iugis, & labor ſemper redux?
Heu! quem laceſſis! bella non Moſi moues:
At ſæua ſummum ſcelera regnantem petunt.

MOSES, DATHAMVS.

Quodnam, Dathame, facinus admiſi horridum?
Vt ad arma promptas impia expedias manus,
Et factione caſtra multiplici impleas?
DATH. *Quæ ſcelera tandem paria patrari queant*
Moſis ſceleribus? MOS. *Quæ mihi ſcelera obijcis?*
DAT. *An ſingula, ſcelerum omnium obijciam reo?*
MOS. *Incerta nunquam ſcelera meruerunt fidem.*

Arguere ſi vis, teſte conuincas reum:
Notíſque cauſam comprobes, claudas modis.
Horum nihil ſi feceris, conuitium eſt.
DATH. *Legis tuæ mentiris authorem Deum.*
Nam ſi ſupremâ voce ſancitam putas,
Cur hanc reſoluis primus, ac ludis Deum?
MOS. *Quâ parte legis vincula exſolui ſacra?*
DATH. *Quæ prima ſoboles matris impleuit ſinus,*
Domúſque patriæ, & iura ſacrorum tenet.
Cur ergo ſeruit decore ſpoliatus Ruben,
Primúſque matris partus, & robur patris?
Cur te imperante frater inuaſit ſacra?
Hæc poſtulauit vſus, & populi ſalus.
MOS. *Quòd vindicauit impios cultus Phari,*
Ac tum expiauit cæde commeritâ ſcelus,
Tua iura meritò cepit, & ſacris præeſt.
DATH. *Quid? ipſe Aaron, ipſe conflauit bouem:*
Ipſe, ipſe flammis auream maſſam intulit:
Atque hanc caminis traxit, ac propriâ manu
Populo colendam infixit excelſæ trabi.
MOS. *At obſequutus plebis imperio eſt graui,*
Nec crimen habuit mortis incuſſus pauor.
DATH. *Leui ergo regnat, quòd Dei eſt vltus vicē?*
Solus-ne Aaron impium cultum abſtulit?
Subita-ne ſolus cæde purgauit nefas?
MOS. *Non vtique: Gerſon pariter & Meraris genus,*
Tribúſque reliqua diluit ſuperûm probra.

DATH. *Cur ergo vittas rapuit insanus Caath*
Gersone pulso? cur prior carpit viam,
Cùm castra campis agmine instructo meant?
Cur ferre soli fœderis pignus licet,
Leuiúsque pondus? extruere mensam cibis?
Adyti recessus thure venerari intimos?
At nempe Mosen genuit, & Aarona extulit.
Hæc est, Tyranne, lactis effundens vada,
Riuósque mellis: vrbibus crebris nitens,
Segetúmque fœlix regio, quam ostentas diu:
Ad quam crepas te nostra ducturum agmina.
MOS. *Si læta nondum tangis, id tibi imputa.*
DATH. *Ergo-ne beatas liquimus Nili plagas*
Per maria euntes, monstra, flammas, funera,
Vt hauriamur torrido exusti solo?
MOS. *Compendiosam carpere haud licuit viam.*
DATH. *Potteras Idumes finibus tutis, dies*
Intra nouenos, sistere Abramidûm agmina.
Cur misera tanto castra duxisti ambitu?
Facilémque prodis gentibus prædam feris?
Quidnam repones? namque si facis improbè,
Vel imperitè; non adest ductor Deus:
Sed tua libido & ambitus feruens regit.
Hîc & dolos, pectúsque fœcundum excute.
MOS. *Num sustineret hostium vultus truces*
Gessæa pubes, ni priùs segnes metus,
Quos misera longo seruitus fletu intulit,
Tepulisset animis? nî viæ durus labor

Firmaſſet artus? ac vetus virtus patrum
Iuuenum excitaſſet languidas mentes redux?
DATH. *O verſipellem! vafrum & inſtructum*
dolis!
Qualem ipſe, legem qui ſacram violat, putas?
MOS. *Et perduellem patriæ, atque hoſtem Dei.*
DATH. *Anne peregrinam ducere vxorem*
nefas?
MOS. *Certè nefas eſt: lege quod vetuit Deus.*
DATH. *Cur ergo Moſes coniuge externâ vtitur?*
Cur coniugales Æthiops iunxit faces?
Ac tibi Sephora iam hybridas pueros parit?
Iniqua res eſt, cæteris præſcribere,
Quæ iura rumpas primus. has leges velim,
Quibus vniuerſus populus ex æquo vtitur.
MOSES. *Aduerte mentem: quóſque nodos im-*
plicas,
Ac fraudulenter quæ ligas ſophiſmata,
Facilè, nec vllâ ambage diſſolui audies.
DATH. *Effare, & alti pectoris fraudem excute.*
MOS. *Me vagientem crimine implexo parens*
Pharij Tyranni territa ingenti metu
Commiſit alto turbidi Nili alueo.
Pharaonis inde gnata ſuſceptum extulit,
Aluítque blandè: tùm viris prudentibus
Dedit edocendum. iámque vir factus Pharon
Longo pudore & cladibus fractam annuis,
Quâ ſe in calentem verſa porrigitur Noton,

Facilè expediui: marte nec Meroë redux
Iam vltra calentis feruidas Cancri orbitas
Populare fines audet Ægypti intimos.
Geſſen tremebat ſæpe, & horrebat, noua
Coctos deinceps ne daret lateres iugo.
Mihi ſumma rerum ceſſit, Æthiopes breui
Iacuere bello: tum mihi victoria
Gnatam ſubacti regis, ac thalamos dedit.
Exilia deinde, pulſus inuidiâ, tuli:
Me terra Madian hoſpitem vidit ſuum:
Sanctáque Gethro filiam iunxit face.
Tum deinde leges ducere externam vetant:
Ideóne iunctos fœdere haud vetito toros
Sacer reſoluam? lex ſolet formam dare
Rebus futuris, pacta nec frangi iubet.
Quid ergo damnas vincla, quæ virtus probat,
Rerúmque ſuaſit ratio, nec leges vetant?
DATH. *Quàm fraudulento pectore innectit dolos!*
Quòd ſtudia, & artes calleas Ægyptias,
Fœlice flexu vocis ambagem moues,
Reſerare nodos, premere ſeu nodos iuuat.
Sed nec homicidas numina affari ſolent.
MOS. *Ingrate, ſic iam noſtra benefacta eleuas!*
At vnde vita hæc, vnde libertas adeſt?
Vt vile turpi vinculo eriperem caput,
Per varia ſæuam monſtra contudimus Pharon,
Fœtente tabo vertimus Nili alueum:

Me deprecante solis extinctum est iubar,
Imbérque durus arborum infregit comas:
Terras locustæ, sciniphes implerunt domos:
Tremuêre saxa: maria diuiduos lacus
Pandêre, & hostes penitus hausérunt aquis:
Tuam in salutem sydera affulgent noua,
Diémque frangunt, & viâ noctem emouent:
Et modò bonorum gratiam hanc nobis refers!
Ferrum minaris! ac Deo bellum moues!

DATH. *Qui merita Mosi intentat, haud temerat polum:*
Nam sceptra Moses, & sacra arbitrio ordinat.
Dum spolia populi aceruat, & prædas graues,
Obtrudit atræ fraudis autorem Deum.

MOS. *Quæ furta quereris? quas opes raptas fremis?*

DATH. *Quid non voras, auare? primitias rapis,*
Decimásque rerum. vagit in cunis puer?
Tibi mancipatus lege venali venit.
Leuita decimas carpit: has rursus rapax
Delibat Aaron, & lucrum ex lucro trahit.
Quæ victimarum portio cedit Deo?
Nunquid guloſa turba lautitias facit?
Armos Aaron, pectus Eleazar rapit.
Pedes lucratur Ithamar, & pellem, & caput.
Excogitatasti mille prædandi vias.
Censu frequenti numerat Hebræum genus.
Quid ita? numisma scilicet quintum exigit.

Facilè expediui: marte nec Meroë redux
Iam vltra calentis feruidas Cancri orbitas
Populare fines audet Ægypti intimos.
Geſſen tremebat ſæpe, & horrebat, noua
Coctos deinceps ne daret lateres iugo.
Mihi ſumma rerum ceßit, Æthiopes breui
Iacuere bello: tum mihi victoria
Gnatam ſubacti regis, ac thalamos dedit.
Exilia deinde, pulſus inuidiâ, tuli:
Me terra Madian hoſpitem vidit ſuum:
Sanctáque Gethro filiam iunxit face.
Tum deinde leges ducere externam vetant:
Ideóne iunctos fœdere haud vetito toros
Sacer reſoluam? lex ſolet formam dare
Rebus futuris, pacta nec frangi iubet.
Quid ergo damnas vincla, quæ virtus probat,
Rerúmque ſuaſit ratio, nec leges vetant?
DATH. *Quàm fraudulento pectore innectit dolos!*
Quòd ſtudia, & artes calleas Ægyptias,
Fœlice flexu vocis ambagem moues,
Reſerare nodos, premere ſeu nodos iuuat.
Sed nec homicidas numina affari ſolent.
MOS. *Ingrate, ſic iam noſtra benefacta eleuas!*
At vnde vita hæc, vnde libertas adeſt?
Vt vile turpi vinculo eriperem caput,
Per varia ſæuam monſtra contudimus Pharon,
Fœtente tabo vertimus Nili alueum:

Me deprecante ſolis extinctum eſt inbar,
Imbérque durus arborum infregit comas:
Terras locuſtæ, ſciniphes implerunt domos:
Tremuêre ſaxa: maria diuiduos lacus
Pandêre, & hoſtes penitus hauſerunt aquis:
Tuam in ſalutem ſydera affulgent noua,
Diémque frangunt, & viâ noctem emouent:
Et modò bonorum gratiam hanc nobis refers!
Ferrum minaris! ac Deo bellum moues!

DATH. *Qui merita Moſi intentat, hand temerat polum:*
Nam ſceptra Moſes, & ſacra arbitrio ordinat.
Dum ſpolia populi aceruat, & prædas graues,
Obtrudit atræ fraudis autorem Deum.

MOS. *Quæ farta quereris? quas opes raptas fremis?*

DATH. *Quid non voras, auare? primitias rapis,*
Decimáſque rerum. vagit in cunis puer?
Tibi mancipatus lege venali venit.
Leuita decimas carpit: has rurſus rapax
Delibat Aaron, & lucrum ex lucro trahit.
Quæ victimarum portio cedit Deo?
Nunquid guloſa turba lautitias facit?
Armos Aaron, pectus Eleazar rapit.
Pedes lucratur Ithamar, & pellem, & caput.
Excogitataſti mille prædandi vias.
Cenſu frequenti numerat Hebræum genus.
Quid ita? numiſma ſcilicet quintum exigit.

Sic partiuntur ſpolia, quæ noſter labor
Eripuit hoſti. hic Hurius partem trahit,
Partémque Ioſue: ſanctus & Moſis nepos
Aarone natus. hoc iugum patres granat,
Et longa miſeros ſeruitus natos premet.
Viuam Dathamus, & prolrum hocgentis fe-
ram!
Non, ſi tremendum qui manu fulmen vibrat
Terrámque ſolidâ mole libratam quatit,
Regnare Moſen iubeat aut fratrem, ſinam.
Tyrannidem abolere, atque deminatum iuuat.
MOS. *Quid iam nocentes amplius ducis moras,*
Dominator orbis? iam manus flammam induant:
Tonitrus tremiſcant ſydera, & natet polus:
Triſidæque ruptis nubibus rutilent faces.
Abſolue leges, ſumme regnator, tuas,
Et vindicantem ſentiant ſontes polum.
DATH. *Quid iã tumultu cuncta confundas grani*
Permitt ſuperis ſceleris implexi ex citum.

Digitized by Google

Digitized by Google

04 LDPE 09 - 03

Digitized by Google

Digitized by Google